
UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
CORNELIA WILLIAMS BATES
BEQUEST



M. ANTONII MURETI


OPERA OMNIA,

Ex MSS. *aucta & emendata,*
cum brevi annotatione

DAVIDIS RUHNKENII.

TOMUS IV.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUEL. ET JOHANNEM LUCHTMANS,
MDCCLXXXIX.



CONTINENTUR

VOLUMINE IV.

Commentarius in Taciti Annales. 1—152.

Notae in Tacitum. 155—170.


Scholia in Sallustium. 173—187.

Commentarius de Origine Juris, de Legibus, SCtis, &c. & in Titt. de Jurisdict. 191—304.

Notae in Justiniani Institutiones. 307—403.

Commentaires sur les Amours de P. de Ronsard, 407—514.


Auctarium Operum. 517—618.



ERUDITO LECTORI

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.



CUM, post depulsam seculo XV. barbariam, una cum bonis literis vera eloquentia revocari coepisset, quicunque bene dicendi scribendique laudem appeterent, de *Livii* praecepto, quod *Quintilianus* X. 1. p. 493. ex ejus epistola ad filium scripta commemorat: *Legendi Demosthenes atque Cicero: tum ita, ut quisque est Demostheni & Ciceroni simillimus*: unius *Ciceronis* imitandi studio & inter se contentione exar-

ferunt. Tum altero, ut ita dicam, Latinitatis aureae feculo in Italia exorti sunt, qui primum honesto, mox ob servilem quorundam imitationem invidioso nomine, *Ciceroniani* vocarentur, Bembus, Sadoletus, Pogianus, Majoragius, Manutius, Palearius, Sigonius, alii, quorum hic locus non capit recensionem. Sed horum omnium luminibus, dici vix potest, quantum offecerit *M. Antonius Muretus*, ea felicitate *Tullianam* exprimens eloquentiam, ut, nisi res, quas tractat, recentiorem scriptorem proderent, ipsum *Ciceronem* a te legi putares. Cujus facultatis praestantia, non ab una doctrina, aut a singulari quodam imitandi artificio, quod ceteros fefellerit, sed ab aliis caussis, repetenda videtur. *Plinius Caecilianus*, ut hoc utar, & doctrina abundavit, & lingua Latina adhuc satis integra scripsit, &, ut ipse fatetur, nihil aliud, quam *Ciceronem* imitando effinxit. Nec tamen ulla vel in Epistolis, vel in Panegyrico periodus, quam *Cicero* pro sua vellet agnoscere, reperitur. Aliud exemplum aetas suppe-

ditat recentior. *Paulus Manutius* nec eruditione, nec Latinitatis scientia *Mureto* cedebat, *Ciceronis* imitandi studio fortasse vincebat, quippe tota vita id unum egit, aut optavit, ut *Ciceroni* quam simillimus videretur. Sed is quoque magis secutus *Ciceronem*, quam assecutus est, & in hoc imitationis genere jacet cum *Mureto* comparatus. Quid ita? Nempe *Mureto* naturae beneficio idem, quod *Ciceroni*, obtigerat ingenium: *Plinio* & *Manutio* diversa ingenii forma. Ab hac indolis similitudine fluxit illa *Mureti* in qualibet re exprimenda felicitas, venustas in narrando, lepos in jocando, aurium denique sensus in oratione numerose struenda. Compar natura *Muretum* sponte in *Ciceronis* vestigia deducebat: at dispar *Manutium* invitum & reluctantem alio trahebat; ut non sit mirandum, nos *Muretinis* libris, semel in manus sumtis, ita teneri, ut eos vix deponamus; *Manutianis* autem, quamvis terse & polite scriptis, quod anxium imitandi studium produnt, cito satiari. Quo minus dubitamus

Muretum cum ingenio, tum arte scribendi, vere *Ciceronianum* dicere; quamvis ipse, nominis invidiam veritus, sic se appellari noluerit. Quin etiam Var. Lect. xv. 1. ut aetatis suae *Ciceronianos* ureret, profitetur, se interdum ab *Appulejo*, *Cassiodoro*, *Sidonio Apollinari*, & similibus, verba loquendique genera sumere. Quae professio non vera, sed simulata videtur *Caspari Scioppio* de Stil. Hist. p. 64. 75. ut sic *Muretus* latebram paratam haberet, si quid sibi, cujus nullum idoneum auctorem laudare posset, excidisset. *Scioppio* se non sine stomacho quodam opposuit *Jacobus Thomasius* Praefat. ad Oration. p. 8. Sed *Scioppianam* rationem frustra oppugnari, hoc argumento intelligitur. Nimirum, si verum est, quod *Muretus* ait, se ne labentis quidem Latinitatis voces & locutiones refugere, eas, necesse est, in ejus libris reperiri. Atqui, tantum abest, ut quicquam ab istius aetatis scriptoribus mutuatus sit, ut ne a *Seneca* quidem, haud paulo meliore scriptore, quo mire

re

re eum delectatum fuisse scimus, multum traxisse videatur. Sed, age, *Mureto* callide loquenti, ut tempori serviret, opponamus *Muretum* sincere & ex animo loquentem, Praefat. ad *Terent.* T. II. p. 653. *Alterum vitium est, quo Transalpini multi (fatendum enim est) laboramus: quod cum in Latini sermonis elegantia excellere pulchrum putemus, non tamen fere callemus, quo ad eam itinere contendere oporteat: itaque de nostris pauciores hactenus, quam vellem, extiterunt, qui se ad Ciceronis, Terentii, Caesaris imitationem componerent. Pervolutabant sine ullo discrimine omnes omnium scriptorum libros, & ex omnium commistione varium quoddam & multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingebant.* & paucis interjectis: *Semper Latini sermonis puritatem magnum quoddam & praeclarum bonum esse duxi: semper eam ex illorum, quos supra nominavi, eisque finitimorum scriptis, velut e purissimis fontibus, hauriendam sum ratus.* Vide quae diximus

ad Var. Lect. I. c. Quod *Muretus* de Transalpinis hominibus dicit, etsi minus huc pertineat, tamen me admonet, ut, quod saepenumero miratus sum, hic expromam. Satis constat, laudem bene Latine scribendi jam inde a renatis literis penes Italos fuisse. Quo quidem in studio, ne alia praesidia commemorem, multum adjuvabantur & patriae linguae similitudine, & vivendi sub coelo Latino conditione, & inde orta cum corporis, tum ingenii temperatura. Nec eam laudem aetate nostra consenuisse, documento sunt disertissimae Orationes *Jacobi Facciolati* & *Hieronymi Lagomarsini*, quibus apud alias nationes perraro similes reperiuntur. Quo mirabilius debet videri, ipsos Italos in hac bene scribendi arte a duobus Transalpinis superatos esse. Alter est *Muretus*, ortu Gallus, de quo jam dudum loquimur. Alter *Petrus Joannes Perpinianus*, natione Hispanus: qui, nisi in medio spatio corruisset, ipsi *Mureto* palmam eloquentiae dubiam fecisset. Quanquam fateor, utrique

que doctorum Italorum, tanquam *Corradi*, *Maffeji*, *Manutii*, consuetudinem profuisse.

Sed, his missis, caussas, quae nos impulerint, ut *Mureti* Opera, in unum corpus congesta, ederemus, age, breviter explicemus. Etsi nemo dubitat, quin juventus, ad Latinam eloquentiam informanda, in veterum scriptorum, maxime *Ciceronis*, lectione continenda sit, utile tamen est, unum alterumve e disertis recentioribus cognosci, ut ejus exemplo via ratioque imitandi facilius intelligatur. Cui consilio quis potest esse accommodatior, quam *Muretus*? Nec tamen eundem in scholas recipi velim, & tanquam classicum scriptorem praelegi adolescentibus: ut in quibusdam Germaniae scholis, me puero, fieri solebat. Inprimis autem in *Mureto* iterum edendo spectavi id, quod jam dicam. Multi & hic, & alibi produntur libelli e critico genere, quibus adolescentes ingeniosi Emendationes & Conjecturas in Graecos Latinosque scriptores exponant. In eorum plerisque eruditionem, acumen &

solertiam admiror. Sed iidem partim tam jejune, partim tam inquinate scripti sunt, ut fastidium & nausea legentibus oboriatur. Hos igitur Critices studiosos *Mureti* exemplo docere volui, posse Emendationes non solum mundo exquisitoque orationis genere explicari, sed etiam, in summa tenuitate rerum, aliqua suavitate, quae lectores teneat, condiri; omninoque turpissimum esse iis, qui veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro & lutulento. Non est inter recentiores, si Latinitas spectetur, *Mureto* scriptor emendatior. Vel sic tamen ei non sentienti quaedam minus Latina surrepserunt. Quae ne juvenes, quibus hanc Editionem comparavi, tanquam probe dicta arripiant, feci idem, quod vir in paucis Latine doctus, *Lagomarsinus* in *Julii Pogiani* Epistolis edendis fecit, ut in talibus locis, quid Latinitatis ratio postularet, breviter monerem. Etsi vero nullum consilium erat, omnia ad vivum resecare, quaedam tamen manifesto vitiosa a me praeterita

rita esse, sero animadverti. Ita, quod legitur T. I. p. 145. *caussa discussa*, pro, *caussa cognita*, cadentis, vel potius jacentis Latinitatis est. Eodem Tomo I. p. 376. bis scribitur, *potuerit*, ubi Grammatices ratio postulat, *poterit*. T. IV. p. 609. *in sententia quid reprehendam, non habeo.* Qui error *Mureto* cum multis, etiam Latine doctissimis, communis est. Nunc, post *Ernesti* hac de re disputationem in Praefat. ad *Ciceronem*, nemini dubium esse potest, quin scribendum sit: *in sententia quod reprehendam*, &c. Dixi de prima caussa *Mureti* formulis typographicis repetendi. Altera haec est. Complures *Mureti* libelli sic evanuerant, vix jam ut comparerent. Quorum omnium cum, post longam investigationem, copiam nactus essem, nihil antiquius habui, quam ut eos sempiternae oblivioni, in quam, verendum erat, ne caderent, hac nova Editione eriperem. Initium eorum colligendorum factum erat Ingolstadii, auctore *Mar-*

co Velsero, praestantis doctrinae viro, qui *Muretum* Romae docentem audiverat, teste *Marco Antonio Bonciario*, qui & ipse *Mureti* disciplina usus est, Epistol. IX. 12. *Mureti* autem Opuscula partim edita, partim inedita, per hanc occasionem ad Ingolstadienses pervenerunt. *Andreas Schottus*, vir non ille quidem exquisitissima doctrina praeditus, sed literarum juvandarum studio nemini secundus, cum post *Mureti* mortem Romam venisset, *Muretina* Anecdota, in his quatuor libros Variarum Lectionum, de quibus mox dicemus, sibi vindicavit. Cujus rei notitiam debemus *Mureti* discipulo, *Josepho Castalioni* Observ. Decade VI. Cap. 2. Reversus in patriam *Schottus*, haec Anecdota *M. Velsero*, cujus tum summa in literis erat auctoritas, edenda commendavit. Qui exquisitiorem eorum partem, Variarum Lectionum Libros IV. & Observationes Juris ipse in lucem emisit Augustae Vindelicorum a. 1600. & reli-

quam

quam partem Ingolstadiensibus edendam concessit. Quibus ita licuit, omnium plenissimam Orationum, Epistolarum, & Hymnorum Editionem prodere ex officina *Davidis Sartorii* a. 1592. quamvis homo obscurus, *Johannes Croesselius*, qui huic Editioni praefatus est, nec *Schotti*, nec *Velseri*, per quos Editio sic locupletata videtur, ullam fecerit mentionem. Hinc Ingolstadienses curam suam ad Opuscula edenda converterunt. Decennioque post, a. 1602. 8. duo volumina apud *Adamum Sartorium* prodierunt, quorum prius, editum 24. Aprilis, complectitur *Commentarios in Aristotelis X. Libros Ethicorum, & in Oeconomica, Topicorum libri septimi, & in eundem Alexandri Aphrodisiensis commentarii interpretationem, Commentarium in Lib. I. & II. Platonis de Repub. Notas in Cyropaediam & 'Ανάβασιν Xenophontis*: posterius, editum Kal. Octobribus, *Commentarium in I. & II. Librum Rhetori-*

Veronensis, *Jo. Albertus Tamermanus*, nescio quo adjutore usus, quem & *Vita Mureti*, & *Dissertatio de ejus Operibus & Editionibus*, satis ostendunt, fatuum ineptumque hominem fuisse. Habuit tamen a viro doctissimo, *Joanne Baptista Recanato* exemplum *Aldinum* Orationum, in quo *Muretus* non solum Orationes, sed etiam additam Orationibus versionem Libri V. Ethicorum manu sua castigarat. Quas correctiones in Editionem nostram recepimus. Idem promisit, se similes *Mureti* emendationes in Carmina daturum. Sed res non apparet. Omnino tota ista Editio Veronensis, quinque Tomis in forma octava constans, & sordide excusa est, & negligenter curata, &, cum titulus *Mureti* Opera omnia promittat, vix dimidiam Operum partem exhibuit. Ex Opusculis tribus Ingolstadiensibus, quorum summa raritas est, ei non nisi unum volumen ad manum fuit. Cumque desperasset, sibi duorum reliquorum copiam futuram, Editionem inchoa-

ehoatam destituit, omniumque exspectationem decepit. Multo diligentius partes Operum, id est, Orationes, Epistolas, Carmina, curarunt eruditissimi viri, *Jacobus Thomasius* & *Joannes Checcótius*, ille Lipsiae a. 1672. hic Patavii a. 1741. cujus etiam Editio commendationem habet ab ineditis quibusdam in lucem vocatis. Utriusque Praefationes, bonae frugis plenas, huic Editioni praemisimus.

Nunc de singulis partibus, quas Editio *nostra* comprehendit, proprie dicendum est: Primo loco positae sunt Orationes, ad Editiones *Aldinas*, & optimam illam Ingolstadiensem studiose a nobis exactae. Quibus, nostra demum aetate, luculenta facta est accessio. Namque *Checcotius* earum numerum auxit una integra, edita illa quidem, sed paucis cognita, & alterius ineditae fragmento. Utramque reperies T. I. p. 363. hujus Editionis. Brevi post *Petrus Lazerius* Tom. II. *Miscellaneorum ex* MSS.

MSS. *Libris Bibl. Collegii Romani Societatis Jesu*, alia duo Fragmenta Orationum ex MSS. protulit. Quibus, quoniam *Lazerianus* liber serius ad nos pervenit, locum dedimus in Auctario Operum *Mureti*, T. IV. p. 598.

Epistolas locupletavimus undecim ad *Lambinum* scriptis, de quibus quod scire necesse est, diximus ad T. I. p. 377. novendecim a *Lazerio* l. c. editis, & sex per aliorum libros sparsis, quas in Auctarium Operum T. IV. p. 582. conjecimus. Earum indicium nobis fecit vir eximius, & de hac *Mureti* Editione praeclare meritus, *Jacobus Morellius*, quem ex literis ad nos datis & humanitatis studiis perpolitum, & vix credibili historiae literariae scientia praeditum cognovimus; ut Bibliothecae *D. Marci* talem tam omnibus numeris absolutum praefectum jure gratulemur. Removimus autem ex *Muretinis* epistolas *Pauli Sacrati*, quas addiderat *Thomasius*, correctas illas quidem,

ut

tat suspicari licet, a *Mureto*, sed rerum inanes, nec magnopere dignas, quae legantur, aut requirantur.

Epistolas T. I. p. 653. excipiunt Juvenilia ad Editionem Parisinam A. 1552. expressa; item Poëmata varia ex Editionibus *Aldinis*, p. 733. quibus quatuor ineditas Elegias; in his illam prope divinam ad *Jo. Bapt. Amaltheum*, adjecit *Checcotius* T. I. p. 783. & jambicum carmen *Lazerius* T. IV. p. 618. Nos quoque duo Fragmenta Elegiarum T. I. p. 788. ex MS. protulimus, tum immemores, ea jam extare in Comment. in *Aristotelis* Ethica T. III. p. 296. 454. *Thomasius* habuit Carminum Editionem *Aldinam* a. 1575. plures Elegias, quam in ceteris sunt, exhibentem. In quibus cum homo tristioris naturae versus quosdam molliculos & parum pudicos reperisset, ea carmina Editione sua nimis severe exclusit, & mihi, qui nihil, quod a *Mureti* manu profectum esset, praeter-

mittere statuissem, necessitatem imposuit illius Editionis diu & frustra quaerendae. Ex qua tandem inventa Cl. *Morellius* Elegias, quibus T. IV. p. 612. locus datus est, pro humanitate sua descripsit. Ceterum, si *Mureti* numeri non tam leniter cadunt, quam *Flaminii*, aut *Molsae*, id Latini sermonis munditie, qua plerosque recentiores Poëtas vicit, facile compensatur. In *Catulliano* quidem genere sic excellit, ut, *Joanne Cotta* excepto, parem habeat neminem. Si quando in metri ratione lapsus reperitur, culpam sustineant pravae veterum Poëtarum Editiones, a quibus in fraudem inductus est. Eos errores cum in exemplo suo notasset *L. Santenius*, legitimum sonum digitis & aure callens, facile ab ejus humanitate impetravi, ut illas Notas huic Praefationi subjici pateretur.

Sequitur, ut de Phidiaco opere Variarum Lectionum dicamus. Earum libri VIII. primum prodierunt Venetiis 1559. 4. deinde libri

libri xv. Antverpiae apud *Plantinum* 1586. 8. Reliqui iv. quomodo, post *Mureti* mortem, ad *Schottum*, inde ad *Velserum*, eorum Editorem, pervenerint, cum supra dictum sit, nihil attinet repetere. Illos iv. libros cum superioribus xv. deinceps *Janus Gruterus* intulit in Lampadem Criticam T. II. p. 1154. Hic si Criticum agere voluissem, saepe mihi res ipsa copiosam materiem dedisset. Sed talis disputatio non congruebat hujus Editionis consilio.

Scholia in Ciceronis Catilinarias, & Philippicas, *Terentium*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Horatium*, ex *Aldinis*, quoad ejus fieri potuit, Editionibus expressimus. *Terentium* antequam *Muretus* totum Venetiis ederet, Parisiis a. 1551. prodidit scholia quaedam in Andriam & Eunuchum, ab ipso T. II. p. 662. commemorata. Quem libellum inventu rarissimum nunquam vidimus. At vidit *Morellius*, V. C. quem fugitivorum, ut vocantur, opusculorum nihil fugit.

Libellus a *Mureto* inscriptus est eidem *Joanni Costecando*, ad quem extat carmen in Juvenilibus T. I. p. 708. ubi operarum errore legitur *Costecaudo*. Brevis illa dedicatio haec est:

M. Antonius Muretus

Joanni Costecando suo

S. P. D.

Quae, cum tibi annum abhinc alterum Terentii fabulas privatim explicarem, codicis mei marginibus adscripseram, ea, quantum memoria repetere potui, rogatus in publicum emitto. Sive enim studiosis hujus auctoris aliquid mea opera fieri potest, denegandum id is non puto: sive minus, at certe facilis chartarum aliquot futura jactura est. Hoc autem, quicquid est, tibi dicatum volo, ut intelligas amicorum etiam absentium memoriam a me studiosissime coli. Vale. Lutetiae 16. Sep. 1551.

Ipsa autem Scholia, quae *Muretus* matu-

turiore aetate caſtigavit, & in pleniorem *Terentii* Editionem traduxit, non tanti putabamus hic repetere, aut, in quo a poſterioribus differrent, indicare.

Scholia in *Senecam* non ex Editione Romana, *Mureto* mortuo, per *Franciſcum Bencium* curata, quam in ipſa Italia rariorem eſſe, teſtis eſt *Checcotius* in Praefat. p. 102. ſed ex Pariſina a. 1607. ſumſimus. Romanae ſi facultas nobis fuiſſet, non neglexiſſemus ejusdem *Bencii* Praefationem addere; quae quin ſcite docteque ſcripta ſit, dubitare non ſinit reliqua hominis elegantia.

Notae in *Tacitum* duplicis generis ſunt, aliae criticae, aliae tironibus dictatae. Criticas *Acidalius* deſcripſiſſe videtur ex eo exemplo, quod nunc eſt in Bibliotheca Collegii Romani, vel ex alio inde propagato: de quo *Lazerius* de Vita & Script. *Mureti* p. 561. Lectiones adoleſcentibus comparatas Ingolſtadienſes ediderunt; Quae tametſi non multum eruditionis exquiſitae continent, tamen a venuſtate quadam,

Mureto propria, commendationem habent.

Omnium minime *Mureti* ingenio dignae sunt Annotationes in *Justiniani* Institutiones, ex ejus ore exceptae, quas, mendis contaminatas, nescio quis Lugduni 1602. vulgavit. Nos in iis repetendis emendatiorem Editionem Ultrajectinam secuti sumus.

Juvenilis etiam *Mureti* Commentarius in *P. Ronsardi* Amores, Gallice, *Les Amours de P. de Ronsard, commentées par Marc Antoine de Muret, a Paris* 1553. 8. etsi laudatus a *P. Burmanno Secundo* Praefat. ad *Lotich.* p. 21. sine magno lectorum damno omitti potuisset, nisi futuri essent, qui dicerent, non omnia *Mureti* Opera, quae titulus promittit, hac Editione contineri.

Haec sunt, quae sub *Mureti* nomine in lucem emissa reperiuntur. *Joannes Lamius* in Vita *Richardi Romuli Richardii* Florentiae a. 1748. Epistolam & Elegiam, sine auctoris nomine in MS. repertam, protulit, tribuitque *Mureto.* Utramque hic ponamus, ut penes lectores sit judicium:

Ric-

Riccardo Riccardio S. P.

Ain tu? vivit & valet Victorius noster? & magnus senex pulcherrimis literarum monumentis patriam suam illustrare pergit? O gratum mihi, o jucundum nuncium! nam superioribus mensibus, quae nolebamus, hic de illo sparsa erant. Nulla mihi cum homine familiaritas (nunquam enim inter nos vidimus) at singularis intercedit amicitia, quam ille munusculo non vulgari confirmaverat. Nam, praeter epistolam amanter & officiose scriptam, Aristotelis de R. P. libros summa cura castigatos dono Romam usque ad me misit; & parabam ego quidem, sed gravissimis negociis impeditus parem gratiam referre non potui. Te vero illius discipulum, juvenem moribus suavissimis, & tanto praeceptore dignum, ni amem; nae ego, quem omnes homines oderint, dignus videri debeam. Quod si vita suppetat, ut hujus meae erga te benevolentiae testimonia aliquando exstent, dabo operam.

ram. Interea (quando te ita velle intellexi) carmen mitto paucis a me horis concinnatum, luctuoso & parum grato argumento, quo immaturum tuae Reginae obitum iustissimis quidem lacrimis defleo. Quid vero in eo carmine praeter novitatis gratiam laudari possit, non video; sed ego imperitiae notam subire, quam honestissimo tuo desiderio deesse, malui. Thraciam istam legationem prospere tibi evenire opto: tu fac, ut quam primum sospes salvusque ad tuos Florentiam revertare. Bene vale. Domi, IIII. Idus Maji.

In obitu Joannae Etruriae Reginae
Elegia.

Nonus adest mensis, fatalis & appetit hora;
Jam gravis Etrusca rumor in urbe sonat.
Quid sit in incerto est, at languet regia conjux,
At soror invicti Caesaris aegra gemit.
Dicite, quis propius fas est accedere Divos,
Filius, an nata est scita puella domi?

Heu

Heu male! quod sparsis incedit Flora capillis;
Errat & huc illuc pallida turba metu.
Et Dux ille Ducum longe subspirat, & ora,
Ora prius lacrimis humida, pallor habet.
Ergo nurus magni Cosmae cadet? ergo sub umbras
Tot spes, tot curas, auferet una dies?
Et vos ignavi Medici cessastis, & artem
Non lapis, aut succis arguit herba potens?
Nec tu, Juno parens, nec opem, Lucina, tulisti?
Phillyrides ubi tunc, aut ubi Phoebus erat?
Pallet, & heu totos invasit frigidus artus
Sudor, & in media lumina morte natant.
Jam jacet Etruscas nuper Regina per urbes,
Jam cinis est, & quem tantula caelet humus.
Nondum forma tamen, nec adhuc nitor ille recessit;
Spirat in augusta fronte serenus honos.
Sic matutinae violae, si decidat imber,
Molle caput riguo deposuere solo.
I modo, & ingentes populos, & Norica regna,
Castraque Germanis inclita Caesaribus;

Et Medicûm titulos, & opes, & nomina, gentis,
Et clarum Occiduis Regibus adde genus,
Cum suprema manu legerunt fila Sorores,
Nox manet una omnes, & Stygis atra palus;
Nec remeare licet: consurgit aheneus alte
Murus, & infernas stat Canis ante fores.
Exsilit illa tamen, vinclisque exsuta malignis
Corporis, illustri legit in arce locum.
Qualis in aëria consedit turre columba;
Igne rubet pectus, cetera labe carent.
Inde graves luctus, subspiriaque aegra, mariti
Ridet, & hic mecum serius, inquit, eris.
Adspicit & natas, & qui jam regius infans
Surgit in imperium, claraque facta, patris.
Curre, puer, magnumque animis imitare parentem,
Haereat & toto pectore Cosmus avus.
Nec tibi Caesar avus, nec avunculus excidat alter
Caesar, & Austriacae nomina tanta domus.

Tu

Tu quoque jura dabis jam tum, cum pace solutus
Stet pater, & longum vixerit ille senex.
Tum te magnanimi Tusci mirentur in armis;
Adgnoscat veteres Itala terra duces.
Ibit & effusis tum laetior Arnus in undis,
Et fluet Ausoniis aemulus Ister aquis.
Dixit, & a laeva micuere impensius ignes,
Et rutilam visa est spargere stella facem.

Bandinus in Vita *Petri Victorii* p. 69. negat, hanc epistolam esse *Mureti*, propterea quod non singularis amicitia, ut ab auctore epistolae dicitur, sed perpetua simultas inter *Muretum* & *Victorium* intercessit. Cui prorsus assentimur. Accedit, ut epistola, quamvis elegans & Latina, non ea facilitate, quam in *Muretinis* miramur, scripta esse videatur. Elegiae vix quicquam ad summam elegantiam deest, etsi non sit a *Mureti* ingenio profecta. Nollem ejus auctor ultimam in *ergo* corripuisset, & *spargere stella*, neglecta de-

bi-

bili positione, durius scripsisset. Vox etiam *tantula* magis comica est, quam elegiaca, judice *Santenio* nostro.

Erunt fortasse, qui *Mureti* in *Petronium* Notas a nobis praetermissas querantur. Certe in Catalogo Biblioth. *Bodlejanae* p. 475. *Mureti Annotationes in Petronii Arbitri Satyricon. Helenopoli* 1610. 8. memorantur: cujus catalogi fidem secutus videtur *Lazerius* in Vita *Mureti* T. IV. p. 564. Sed eas Annotationes non extare, certum est. Errorem pepérit Index interpretum, illi Editioni a *Goldasto* praepositus, ubi *Mureti* annotationes referuntur, non ut editae, sed ut aliquando edendae. *Goldastus* autem haud dubie respexit verba *Petri Danielis* Praefat. ad *Petronium: M. A. Muretus, vir undecumque doctissimus, quem audio ex vetustissimo & integerrimo Codice Petronii editionem absolutissimam publice parare.*

Plura *Mureti* Anecdota Romae latent cum in Bibliotheca *Barberiniana*, tum inprimis

in

in illa Collegii Romani Soc. Jesu, in quam major pars librorum *Mureti* migravit; de quibus vide *Lazerium* l. c. Unde ut a doctis Italis in lucem vocentur, bonarum literarum caussa optamus. Vale, erudite Lector, & nobis fave.



LAURENTII SANTENII

NOTAE PROSODIACAE

IN

MURETI CARMINA.

P. 666. *vero*. Ultima male corripitur, ut post in *quandocunque* antepenultima.

P. 681. *confoveas*, verbum nihili.

P. 682. *hem* Comicis reliquerunt Elegiaci.

— — *tibi stirpe*, neglecta debili positione, ut p. 712. *praevia sternit*. p. 732. *neque splendor*. & alibi. Est tamen apud *Virgilium* semel: *Ponite: spes sibi quisque*. & apud *Propertium* Saepius.

P. 683. *equidem eveniet* male pro *quidem*.

— — *temere*. Ultima non recte producitur.

P. 686. *formosula* numeris tantum minutis convenit.

— — *Edure*. Prava lectione *Ovidii* I. Art. 476. deceptus, voce utitur non Latina.

P. 688. *Justiniane*. Syllabam *sti* facit brevem, cum sit longa in *Justinus*.

P. 690. *exotici*. Antepenultima fuerat producenda.

P. 691. *quasi*. Nisi penultimam male porrexerit, audaci exemplo elisionem neglexit. Satius fuisset & ipsum *tanquam* a *Virgilio* sumere. *Tanquam haec sint nostri medicina doloris*.

p. 196

P. 692. *Quotidie.* Corruptus locus *Catulli* ad *Manl.* 139. etiam *Mureto* fraudi fuit. Ibi monui, *quotidie* prima brevi, secunda longa, dici; quod etiam firmat *Sidonius* l. VIII. Ep. XI. 19. Vir doctus, libellum nostrum recensens, voce in trisyllabam *quotidje* contrahenda difficultati occurrere tentabat. At non vidit, sic penultimam, quae naturâ etiam longa est, positione produci, antepenultimam autem non juvari. Scripturam *cott.* non nisi pronunciationi & imperitis scribis tribuo.

P. 700. *Si tibi cura mei, sit tibi cura meri.* Ejusmodi lusum vix in epigrammate fero. Ceterum vide, quo vel optima ingenia pravis exemplis se auferri sinant. Est enim ille versus *Ovidio* suppositus a frigida manu XII. Her. ult. ut ad *Catull.* v. 85. dixi.

P. 704. *tantopere.* Ultima, nisi ad caesuram confugias, nullo modo produci potest.

P. 709. *Hoc — fusum.* Imo, *Hic — fusus.*

P. 712. *Poëtaster*, & mox *salvaster*, voces non usitatae Latinis.

P. 713. *temeti.* Imo *temeti*, prima & secunda longa.

P. 717. *adamantini*, Rectius scripsisset, *adamantei.*

P. 720. *ergo* ultima brevi, ut & p. 721. & alibi, contra melioris aetatis consuetudinem. Idem a *Mureto* perperam tentatum esse in *Ennio*, monui ad *Catull.* Manl. v. 48.

P. 723. *Nicolae* prima brevi, perperam; & p. 730.

P. 725. *vetat mori.* Vereor, ne inter has voces *usque* vel *ipsa* exciderit.

P. 727. *furtifica*, vox comica, non convenit Alcaico.

P. 742. *mucronibus.* primam syllabam perperam corripit, ut p. 676.

P. 762

P. 762. *duoi* monofyllabum facit; fatis audacter.

P. 769. *imo* ultima brevi, male.

— — *faporavit.* Inauditum, puto, veteribus verbum.

P. 774. *Ne quis.* Ut fenarium inveniam, conjicio *quis* priorum Editorum negligentia irrepfisse.

— — *ego nitido.* Ultimam in *ego* produxit, ut p. 784. & 7 5. Quae labes recentiorum carmina faepe deformat.

P. 775. *adjiciunt.* Ut metrum conftet, fcribendum *adiciunt*; ut p. 667. *reicit* pro *rejicit.*

P. 781. *prorfus.* Vox profa, non ufitata Elegiacis.

P. 798. *Ipfe viam.* Puto, *Ipfa.*

P. 817. *temere.* Quantitate lapfus fit, an caefura produxerit, dubium. Videtur tamen quantitatem tertiae & fecundae declinationis adverbiorum confudisfe.

Ceterum ex *Mureti* carminibus apparet, eum aures magis Comicis & Tragicis, quam Elegiacis, tritas habuisfe.



M. AN-


M. A. MURETI

IN

TACITI ANNALES

COMMENTARIUS.

Tom. IV.



M. A. MURETI

IN

TACITI ANNALES

COMMENTARIUS.

In Cornelii Taciti annalibus explicandis hanc rationem tenere constitui: ut in iis quae quotidie interpretanda sumam, primum quidem ea quae ad historiam pertinebunt, accuratissime ac subtilissime persequar, efficiamque, quoad potero, ne quid illorum intelligentiam vestram, si me attente audietis, effugiat: ea deinde, quae ad verborum elegantiam, quibus hic scriptor lectissimis, & ad id quod vult exprimendum accommodatissimis perpetuo utitur: quae ad structuram ac conformationem orationis, in qua nemo unquam diligentior fuit: quae denique ad eloquentiam facere putabo, indicem, eorumque vos commonefaciam: postremo colligam, & excerpam ex eo praecepta ad prudentiam, praecipueque ad civilem prudentiam, pertinentia: quorum incredibilem quandam vim his libris contineri, omnes summo consensu, etiam qui alioqui Tacito iniquiores sunt, confitentur. Quodsi semper eundem ordinem tenere non potuero, certe tamen horum trium nunquam ullum sciens omittam. Ita nullus fere abibit dies, quo non ii qui

mihi operam dabunt, & veteris historiae scientiores, & Latinae linguae intelligentiores, & aliquo ad instituendam vitam praecepto auctiores instructioresque discedant. Cujus rei ut gustum jam nunc capere aliquem liceat, agedum, principium hoc, quo reddendam rationem consilii sui, viamque sibi ad id quod instituerat, praemuniendam censuit, mecum una considerate.

IN LIBRUM I.

Urbem Romam, & cet. usque ad illud, *Postquam Bruto*] Exponit, quae caussa fuerit, cur Romanam historiam scripturus, extremis potissimum Augusti temporibus sibi exordiendum putaverit. Caussa autem haec est: quod res Romana ab urbe condita usque ad id tempus claros ac luculentos scriptores nactae essent, a quibus memoriae proderentur: at ea quae subsecuta erant, satis cum fide nemo scripsisset: id autem a se facilius posse praestari, quod quae res aliis scriptoribus, ne veram & incorruptam historiae fidem retinerent, obstiterant, earum sibi nulla impedimento esse posset.

Reges habuere] Ita quod antiquissimum in terris nomen imperii est, idem in urbe primum fuit. Regnatum autem est in urbe annos CCXLIV. aut, ut alii, CCXLV.

Libertatem] Pulsis regibus, regioque nomine in perpetuum sublato, ob constupratam per vim a Sexto Tarquinio, Superbi filio, Lucretiam: quae animae quidem suae exitum, populo autem Rom. aditum ad libertatem eodem pugione patefecit.

Et consulatum] Duo autem Consules instituti, ut ne amplius summa rerum omnium potestas penes unum esset, tum, ut in altero perfugium foret, si quid alter moliretur injusti. Creati annui, ut modestius & innocentius imperarent, cum scirent se quoque, exacto anno, privatos fore, & a se administrati magistratus rationem postulatum iri. Ex illo igitur, quam diu viguit resp. summum in urbe imperium Consulum fuit. Quodsi quae inciderunt mutationes, breves tamen illae fuerunt, usque ad imperium Augusti: quodque his verbis exsequitur Tacitus:

Dicta-

Dictaturae ad tempus sumebantur] Objicere fortasse poterat aliquis: Quid Consules modo nominas? Nonne resp. & sub Dictatoribus interdum, & sub Decemviris, & sub Tribunis militum fuit? Respondet, illa omnia brevia & extraordinaria fuisse. Quis, & quoto primum anno ab urbe condita dictator creatus fuerit, inter auctores ambigitur: & Livius ipse in tanta discrepantia negat id pro certo constitui posse. Plures tamen in hoc consentiunt, creatum esse anno nono post reges exactos. Primum alii M. Valerium Volusum, alii T. Lartium faciunt. Creabatur fere periculosis reip. temporibus. Regia plane dictatori potestas, aut etiam major. Inconsulto enim populo animadvertere in cujusque civis Rom. caput poterat. neque ab eo, antiquis temporibus provocatio erat: quam etiam a regibus fuisse, ex libris Ciceronis de rep. notat Seneca epistola CIX. Postea tamen etiam a dictatoribus provocari ad populum potuit. Antiquitus magister populi dicebatur. Creabatur e Consulibus, & ab altero consulum viva voce sine populi suffragiis. Interdum tamen Senatusconsulto permissa populo ejus creandi potestas. Equum ascendere non poterat, nisi prius rogato populo, ut id facere liceret. Id temperamentum quoddam immensae illius potestatis fuit. Creato eo, aliorum omnium magistratuum cessabat auctoritas. Soli Tribuni plebis manebant: qui etiam aliquando dictatoribus intercessisse memorantur. Terminabatur sexto mense, nisi, ita postulantibus reip. necessitatibus, prorogaretur. Ideoque ait Tacitus, *dictaturas ad tempus sumi solitas*. Duo soli dictatores perpetui creati, L. Cornelius Sulla, & C. Julius Caesar: quorum ille, cum amplius XL. millia civium occidisset, ausus est dictaturam deponere, seque publico sine ulla custodia credere: Caesar, qui ob id Sullam litteras nescisse dicebat, cum & eam retineret, & regium nomen, specie recusantis, flagrantissime ambiret, anno post oppressam remp. tertio, & dictatura simul, & animo spoliatus est. Quales Romae dictatores, tales propemodum in Graecia Aesymnetae.

Neque X. viralis potestas] Anno ab urbe condita, ut Livius numerat, CCCI. ut alii, CCCII. cum jam Consularis imperii, quo plerique superbius & immoderatius utebantur, plebem pertaesum esset, creati sunt ex Se-

natusconsulto Decemviri legibus ferendis, consulari imperio sine provocatione, qui tum ex patriis institutis ac legibus, tum ex moribus ac legibus Atheniensium, ceterarumque Graeciae civitatum, quas legati ob eam rem triennio ante in Graeciam missi, tum primum attulerant, jura describerent, quibus postea in perpetuum Senatus Populusque Rom. uteretur. Editae tum ab iis decem tabulae: quibus cum duas adhuc deesse percrebuisset: creati in annum quoque sequentem Decemviri, qui illud quasi corpus juris absolverent. Grata, ut solet, ea mutatio plebi fuit: quam diu se Decemviri comiter modesteque gesserunt. Sed ubi dulcedine dominationis abrepti, superbiam ac libidinem, prope perpetuas immodicae potentiae comites, non exercere tantum, sed & ostentare coeperunt: jamque eos in perpetuum sibi imperium continuare velle constabat, commota plebs non prius tumultuari desiit, quam, rejecto decemviratu, resp. in pristinum statum restitueretur. Praecipua tumultus caussa, App. Claudii libido, qui cum Virginiae, ingenuae ac pudicae virginis, insano amore correptus, nihil precibus, nihil precio, nihil minis perficere potuisset: allegato M. Claudio, cliente suo, qui eam in servitutem postularet, ausus etiam adversus omne fas, contraque legem a se latam vindicias in servitutem dare, patrem, virum fortem, eo necessitatis adduxit, ut medio foro, in ipsius Claudii & universi populi oculis, filiam unice caram jugulare ipse manibus suis maluerit, quam pati, ut ipsius pudicitia a quoquam minueretur. Ut igitur regibus Tarquiniis, sic Decemviris Appii vaesana cupiditas e manibus imperium extorsit. Quod autem Tacitus negat decemviralem potestatem ultra biennium valuisse; cum decemviri, etiam ex tertio anno aliquid delibaverint, recte facit. Etenim cum illud tempus, in quod eis mandatus populi suffragiis erat decemviratus, abiisset: privati jam erant, etiamsi per vim magistratuum nomen & insignia retinebant. Livius quoque ait, eam primam evenisse in reip. Rom. forma mutationem: sed eo minus insignem, quod diuturna non fuerit.

Nec tribunor. militum] Ab anno urbis CCCVIII. usque ad annum CCCLXXXVI. summa inconstantia creati sunt modo consules, modo eorum loco seni plerumque tribuni militum consulari potestate. Caussa tumul-

multuandi, quod plebs consulatum, ad quem usque ad id tempus soli nobilitati aditus patuerat, secum quoque communicari volebat. tribuni autem militum terni ex patriciis sive nobilibus, terni ex plebe creabantur. Neque quievit, donec quod volebat, obtinuit, creato primo plebejo consule, L. Sextio. Tribunorum igitur militarium consulare jus neque diu valuit, & saepe interruptum est.

Non Cinnae, non Sullae] Anno urbis DCLXVI. Cinna & Cn. Octavius Coss. civitatem in partes distraxerunt: cum Cinna Italicos, cives novos, in XXXV. veteres tribus distribueret, Octavius veterum civium caussam dignitatemque defenderet. Pulsus ab urbe per seditionem Cinna, & in ejus locum L. Merula, flamen dialis, consul suffectus. Cinna, magnis copiis collectis, ad urbem venit. Oppugnata urbs, eodem tempore a quatuor exercitibus: quibus Marius, Cinna, Carbo, & Sertorius praesidebant. Qui tandem ingressi, hostilem in modum, rapinis omnia caedibusque vastarunt. Trucidati omnes prope principes civitatis. Cinna velut in urbe capta dominans, cum sibi consulatum in triennium continuasset; postremo in apparatu belli adversus Sullam a militibus suis interfectus est. Non igitur longa ejus dominatio fuit. Ne Sullae quidem multo longior: qui, cum profligatis Cinnanis Marianisque partibus, omnia civili sanguine cruentasset, civiumque quos proscripserat, bona hastae subjiciens, praedam se suam vendere dixisset, Dictator perpetuus factus, quadriennio post, dictaturam sponte deposuit.

Et Pompeji Crassique.] Cum plurimum in civitate possent M. Crassus & Cn. Pompejus Magnus, sed infensis animis dissiderent: conciliavit eos inter se C. Caesar, seque cum eis ita conjunxit, ut jam ex eorum trium nutu tota respub. omniaque Romae ex ipsorum voluntate gererentur, ut recte cecinerit Lucanus:

Facta tribus dominis communis Roma.

Sed non ita multo post, trium potentia in unum Caesarem cessit: qua fretus remp. oppressit. Rursus, interfecto Caesare, cum spes quaedam libertatis affulsisse videretur, tres extiterunt, qui inter se imperium partirentur, M. Antonius, M. Lepidus, & C. Julius Octavianus, qui postea vocatus est Augustus. Is brevi, fuso ac

ac profligato Antonio, Lepido Circejos amandato, omnia in potestatem suam redegit. Nota haec etiam vulgo, ideoque in eis non immoror.

Qui cuncta discordiis civilibus fessa] Ob idque ad domandum faciliora, fraenique, ut ita dicam, patientiora.

Nomine Principis sub imperium accepit.] *Principis* nomen multo levius est ac mollius, quam aut regis, aut dictatoris, aut imperatoris. Nam si vim vocabuli spectes, nulla eo significatur potestas in alios. *princeps* enim nihil aliud est, quam primus. Lucretius:

Quod patrio princeps donarit nomine regem.

Et *princeps senatus* non plus potestatis habebat, quam ceteri senatores: sed tantum primus sententiam dicebat. Principio igitur Augustus non illo odiosiori & invidiosiori nomine imperatoris utebatur, quo tum summa omnium rerum potestas indicabatur: cum tamen ex Senatusconsulto, quod Caesare dictatore factum erat, eo tanquam Caesaris filius, uti posset. Sed illi immodicae, nullisque circumscriptae finibus potestati, *principis* nomen obtendebat. Ita saepe quae aspera & intoleranda sunt, mitioribus vocabulis molliuntur. Suetonius in Augusto: *Domini appellationem*, &c. Sic postea Tiberius cuidam se *dominum* vocanti succensuit, vetuitque, ne se amplius contumeliae caussa appellaret: cum diceret, se servorum tantum dominum, militum imperatorem, ceterorum civium principem esse. Tanta plerumque vulgi vaecordia est, ut, quae maxime aversari & horrere se dicit, ea sibi sub aliis nominibus patiatur obtrudi. Sed imperatorum Romanorum aures (tanta est vis consuetudinis) paulatim factae sunt talium contumeliarum patientiores: ut se jam non modo dominos, sed & deos vocari aequissimo animo sinerent. quid dixi, sinerent? nonnulli etiam juberent.

Puto in iis quae huc usque ex Tacito recitata sunt, nihil superesse obscuritatis. Nunc, ut instituimus, ea denuo relegentes, quae ad sermonis elegantiam pertinent, adnotemus. Ac primum illud *urbem Romam*, quod principio positum est, habet aliquid granditatis, imitatumque fortassis est ex illo Sallustii: *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani.* Sed & illud *habuere*, ita proprie eleganterque positum est,

ut

ut nihil supra. *Habere* enim tenere, possidere dicebant eos qui dominarentur: ut & apud juris conditores, is demum proprie possidere dicitur, qui animo domini possidet. Virgilius:

— genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.

Horatius:

O quae beatam diva tenes Cyprum.

Et *potentias* dicebant τὰς κρατούσας. Idem: *Sic te diva potens Cypri.* id est, Κύπρου κρατοῦσα, Κύπρου μεδέουσα, τῆς ἀνασσούσης. atque inde, ut opinor, non a pedibus, neque a sedibus, ductum est verbum *possidendi*, ut cujus quis rei potens est, eam possidere dicatur. Eodem igitur modo & hic accipitur verbum *habuere*. Sic in illo dicto Aristippi: cui cum objectum esset, quod haberet Laidem, *Habeo*, inquit, *sed non habeor*. Ita enim vertit Cicero in epistolis, ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. Sappho: [illegible] ἔχοισα πάντα [illegible]. Sic alicubi Seneca, *avatos*, ait, *non divitias habere*, *sed a divitiis haberi*, id est, non ipsos pecuniae, sed ipsis pecuniam imperare. *Habere* est regere: *haberi*, regi. Sic *vir uxorem habere* dicitur: *uxor a viro haberi*. Nunc considerate mihi orationem singulari artificio conformatam. *Dictaturae*, inquit, *ad tempus sumebantur*. hoc seorsum: deinde quia inter decemviros & tribunos militum consulari utrosque potestate magna similitudo erat, utrosque eodem verbo devinxit. *Neque decemviralis*, inquit, *postea v. b. n. Trib. m. c. jus diu valuit.* Eademque caussa fuit, cur Cinnam Sullamque conjungeret. *Non Cinnae*, inquit, *non S. l. d.* Illa quoque plane gemina: triumviratus, ita enim vocari potest, Pompeji, Crassi, Caesaris, qui Caesari, & triumviratus Antonii, Lepidi, Augusti, qui Augusto gradus ad opprimendam remp. fuit. Convincienda igitur & haec fuerunt. Cumque illos plurium dominatus caesim membratimque dixisset, simplicem & absolutam unius dominationem, simplici & absoluta verborum comprehensione conclusit: *Qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit.*

Hic vero, auditores, licet mihi cum Virgilio dicere:

— major rerum mihi nascitur ordo, Majus opus moveo.

Sequitur enim, quod tertio loco me facturum esse dixi, ut ex his Taciti verbis, ea, quae ad civilem prudentiam per-

pertinent, colligam: qui maximus historiae fructus est. Hoc igitur dum facio, quaeso, diligenter attendite. Inprimis diligenter animadvertendum censeo luculentum exemplum eorum, quae de rerump. conversionibus ac mutationibus, deque earum caussis homines sapientissimi tradiderunt. Iustissimum enim est, maximeque naturae consentaneum imperium regium: ut quod plane simile ac geminum sit paterno. Itaque poëtae Iovem eundem patrem ac regem hominum ac deorum vocant. Et Homerus, Ulixem, ait, erga populos suos tanquam mitem quendam patrem fuisse. Sed humani animi vitio regnum in tyrannidem facile degenerat. Magna enim potestas inebriat homines, eoque interdum eos perducit, ut unicum potentiae argumentum, contumeliae licentiam putent. Irritantur ergo & exasperantur multitudinis animi, quae si ducem nacta sit, non conquiescit, donec aut tyrannum cum stirpe exstinxerit, aut, eo pulso, iugum servitutis excusserit. Ita Sex. Tarquinii libido, ut non regnum modo longa iam vetustate confirmatum ac corroboratum, sed ut nomen ipsum regium ex rep. Romana in perpetuum tolleretur, effecit. Debent igitur reges eo ipso putare sibi minimum licere, quia plurimum licet: neque posse se populos regere, nisi cupiditates suas rexerint: ac praecipue cavere, ne in se viros fortes ac magno animo praeditos provocent. Humiles enim & abjecti, quanquam eis quoque abstinendum est, plerumque tamen acceptа injuria aut mussant, aut, si quid moliri voluerint, non magno negotio comprimuntur: at provocata virtus acres sub pectore stimulos subjicit: neque facile restinguitur ardor vindictae, quem in viri fortis animo indignitas contumeliae accenderit. Minore periculo in vili aliqua & abjecta muliercula peccasset Tarquinius, at quod in ea peccatum foret, cui pater Sp. Lucretius, vir Collatinus esset, sola regni eversione poterat expiari. Simile quiddam & postea decemviris accidit: quorum potestatem, quasi incendium aliquod, in civitate grassantem, Virginiae sanguis extinxit. Expulsis igitur tyrannis, servitutem consecuta libertas: isque qui antea minimum poterat populus, plurimum posse coepit. Neque tamen ἄκρατος illa libertas fuit, qualis Athenis erat, ubi Plato ait non hominibus modo, qua servis, qua liberis, sed mulis etiam & asinis summam licentiam fuisse.

immo

immo vero rudis ille, & expers Graecarum artium, populus, qui usque ad id tempus nihil praeter ligones & arma tractaverat, ita remp. suam temperavit, ut non Solon, non Lycurgus, melius id ac sapientius praestare potuisse videatur. Nam cum tria sint recta reip. genera, regnum, potestas optimatum, & potestas populi: eaque omnium optima ac firmissima sit, quae non simplex omnino, atque unius generis fuerit, sed e singulis quod in quaque optimum videtur excerpserit, qualis antiquitus Lacedaemoniorum fuit: summo consilio videntur veteres Romani suam ex tribus illis generibus permiscuisse ac temperasse. Ac regium quidem nomen aversabantur & oderant: regiam tamen potestatem multas ad res, praecipueque ac bellicas, necessariam intelligebant. Multo enim melius administrantur bella, cum unus summae rerum praeest, quam cum multorum expectanda sententia est: & hoc vel praecipue Demosthenes superiorem Philippum Atheniensibus dicit. Ac videre est hodieque in eis civitatibus, quae a multis reguntur, cum bellum gerendum est, unum deligi, cui potestas in exercitu summa tribuatur. Ut igitur Lacedaemone bini reges erant, quorum unus domi jura civibus redderet, deque iis, quae tempus postulare videretur, ad senatum referret; alter, cum e finibus eduxisset exercitum, vitae necisque potestatem in eos qui militabant obtineret: ita Romani binos consules potestate prope regia creaverunt, qui in urbe quidem civium controversias disceptarent; senatum consulerent, haberent comitia, ad populum, quae ex usu erant referrent (*), milites conscriberent, exercitibus autem summo ac plane regio cum imperio praeessent: ita tamen ut scirent rationem se postea eorum, quae gessissent, exigendos. Hoc Romani sapientius, quod Lacedaemoniorum regnum & perpetuum erat, & hereditarium: Romani consules & creabantur suffragiis civium, & annui erant. Hoc igitur temperamento adhibito, quod in regibus odiosum erat, sustulerunt: quod salutare ac necessarium reip. retinuerunt. Jam ut apud Lacedaemonios in

(*) Latinitas postulat *ferre ad populum*, *referre ad Senatum*. Nec moveor exemplis, quae pro *referre ad populum* attulit Ernestus Clav. Cic. V. *Referre* Mox etiam Muretus minus proprie scripsit, *populus leges ferebat*, pro *jubebat*.

in senum collegio, sic apud Romanos in senatu optimatum potestas perspici poterat. Ut apud illos in omnibus vitae partibus probatum esse oportebat, qui se in collegium senum admitti postularet: sic apud hos non nisi spectatae virtutis & prudentiae viri in senatum a censoribus legebantur, &, si qui non satis ex illius ordinis dignitate se gererent, movebantur. Senatus de gravioribus criminibus aut cognoscebat ipse, aut cognitionem mandabat, pecuniam publicam in potestate habebat, legationes mittebat, missas ab aliis audiebat, de publicis omnibus negotiis consulebatur, ac decernebat; sine senatus auctoritate non bellum suscipi, non pax fieri poterat. Summa in illo concilio gravitas, summa dignitas, summa majestas erat: ut non immerito Cyneas, Pyrrhi legatus, interrogatus, quae sibi Romani senatus visa facies esset, totidem sibi regum consessum visum esse responderit. Ut igitur, si quis consulum modo potentiam spectasset, facile putasset, Romam regio adhuc imperio subesse, ita qui senatus tantum auctoritatem considerasset, optimatum eam gubernationem esse existimasset. Praecipua tamen potestas penes populum erat. Et hoc significat Tacitus, cum ait: *Libertatem & consulatum L. Brutus instituit.* Libertatem enim cum dicit, democratiam intelligit: cujus praecipuum finem esse Plato & Aristoteles docent, ἐλευθερίαν, καὶ ἰσηγορίαν καὶ ἰσονομίαν, id est, ut omnes in civitate libere vivant, libere loquantur, & aequo jure sint. Itaque antiquitus qui libertatem, aut potius licentiam amabant, & more ac modo suo vivere volebant, Athenas potissimum confluebant: quod illic maxime omnibus libera omnia essent. & eo respiciens ille ex Adelphis Sannio,

Hiccine, inquit, *ajunt libertatem aequam esse omnibus?* Sed ne extra septa, quod ajunt, evager, plurimum Romae, ut modo dicebam, populus poterat. Populus leges ferebat: quarum praecipuum in omni civitate robur est: & ex quibus maxime, qualis quaeque respub. sit, judicatur: populus honores & imperia mandabat: populus solus de capite civium judicabat. Ita quibus duabus rebus vitam hominum contineri dicebat Democritus, poena & praemio, earum utraque, populi potestate continebatur. Admirabili etiam consilio provisum ac prospectum erat, ne harum partium ulla ceterarum utilitatibus carere: neve consules aut senatum, aut populum, neu sena-

senatus populum, aut populus senatum despicere, suamque caussam a caussa communi sejungere ac separare posset: sed omnes mutuae indigentiae vinculo, quo nullum firmius est, inter se adstringerentur. Vix itaque videbatur ulla res evenire posse tanta, quae perturbaret illam harmoniam, quae tam bene fundata labefactaret, tam sapienter colligata dissolveret: si rerum humanarum fragilitas & instabilitas quidquam in eis aeternum esse pateretur. Quidam consulatu insolentius usi, rerum novarum studium in populi animis excitarunt. Creati decemviri: quod sparsa in plures potestas & licentiae & invidiae minus habitura videretur. Indignatur enim fere plebs, aut unum aut paucos posse omnia: plures dominos aequiori animo ferunt: cum sperent, obstituros alios, si quid unus superbe aut improbe molitur. His quoque potestate abutentibus, ob idque dejectis, varie creati modo consules, modo tribuni militares: ut male affectis ac laborantibus jucunda, etiam interdum in deterius, crebra mutatio est. Sed res ipsa docuit, verissimum esse quod scripsit Plato, nihil tam cavendum esse civitatum fundatoribus, quam ne pro una duas faciant civitates. Sunt autem duae pro una civitates, quoties pars altera civium dominatur ac floret, alteri ad honores & imperia ita praeclusus aditus est, ut eum recludere ne virtus quidem, quae sola veri honoris mater est, possit. Hoc inter cives perpetui cujusdam odii atque invidiae seminarium est: neque potest quisquam ex animo eam rempublicam amare, in qua se laboris ac periculi participem, honoris ac dignitatis exsortem videat fore. Quo magis amanda & admiranda ecclesiastica resp. est, in qua, ut alia, sic hoc quoque divinitus institutum ac receptum est, ut neque paupertas, neque generis obscuritas aditum ad summas dignitates cuiquam, qui modo virtute ac meritis nitatur, occludat. Huic incommodo Romani de principio non satis prospexerant, qui soli nobilitati, id est, patriciis: illi enim tunc soli nobiles erant: consulatum & ordinem senatorium patere voluerant: plebejos, maximam, ut in omni civitate, multitudinem excluserant. Neque hoc satis. Inter patres & plebem ne connubii quidem jus erat. Ea seges ac materia tumultuum: is fons, haec origo seditionum fuit. Hinc illae veteres secessiones: hinc, etiam his rebus utcumque compositis, Gracchanae, Marianae, ac Sullanae tempestates extiterunt: quae,

quae, suae utrisque partibus ambitioni, aut plebem aut senatum praetendentibus, huic urbi excidium prope ac vastitatem attulerunt. Nam hoc quoque non immerito aegre ferebat plebs, nobiles divitiis affluere, egestate se & aere alieno premi: agros suis periculis, suo sudore ac sanguine comparatos, ab aliis ignavia torpentibus, luxuria diffluentibus possideri. Magna hinc paupertas, magnae illinc divitiae, periculosa res civitatibus: mediocritate servantur. Jam illa Pompeji primum, & Crassi, & Caesaris, deinde, Caesare extincto, Antonii, Lepidi, & Octaviani conjuratio aperte confirmat id, quod ab iisdem, quos ante nominavi, philosophis traditum est, non esse patiendum, ut in libera civitate privatorum potentia supra modum augeatur. Facile enim hoc modo popularis status in paucorum imperium vertitur: quorum qui primus alios aut vi opprimere, aut dolo circumvenire, aut casu aliquo amovere potuit, is unus, nemine jam adversari audente, dominatur. Nunc, si vobis volentibus est, cetera Taciti persequar.

Sed veteris pop. Ro. prospera]. Ut Fabio Pictori, Coelio Antipatro, Q. Quadrigario, M. Catoni, Cornelio Nepoti, Sallustio, Livio, aliis.

Temporibusque Augusti]. Magnum enim Augusti aetas ingeniorum proventum extulit, & tamen hodie qui Augusti temporibus vixerit, & eorum temporum historiam scripserit, nemo reperitur. Suetonius quosdam nominat, Aquilium Nigrum, Julium Saturninum, C. Drusum, alios.

Multa hic, quae ad Latini sermonis elegantiam pertinent, notanda sunt. Primum illud, *prospera* & *adversa* dici τὰς εὐτυχίας καὶ τὰς δυστυχίας. *Adversitates* enim Latine dicere non poterat. Sic lib. 3. *inlustrium domuum adversa*. lib. 4. *paternis adversis*, & eod. lib. *adversis casuum*. qui locus vulgo depravate legitur. Sic in libris juris, *incertum conditionis*, *certum temporis*, quod barbari, *certitudinem* & *incertitudinem* dicunt. Tum illud, *claris. scr. m. sunt*, ἐπιφανῶς dictum, quasi si dixisset, a claris scriptoribus. Sic Cicero in divinatione, *mihi elaboratum est*. Sic Horatius, *Diceris Vario*. Propertius: *Dum tibi Cadmeae dicuntur Pontice Thebae*. Virgilius: *Cui non dictus Hylas puer*. *Decora* sunt pulchra, εὐπρεπῆ. Virgilius in 1. *namque ipsa decoram Caesariem nato genitrix*. Idem in quarto: *pectus percussa decorum*. Horatius: *Et Lycum nigris oculis n. q. s. d.* Jam mihi illud

illud animadvertite, quia arte varietatem, quae suavissimum orationis condimentum est, huic loco quaesierit, qui, cum alterum ajendo extulisset, *sed veteris pop. Rom. prospera vel adversa cl. scr. mem. sunt:* alterum negando subjecit; *temporibusque Augusti dicendis non defuere ingenia.* Neque non illud ad variandam orationem pertinet, quod in priore ipsam hylen ac materiam scribendi verbo antepofuit, scriptores subjecit: in posteriore contrarium ordinem tenuit. Mutate: ut eodem utrumque modo efferatis. quantum, illa varietate detracta, de orationis venustate decedat, intelligetis. Minuta haec & tenuia sunt, fateor. Sed tanto plurium oculos fallunt. Mihi autem propositum est, omnia in hoc scriptore, quam potero λεπτομερέστατα, excutere. Ait igitur non defuisse temporibus Augusti dicendis decora ingenia, *donec gliscente adul. de.* *Gliscere* dicuntur quae crescunt ac vegetiora fiunt: *deteri*, quae paulatim, ut ita dicam, carpuntur, quibus aliquid quotidie decedit, quae adsidue se ipsis deteriora fiunt. nam inde & ipsum *deterioris* nomen ductum est. Ut igitur crescente liene, ajunt, cetera membra tabescere: ita crescente adulatione, ingenia tabescunt, quae nulla re magis quam libertate aluntur. *Nihil* autem tam adversum libertati, quam aut tacendi aut adulandi necessitas. Ajunt, puerorum infantium corpora nullis fasciis apud Germanos adstringi, ideoque proceriora fieri. Idem ingeniis evenit. Servire nolunt. Nisi impetus suos solutos ac liberos habeant, enecantur: Itaque certissima ingeniorum pestis est princeps, qui nullam vocem ferre paulo liberius jactam potest. Sed ad Taciti verba redeamus.

Tiberii, Cajique, & Claudii, &c.] Et metus & odium impedimento sunt historiam contexere volentibus. Metu fit, ut vera dicere non audeant, odio, ut interdum falsa confingant. Metu quae reprehensione digna sunt, aut tacentur, aut extenuantur, aut etiam in contrarium versa laudantur. Odio quae peccata sunt exaggerantur, & in majus attolluntur: quae recte facta, aut supprimuntur, aut elevantur, aut depravantur. Itaque ubi illa sunt, inde exulat fides. Ergo neque qui sub Tiberio, sub Cajo, sub Claudio, sub Nerone scripserunt, neque qui paulo post, cum in locum timoris successisset odium, satis cum fide res ipsorum scribere potuerunt. Omninoque suorum tem-

temporum historiam sub tyrannis scribere, sapientissimi homines semper periculosae plenum opus aliae judicarunt. Aut enim fidei, aut capitis discrimen adeundum est. Aesopum Soloni olim dixisse ajunt, cum regibus loquendum esse ἢ ὡς ἥδιστα, ἢ ὡς ἥκιστα. Id praeceptum etiam ad eos qui de regibus scribunt pertinet. Durum est enim scribere in eum, qui potest proscribere, & gladio ἀποκεφαλίζειν. Nunquam tuti lusus cum leonibus fuerunt. Nunc illud, quasi praetereuntes notate: cum hi quatuor imperatores omnes e gente Claudia, ceteri ortu ipso, Nero adoptione, fuerint; discriminis caussa, duos priores praenomine, tertium gentilitio nomine, quartum cognomine indicari.

Inde consilium mihi pauca de Augusto,] Quoniam dicendis plerisque rebus ab eo gestis praeclara, ut dictum est, ingenia non defuerunt. *Et extrema:* quia tunc adulatio gliscens ingenia detriverat: *Tradere: mox Tiberii principatum, & cetera*, usque ad excessum Neronis. Nam a Neronis excessu usque ad imperium Nervae, jam antea scripserat. *Sine ira & studio, quorum caussas procul habeo.* Nam ab iis, de quibus scripturus sum, neque beneficium ullum, neque injuriam accepi. Eadem autem prope sententia est prooemii in libros annalium ab excessu Neronis, ubi ita scribit: *Post conditam urbem DCC. & XX. prioris aevi*, &c.

Hinc autem excerpere hoc quoque, quod ad prudentiam pertinet, possumus: & stulte & impudenter facere eos, qui quae a magnis ac luculentis scriptoribus splendide ac magnifice tractata sunt, quasi quodam contentionis studio, denuo sibi tractanda proponunt. Quo nomine graviter reprehendit Plutarchus in Nicia Timaeum, qui quae Thucydides & Philistus copiosissime ornatissimeque descripserant, ea denuo scribere aggressus, nihil aliud quam infantiam & inscitiam suam patefecerit. Idemque in Artaxerxe pugnam divinitus a Xenophonte descriptam, negat sani hominis esse, iterum describendam suscipere: quare se ea tantum quae Xenophon omisisset, persecuturum.

Absolvimus Taciti prooemium. Cum autem τὸ αὔλημα tale fuerit, cogitate, qualem illum legitimum cantum putetis fore.

Postquam Bruto & Cassio caesis &c. usque ad illum locum

locum, *cetera*. *Aug.*] Principium hoc narrationis est. Exponit autem paucissimis verbis, qui fuerit rerum status, quo tempore Augustus remp. invasit, quibusque artibus viam sibi ipse munierit ad eam facilius occupandam. Caesare occiso, non eadem omnium fuit super ea caede sententia. Quidam illius auctores ut tyrannicidas, ut libertatis publicae vindices, omnibus maximis honoribus: quidam ut parricidas qui patrem patriae, qui eum a quo plerique ipsorum vitam acceperant, per nefariam proditionem interfecissent, acerbissimis suppliciis afficiendos esse censebant. Acerrimi ulciscendae caedis auctores ac duces, M. Antonius consul, & magister equitum, Lepidus. Augustus, qui tum, annos natus duodeviginti, Apolloniae studiorum caussa versabatur, cum Romam venisset, primo se ad Antonium contulit, a quo neque ita, ut sperabat, exceptus, & magna hereditaria pecunia fraudatus, mutato consilio, conciliatis sibi veteranis patris sui, justoque exercitu privatis sumptibus collecto, ad optimates se recepit, quibus invisum esse Antonium sentiebat. Commendatus est Senatui, Ciceronis praecipue opera, semper boni civis, sed non semper cauti. Missus igitur *Propraetore* a senatu, una cum Hirtio & Pansa, *consulibus*, ad D. Brutum, quem Antonius hostis a senatu judicatus, Mutinae obsidebat, liberandum; obsidionem solvit, fuso ac profligato Antonio. Cecidit in eo bello uterque consul. Victores exercitus occupavit Augustus. Creatus consul anno aetatis vicesimo, quaesita occasione, descivit a senatu, seque cum Antonio Lepidoque conjunxit. Hi se Triumviros *reip.* verbo *constituendae*, re opprimendae *caussa* in quinquennium creavere. Secuta illa nunquam satis damnata proscriptio. Relicto in urbe Lepido, Antonius & Augustus adversus Brutum & Cassium profecti, in Philippis denique (quasi solum illud parum adhuc Romani sanguinis ebibisset,) ita eos devicerunt, ut minimum abfuerit, quin ipsi vincerentur. Prior Cassius, deinde, audita ejus morte, Brutus interficiendum se uni ex suis dedit.

Postquam igitur Brut.] Omnes enim quae S. P. Q. Romani fuerant copiae, in potestatem Triumvirorum venerant: deserta respub. sine ullo praesidio jacebat, non jam, an servitura esset, dubitans, sed cui servitura esset, expectans.

Pompejus apud Siciliam oppressus.] Sex. Pompejus, Magni F. cum ex Hispaniensi bello, in quo frater ipsius ceciderat, evasisset, Siciliam & Sardiniam occupaverat, obsessoque mari urbem frumento ac commeatu interclusam tenebat. Is cum aliquot prospera praelia fecisset, adeo ut se Neptuni filium esse jactaret, & tanquam insigni ac velamento originis, veste caerulea uteretur, ad postremum fusus, inter Naulochum & Mylas; Mileti tandem interfectus est.

Exutoque Lepido]. Quem ex Africa ad opem ferendam evocatum, dein superbientem XX. legionum fiducia, Augustus, cum eum exercitu, pari audacia ac felicitate spoliasset, Circejos in perpetuum relegavit: verumque esse docuit, quod postea cecinit nobilis poeta: *Nulla fides regni sociis.*

Interfecto Antonio] Qui, cum Cleopatrae, cujus amore insaniebat, imperium R. polliceri ausus esset, ingenti praelio superatus ad Actium promontorium, Alexandriae, quo se, impudicam reginam sequens, fuga receperat, infelicem animam gladio eduxit. Postquam igitur, exuto Lepido, interfecto Antonio, non modo Pompejanis, quarum vix jam cinis ipse supererat, sed *ne Julianis quidem partibus nisi Caesar, dux reliquus.* C. Julius Caesar Octavianus D. F. cujus tunc potestate omnia tenebantur, *posito Triumviri nomine.* Quorsus enim se amplius triumvirum diceret, cum ex collegis alterum ad mortem compulisset, alterum, omni dignitate detracta, infra mortuos amandasse videretur? Non jam igitur amplius triumvirum, sed *consulem se ferens*, ut praetexto legitimi & usitati imperii nomine, facilius quo volebat, perveniret. Fuit autem hic quintus Augusti Consulatus. *Et*, verbo quidem *ad tuendum plebem*, re autem ipsa ad confirmandam potentiam suam, *tribunitio jure contentum.* Non poterat per leges eodem tempore, plures magistratus gerere: & tamen omnium magistratuum vim ac potestatem in se unum transferre cupiebat. Ergo, qui summus erat in urbe magistratus, consulatum dico, eum, cum visum est, & quam diu ac quoties visum est, occupavit. Cum autem tribunorum plebis maxima etiam esset auctoritas, ut qui aliis omnibus magistratibus intercedere, eorumque conatus impedire possent: (nam si unus tribunus dixerat, *veto*, irritum erat, quicquid agebatur)

batur) cum ipsos quoque consules nonnunquam obtorto collo in carcerem traherent: cum senatusconsulta arbitratu suo rescinderent: cum, quod caput est, sacrosancti essent: ita ut eos violare, aut invitos attingere, piaculum haberetur: noluit quidem Augustus tribunus pl. esse, cum jam consul esset; praetereaque jam patricius effectus adoptione in gentem Juliam, tribunatum plebis capere non posse videretur: sed Tribuniciam potestatem a senatu petiit, obtinuitque, quid enim tunc petenti Augusto negari poterat? ut esset non una & consul & tribunus plebis, sed, inverso loquendi genere, *consul tribunitiae potestatis*. Hoc autem se facere simulabat, ut plebem tueretur: quoniam ea tribunorum creandi caussa principio fuerat. Speciosa nomina, res capitales, & ad reipub. exitium pertinentes. Ac videre, quemadmodum posterior quisque tyrannus priore cautior esse soleat. Sulla dictaturam in perpetuum acceptam deposuerat: seque in apertum capitis discrimen objecerat. Caesar, quod ipse quoque Sulla jam privatus eventurum quandoque praedixerat, semel acceptam mordicus retinuit, secutus Dionysii dictum, *qui non nisi pedibus tracto, tyrannidem relinquendam esse* dicebat: sed dum vel lenitatis ac clementiae famam aucupatur, vel, quod magis credo, naturae suae in conservanda etiam inimicissimorum salute obsequitur, in custodienda sua parum cautus ac diligens fuit: ita ut ab iis perierit, quos ipse servarat. Exitus Caesaris Augustum docuit, quid facto opus foret. Itaque cum maxima pars fortissimorum civium in tanta longitudine bellorum civilium extincta esset; quod reliquum erat, sustulit proscriptio: ut ne Ciceroni quidem ipsi, qui Augustum ad illam potentiam magna ex parte perduxerat, quemque Augustus in omni sermone *patrem suum* vocare consueverat, parceretur. Quodsi hoc Caesari dictatori in mentem venire potuisset, ut potestatem tribunitiam assumeret, fortasse religio illa, qua tribunos violare nefas putabant, & nonnullorum animos ab ipso violando retardasset, & alios ad opem ferendam excitasset. Ea igitur se muniit & armavit Augustus, ne quid omitteret, quod aut ad constabiliendam potentiam, aut ad salutem in tuto collocandam utile videretur. Sed ut medici prius praeparant eos, quibus valentiora pharmaca praebituri sunt; sic Augustus mollibus quibusdam & leni-

lenibus [illegible] permulcendos esse homines duxit, quo facilius illud amarissimum poculum servitutis obliniret. Consul igitur, & illa quasi lorica tribuniciae potestatis armatus, non tamen confestim summam sibi rerum omnium potestatem aperte vindicavit.

Sed ubi militem donis &c.] Sic locutus est & lib. II. *Nam cuncta legum & magistratuum munia in se trahens princeps, materiam praedandi patefecerat.* Videte autem, quo artificio sibi Augustus omnium conciliarit animos, quamque callide intellexerit, quo maxime quisque caperetur. *Militem*, inquit, *donis*. Militares enim animi toti ad lucrum intenti sunt; neque ulla re magis, quam donis permoventur. Est quidem verum illud Homericum: [illegible] Sed multo verius in iis, qui exigua pecuniola adducti, vitam suam quotidie in omne discrimen exponunt. Quando enim pecuniam negligent, qui vitam ipsam prae pecunia negligunt? Itaque quantum apud milites dona possint, magis etiam posterioribus saeculis intellectum est, cum, ut quisque amplissimum donativum obtulerat, ita ad eum imperium deferebant, non diutius imperare passuri, quam dum reperiretur, qui amplius polliceretur. Et erant, qui, tanquam in auctione, licitarentur, non quanti imperarent, sed quanti paulo post morerentur imperatores. Pellexit igitur Augustus militem donis, *populum annona*. Nihil est enim quod populum magis torqueat, aut facilius ad seditionem populares animos concitet, quam annonae difficultas. Urget enim fames: qua, ut ait Homericus Ulixes, mori molestissimum est: neque sui oblivisci patitur: *venterque*, ut proverbio dicunt, *aures non habet*. Neque vulgo odiosiores ulli sunt, quam qui annonam incendunt, & excandefaciunt: neque ulli magis, quam qui eam sublevant, populum demerentur. Reditum Ciceronis ab exilio jucundiorem populo fuisse ajunt, quod summam, quae antea fuerat, annonae caritatem summa vilitas consecuta est. Sapienter, ut solet, Tacitus noster libro quarto annalium ab excessu Neronis ait, vulgo alimenta in dies mercari solito unam esse ex repub. annonae curam. Auri, purpurae, honorum plus apud alios esse, plebs aequo animo fert: quiescere esuriens non potest. Cum igitur Siculo adversus Sex. Pompejum bello caritas effecta esset, vilitatem

redu-

reduxit Auguſtus. Ita populum pellexit annona. *Cunctos dulcedine otii.* Nihil enim fatigatis dulcius eſt quiete. & populum Rom. multorum annorum continentia bella ita laſſaverant, ut ocium quolibet mercede redimendum putaret.

His igitur illecebris cum ſibi omnium voluntates devinxiſſet Auguſtus: tum demum *inſurgere*, non ἀθρόον tamen, ut Hesiodi verbo utar, ſed *paulatim*, ſeſeque ultra civilem modum attollere. *Munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere*, quaſi ceteros labore exſolveret: ipſe omnem moleſtiam reipub. cauſa in ſe transferre ac ſuſcipere vellet. Legationes antea in ſenatu audiri ſolebant. Hac moleſtia ſenatum liberavit Auguſtus. Audiri quidem eas voluit & in ſenatu nonnunquam: ut ſenatus aliquid tamen agere videretur: ſed pleraque domi, paucis adhibitis, ipſe cum videbatur audiebat. Senatus de pace, de bello, de provinciis deliberabat. Quid opus erat, tam multos ſenes tantum laborem capere, tam mane convenire in curiam, tam multa ibi audire, tam multa dicere, tam veſperi domum feſſos & viribus exhauſtos redire? Valetudini ac quieti eorum proſpexit Auguſtus. Domi haec cum paucis tractare coepit. Magiſtratuum varia ac multiplex procuratio erat. Auguſtus conſulatum quidem, qui praecipuus erat magiſtratus, ſumpſit ſibi, cum voluit, quam diu voluit, & quoties voluit. Nam ut nos veſtem; ſic ille conſulatum, cum voluerat, capiebat, deponebat, reſumebat; neu populus de dando ei collega ſollicitus foret, ipſe ſibi collegam, quem libuerat, non qui una imperaret, ſed qui imperata faceret, cooptabat. Magnum in repub. onus tribuni plebis ſuſtinebant. Ipſe tribunatum quidem non cepit: ſed, ut eos onere levaret, poteſtatem tribuniciam accepit. Cenſorium munus quam moleſtum, quam grave? locare publica, ſenatum legere, populum cenſere, anquirere in omnium mores, alios ſenatu movere, aliis equum publicum adimere, alios in Caeritum tabulas referre, multos notare, in multorum odia incurrere. Odioſa res, & negotiis plena. Igitur cenſuram quidem non ſumpſit Auguſtus: ſed, alio vocabulo morum regimen ſumpſit. O hominem laborioſiſſimum & alienae quietis ſtudioſiſſimum! Magno tumultu, magno molimine, magno concurſu civitatis leges antea roga-

 ban-

bantur. Tollatur illa quoque tumultuandi materia. Quod Augusto placuerit, pro lege habetor.

Sed, cum haec omnia in se traheret Augustus, nemone illius conatibus obviam ire ausus est? Immo vero quicquid concupiverat, assecutus est, *nullo*, ait Tacitus, *adversante*. Quonam igitur Romana virtus prolapsa erat? Quo vetus ille vitae potius quam libertatis amittendae ardor abierat? Nullane scintilla virtutis antiquae reliqua erat, quae in posterorum pectoribus viveret? Catonem ferunt, cum quatuordecim fere annos natus, crebro in aedes Sullae a paedagogo duceretur, videretque illic multos torqueri, multos duci, multorum nobilium civium oblitа cruore capita adferri, quaesiisse ex magistro, cur nemo reperiretur, qui Sullam interficeret: cumque is respondisset, eum ab omnibus metui: *Cur tu ergo*, inquit, *venienti huc mihi gladium non dedisti, ut patriam liberarem?* Nemone igitur vir erat, qui Catonis vix dum puberis animum indueret? Vere vetus ille Rhinthonis versus de Romanis tunc dici potuit:

Οἱ μὲν [illegible], οἱ δ' [illegible].

Alii quidem tales non erant, ut quidquam magnum ac memorabile susciperent, alii autem negligebant. *Cum ferocissimi*, minimeque patientes servitutis, *per acies*, ubi Mars fortissimum quemque pignoratur, *aut proscriptione cecidissent*. Nam ii potissimum proscripti sunt, quos triumviri conatibus suis obstare posse credebant. Multos ignaviae simulatio texit. *Ceteri nobilium quanto quis servitio promptior*, & ad omnia aequa, iniqua accipienda ac perferenda paratior, *opibus & honoribus extollerentur*. ita & avaris & ambitiosis explebatur animus. maxima autem pars hominum, aut altero eorum vitiorum laborat, aut utroque: *novisque ex rebus*, id est, ex illa commutatione reip. *aucti*, & divitiis & dignitate cumulati, *tuta & praesentia quam vetera & periculosa mallent*. Ita dum sibi consulerent, quomodo in publicum consuleretur, non laborabant: rebusque suis intentos, alienarum facile capiebat oblivio.

Ergo in Urbe quidem, tuta & composita omnia. nemo erat, qui adversus Augusti voluntatem hiscere auderet. Quid in provinciis? *Neque provinciae*, inquit, *illum rerum statum abnuebant*, &c. Admirabilem scriptorem & prudentiae plenum! Non nude ac simpliciter, ea de

quibus agit, exponit: sed caussam, cur ita fuerit, ubicunque opus est, subjicit. Neminem in urbe Augusti coeptis adversatum esse, & cur nemo adversatus sit, docuit: nunc ne provincias quidem illius imperium detractasse, & cur non detractaverint, docet. Cur ne provinciae quidem illum rerum statum abnuebant? Quia suspectum eis erat senatus populique imperium. Cur suspectum? Duas ob caussas, certamina potentium, & avaritiam magistratuum. Certamina potentium eo provincias adducebant, ut nullum salutare consilium capere possent. Dissidebant Sulla & Marius? Qui Sullae partes sequebantur, diripiebantur a Marianis: qui Marii, a Sullanis. Quid hic miserae provinciae consilii caperent? quomodo anceps & utrimque imminens exitium effugerent? Vix illa tam atrox tempestas sedata erat; cum alia multo atrocior exorta est, bello civili inter Pompejum & Caesarem excitato. Ab utris haec aut illa provincia diriperetur, incertum erat: ab alterutris quidem prope omnes diripi, necesse erat; & interdum plus incommodorum accipiebant ab iis, quorum partes fovebant, quam ab iis, a quibus abhorrebant. Ne quiescere quidem & exspectare certaminis eventum licebat. Ut Solon, ita Pompejus, neminem in seditione civili otiosum esse patiebatur. qui quiescerent, eos se pro hostibus habiturum esse dicebat. O miseram illorum temporum conditionem: cum furiosae duorum hominum ambitioni tam multorum fortium virorum sanguini litabatur. Hem patria, quanto cum dolore hac in parte tui recordor? Quo, quo te miseram, potentium certamina redegerunt? Omnia veteris crudelitatis exempla in calamitatibus tuis renovata sunt. Intestinae potentium dissensiones, te, cui prius, etiam qui non te oderant, invidebant, nunc etiam invidis & hostibus miserandam reddiderunt. Sed omittamus haec, quorum acerbissima cogitatio est, & animum ad vetera referamus.

Certamina igitur potentium suspectum provinciis senatus populique imperium fecerant. At illa certe continentia non erant: interquiescebant aliquando, & provincialibus reficiendi ac recreandi sui spatium dabant. Immo vero plerumque quamlibet atroci bello gravior & exitiosior pax erat. Mittebantur in provincias non pro-

 prae-

praetoribus, sed pro praedonibus homines exhausti, famelici, enecti, aut, quod pro eodem est, divites quidem & abundantes, sed avidi atque inexplebiles, quorum insatiabilem cupiditatem ipsa copia incenderet: qui sacra, profana, publica, privata omnia diriperent: qui tantum habere quemque in provincia fas putarent, quantum sibi superfuisset: qui non hostium aut latronum, sed harpyiarum in morem omnia depraedarentur: neque domos modo provincialium exinanirent, sed eorum ipsum sanguinem, ipsam medullam exsorberent & exsugerent. Nulli enim saeviores latrones sunt, quam qui praetextu juris latrocinantur. Hoc vocabant purgare provincias. Et plane ita purgabant & abstergebant, ut post eorum abitum, nullis ad eas verrendas scopis, nullis spongiis aut peniculis opus foret. Pura omnia impuri homines relinquebant. At dicet aliquis: erant repetundarum judicia, quae non in ipsos modo magistratus, sed in ipsorum quoque heredes, in quantum locupletiores facti essent, redderentur. Ludibria illa, non judicia erant. Turbabantur vi: cum interdum minae intentarentur judicibus, interdum etiam sicae. Turbabantur ambitu: qui saepe & accusatores praevaricari ac colludere, & judices pejerare cogebat. Turbabantur ea, quae semper plurimum apud plurimos, prope dixi, omnia apud omnes, potuit, pecunia. His fiebat, ut omnis rerum commutatio provincialibus optabilis videretur. Quare Augusto ad se unum omnia trahenti, facile acquieverunt. Quod documento principibus esse debet, ne avaris hominibus gubernandas provincias mandent. Diu enim compressa populorum odia aliquando tamen erumpunt: ut aut rebellionem faciant ipsi, aut, aliis novas res molientibus, adjungant se potius ad illos, quam eorum conatibus obstare nitantur. Atque hujus rei exempla quaedam fortasse etiam nostris quoque temporibus extiterunt.

Ceterum Augustus subsidia dominationi. &c. usque ad illa, *ut Agrippa.*] Augustus quaesitam sibi jam & constitutam dominationem fulcire ac corroborare & constabilire modis omnibus cupiens, cogitavit, periculosum esse principibus, iis praesertim, qui in civitate nondum servituti assueta recens imperium occuparunt, si ex se sibi paratos successores non habeant. Facilius enim & confidentius insurgit populus adversus eum principem, cujus

morte fore se liberum putat; & quem si occiderit, nullum paratum videt ultorem. At si videat, eo sublato, successurum quempiam ex eadem stirpe, malo cavet, & futuri metu, praesentibus acquiescit. Atque hoc est, quod apud Josephum libro 18. Tiberius morti proximus Caligulam sapienter monet, τὰς μηνύσεις τῆς ἀρχῆς ἐπωδύνους εἶναι. Augustus igitur, qui praeter unicam filiam Juliam, nihil liberorum haberet, ex cetera propinquitate sua providendos sibi, quoad longissime posset, successores, judicavit. Quinam ii fuerint, exponit hoc loco Tacitus: &, ut tandem, ceteris sublatis, imperium ad *Tiberium* pervenerit.

Subsidia dominationi] Paulo post pro eodem dicit, *munimenta*. *Subsidia*, ut essent, qui, si forte ipse deficeret, succurrerent, & pondus imperii sustinerent. Vocabulum militare. Accusativus autem est absolutus Graeco more elegantissime positus, ut *in illo*, Πάτροκλον ἀμφιμάχονται. Nunc de singulis, qui hoc loco nominantur, paulo copiosius agendum est.

Claudium Marcellum] Hic Octaviae sororis Augusti filius fuit, summae spei adolescens, & populo mirabiliter carus. Adoptaverat eum Augustus: vixque pueritiam egresso Juliam, unicam filiam, uxorem dederat. Allegerat etiam eum in collegium Pontificum, ut qui ipse Pontifex maximus foret. Honestaverat eundem aedilitate curuli, cum ipse undecimum consulatum gereret: cumque aediles ludis, muneribus, venationibus, aliisque spectaculis populo gratificari, magnosque sumptus in ejusmodi res facere solerent: multa insignia in aedilitate Marcelli populo exhibuerat: totum etiam forum a Kalend. Augusti usque ad aestatis finem velis inumbraverat: ut litigantes salubrius consisterent: imperium denique ei relicturus putabatur. Sed cum eo ipso anno ita gravi morbo correptus esset, ut morti proximus haberetur, convocatis ad se principibus senatus, nonnullis etiam ex equestri ordine praecipuis, ita cum eis de rep. quasi postremus ille sermo futurus esset, collocutus, nullo successore nominato, Pisoni quidem Rationarium imperii, id est, libellum, quo rationes publicae continebantur, de quo alias plura dicemus, Agrippae autem annulum signatorium tradidit. penetravit ea res altius Marcelli animum. Cum igitur Augustum ita deseruissent vires, ut nihil ne eorum

quidem quae maxime necessaria sunt, per se obire posset, extitit medicus quidam, cui Antonio Musae nomen fuit, qui novo medendi genere, balneis frigidis & frigidae potu pristinam ei firmitatem restituit. Magnis ob id praemiis & honoribus affectus, tum ab Augusto, tum a senatu, disparem postea effectum artis suae in Marcello sortitus est. Qui cum alterum jam annum incommoda valetudine uteretur, ita tamen, ut non decumberet, tunc ingravescente morbo, ab eodem medico eadem ratione curatus, tandem in Bajano aedilis interiit. Doluit ejus morte non Princeps modo, sed Senatus populusque universus. Corpus in Urbem delatum, magnificentissima funeris pompa, in campo Martio crematum est. Deploratur illius mors a Virgilio luculentis versibus ad finem libri sexti Aeneidos. Servius ait, eum incidisse in morbum anno aetatis XVI. mortuum decimo octavo. Ab hoc dictum est theatrum Marcelli.

M. Agrippam ignobilem loco] Duos praecipuos amicos habuit Augustus, M. Vipsanium Agrippam, de quo nunc dicendum est, & C. Cilnium Maecenatem, de quo alio loco dicetur. M. Vipsanius Agrippa ita obscuro loco natus erat, ut eum gentis suae puderet. Itaque nunquam ipse se M. Vipsanium Agrippam vocabat, sed omisso nomine M. Agrippam: &, si a quoquam aliter vocaretur, aegre ferebat. sed ut semper reperiuntur homines, qui facere ac dicere quod aliis aegre sit, etiam nulla mercede cupiant, fuit orator quidam, qui reum accusans, quem Agrippa defendebat, potentissimus tunc in civitate, & nulli nisi Augusto secundus, eum nominans, diceret, M. Agrippa, & id quod medium est, cum *Vipsanium* vellet intelligi: majori acerbitate, quam si aperte elocutus esset, quod tegebat. Hic igitur ignobilis quidem erat loco, & *rusticitati*, ut ait Plinius, *quam deliciis propior*, sed bonus militia: neque Augustus in parandis victoriis, meliori cujusquam aut fortiori opera usus est. Nam & eam classem, qua Sex. Pompejus inter Mylas & Naulochum victus est, instruxerat, exercueratque Agrippa: & ipsius praecipue ductu pugnatum prospere est. Unde Augusto exprobrabat Antonius, stupentem eum adhuc, & semisomnum, non prius surrexisse, nec militibus in conspectum venisse, quam Agrippa hostium naves fugasset. Itaque coronam

nam navalem, qua nemo unquam Romanus donatus fuerat, nemo post eum donatus est, & caeruleum vexillum hoc bello singulari virtute meruit. Sed & in bello adversus Antonium, in ore atque oculis classis Antoniae Leucadem expugnaverat, Patras ceperat, Corinthum occupaverat, bis ante ultimum discrimen classem hostium superaverat. Et in illo ipso proelio, quo vires Antonii conciderunt, omne clarissimi certaminis arbitrium penes Agrippam fuit. Augustus igitur eum & *bonum militia*, *& victoriae socium geminatis consulatibus extulit*. Primum consul fuerat Agrippa cum L. Caninio Gallo, & eo anno, quo Lepidus, Antonius, & Octavianus, cum jam abiisset quinquennium illud, in quod se ipsi III. viros creaverant, ipsi sibi eandem potestatem in alterum quinquennium prorogarunt. In secundo ac tertio consulatu, collega Augusti sextum & septimum consulis fuit: Tertium quidem consul illa tot in urbe maxima opera excitavit, *quae*, ut ait Seneca, *& priorem magnificentiam vincerent, & nulla postea vincerentur*: Neptuni porticum, sudatorium Laconicum, & illud nobilissimum Pantheon, in quo cum Augusti nomen vellet inscribere, eo recusante suum inscripsit. Hodieque in ejus vestibulo illa cubitalibus prope litteris scripta visuntur: *M. Agrippa Cos. tertium*. Sed cum ter Consul fuerit, cur eum extulisse Augustus *geminatis consulatibus* dicitur? Nimirum quia primum consulatum non ab Augusto acceperat, sed a populo: at duo posteriores, Augusti beneficia fuerunt. Evectus igitur ad illam potentiam, cum & populo unice carus esset, & apud milites auctoritate polleret, ut qui in castris simili atque Augustus tabernaculo uteretur, aeque atque Augustus militibus signum daret: jam ipsi, qui eum extulerat, Augusto formidolosus videri poterat: jam optandum erat, ut Agrippa secundo loco contentus foret. Putant autem, hoc observandum esse iis, quorum potentia non satis adhuc altas radices egit, ut fortes viros, & a quibus imminere potest aliquid periculi, aut e medio tollant, ne quid novarum rerum moliri possint, aut ita sibi devinciant, ne velint. Alterum honestius & humanius est, alterum tutius creditur. Itaque Maecenas, qui, ut dixi, in intimis Augusti erat, ausus est ei dicere, eo rem esse perductam, ut Agrippa aut interficiendus, aut gener faciendus esset. Et vidua

 tunc

tunc erat Marcelli morte Julia, & non libenter vidua erat. Habebat tum Agrippa in matrimonio Marcellam, Octaviae sororis Augusti filiam; cum qua amanter concorditerque vivebat, & ex ea liberos susceperat. Sed Augustus, exorata sorore, ut sibi genero cederet, Agrippae, dimissa Marcella, Juliam uxorem dedit. Cetera quae ad Agrippam pertinent, suo loco reddentur.

Tiberium Neronem & Claudium Drusum &c.] Livia Drusilla, de qua in sequentibus multa dicentur, quo tempore eam duxit Augustus, jam e Tiberio priore viro Tiberium susceperat, eum, qui post Augustum imperavit, eratque tum Tiberius septemdecim annorum. Gravida etiam erat. itaque tertio mense D. Drusum, qui postea Nero Claudius Drusus, mutato praenomine, vocatus est, apud Augustum enixa est. unde vulgatus jocularis versus; τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. Non defuerunt tamen, qui Drusum Augusti filium crederent, natum ex adulterio, quod Livia adhuc Tiberio nupta, cum Augusto fecisset. Ut ut est, Tiberii eum filium videri voluit: ideoque statim natum ad Tiberium misit: isque eum agnitum accepit: sed paulo post moriens, utrique filio Augustum testamento tutorem dedit. Hic Drusus pater est Germanici, fortissimi viri, ac cum quolibet veterum comparandi, & Claudii, qui post Caligulam imperium obtinuit. Hos igitur privignos *imperatoriis nominibus auxit*, id est, imperatorum nomine ornavit Augustus. Ac ne quis putet, ea ornamenta iccirco privignis tributa, quod e suis neminem haberet, cui incumberet, atque inniteretur, ait Tacitus, id eum fecisse, *integra etiam tum domo sua. nam* superstites adhuc habebat *genitos Agrippa* duos ex filia nepotes, *Cajum & Lucium*, quos quoniam alioqui avo materno heredes futuri non erant: patris enim, non matris familiam filii sequuntur: ut illud impedimentum tolleretur, a patre Agrippa per aes & libram emptos domi adoptaverat, & ex naturalis patris potestate in suam translatos, *in familiam Caesarum induxerat: nec dum posita puerili praetexta, principes juventutis appellari, destinari consules, specie r. flagr. cupiverat.*

Cajus, Agrippae filius, natus est anno ab urbe condita DCCXXXIV M. Apulejo & P. Sillio Cosf. Lucius autem triennio post, consulibus Furnio & Silano. Horum uterque ab ipsa pueritia admodum insolens fuit. Itaque

cum

cum Porcius Latro, declamator nobilis, controversiam quandam declamans, Augusto & Agrippa praesentibus, dixisset, *furere istos, qui adoptione nobilitati essent*, in utriusque offensionem incurrit, quasi Augusti nepotes oblique notare voluisset. Ad reprimendam eorum insolentiam, Tiberium Augustus, Agrippa mortuo, in consortium tribunitiae potestatis assumpsit, anno ab urbe condita DCCXLVIII. eumque ad pacandam Armeniam misit. Ait Tacitus, *nec dum posita puerili praetexta*. Lucius enim undecimum annum agebat. Cajum, qui quatuordecim annorum erat, consulem designandum curavit: cum jam uterque princeps juventutis appellatus esset. Puerilis autem praetexta ponebatur, ut notum est, anno aetatis XVII. Lucius quoque ipse quartum decimum annum agens, consul designatus est, ut ex antiquis scriptoribus constat, anno V. C. DCCLI. Neque tamen consulatum tam tenera aetate gesserunt. Nam Lucius quidem ante mortuus est, quam Cajus. Cajus autem consulatum gessit, cum esset annorum viginti.

Puerili praetexta] Ideo additum, *puerili*: quoniam praetexta utebantur & magistratus.

Principes juventutis appellari] Nulla potestas hac appellatione indicabatur: sed dignitas tantum quaedam, qua imperatorum filii usque ab adolescentia cohonestarentur, & a ceteris distinguerentur.

Designari consules] Ita legendum puto, ut & ante *appellari*. A populo enim eos designari, non designare eos ipse cupiverat.

Specie r. fl. cupiverat.] Neque elegantius quidquam dici potuit, neque quo melius exprimeretur principum consuetudo, qui saepe ea nolle se simulant, quae impensissime cupiunt: & cum suos ad dignitatem aliquam promovent, operam dant, ut id non tam voluntate sua, quam alienis precibus adducti ac prope coacti fecisse videantur. Sed ut urbane a poëta quodam de puellis dictum est, *Gaudet virginitas rapi*, sic ejusmodi vis eos, quibus adhibetur, oblectat. Cogi se gaudent.

Flagr. cup.] Scribit tamen Dio, illam immaturam ac praeproperam nepotum ambitionem displicuisse Augusto: precatumque eum, ne dii finerent evenire, ut quod sibi contigerat, quisquam nondum viginti annos natus, consul fieret. Sed non semper principes ex animi sui sen-

ten-

tentia loquuntur. Etiam qui ex illis rhetores non sunt, figurate tamen loqui sciunt.

Ut Agrippa vita concessit &c. usque ad illum locum, *at Hercule Germanicum.*) Videte, quam saepe hominum consilia irrita evadant. Multis se, ut videbatur, Augustus dominationis subsidiis sepserat. M. Agrippam, duos ex eo nepotes, quos jam fecerat suos, privignos totidem, circum se habebat. Parum abfuit, quin solus relinqueretur. Extinctis ceteris omnibus, unus Tiberius superstes fuit. Nimirum imperare eum oportebat. Sed ea quae Tacitus perstringit, fusius explicanda sunt. Ac primum de Agrippae morte dicamus.

Agrippa e Pannonia rediens, quo eum cum summo imperio Augustus miserat, cum in Campaniam venisset, ibi morbo correptus interiit, Messalla & Quirino Coss. anno urbis DCCXLII aetatis suae quinquagesimo primo. Summum ejus mors dolorem, & Augusto inussit, & populo. Carus enim omnibus vixerat. Vellejus eum fuisse ait *virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictum, parendique scientissimum, sed uni tantum: nam aliis imperandi cupidum fuisse.* Tribuit etiam ei laudem illam, qua se potissimum Alexander multa magnaque consecutum esse dicebat, *nihil differentem ac procrastinantem, sed statim consultis facta jungentem.* Praeclarum ei quoque reddit testimonium Seneca, cujus haec sunt ex epistola 95. *M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit.* Dionis autem verba e libro 54. ita honorifice de eo scripta sunt, ut recitare libeat: Ἀγρίππας [illegible] &c. [illegible] αὐτῷ [illegible] τῷ Αὐγούστῳ [illegible] ἐπίφθονος ἐγένετο. ἀλλ' [illegible] τὴν μοναρχίαν, [illegible] (sic enim lego, ut opponatur ei quod sequitur, δημοτικώτατος) [illegible] δημοτικώτατος, [illegible]. Sed ut Simonides dicebat, [illegible], Plinius aliquando cum *vino indulgentiorem fuisse* dicit. Suetonius impatientiorem fuisse significat, cum ait ab Augusto patientiam in eo aliquando desideratam. Sed quia Suetonius eo loco depravatus est, ignoratione vocis antiquae, verba ipsius recitabo, ut emendem. Sunt igitur haec: *Desideravit nonnunquam & M. Agrippae patientiam, & Maecenatis taciturnitatem: cum ille ex levi rigo-*

ris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se, relictis omnibus; contulisset: & hic secretum de comperta Murenae conjuratione, uxori Terentiae prodidisset. Haec Suetonius, in quibus, quid sit *levis* illa *rigoris suspicio*, nunquam quisquam recte explicabit. Neque enim recte explicari depravata possunt. Legendum, addita una litterula, *frigoris*. *Frigere* enim dicuntur, qui apud alium minus valent, quam solebant, minusque ab eo magni fiunt, qui negliguntur. Terentius: *Nimium hicce homines frigent.* Cum Phaedria, qui Thaidi omnia fuerat, admisso Thrasone, excluderetur. Idem: *Ubi friget, huc evasit.* Hoc vocabant *frigus.* Horatius: *Majorum ne quis amicus Frigore te feriat.* Inepti enim plane sunt, qui eo quoque loco *frigoris* nomine mortem significari putant. Hoc igitur dicit Suetonius, Agrippam, qui semper apud Augustum primus fuerat, cum levi suspicione tactus esset Marcellum sibi anteferri; ejus rei impatientia, Mytilenas se contulisse. Redeamus ad Tacitum.

L. Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus] Hic, ut dictum est, Agrippae filius natu minor fuit, una cum fratre, vivo adhuc patre, adoptatus ab Augusto. Is ad exercitus Hispanienses, ut eis tanquam imperii successor, commendaretur, proficiscens, morbo ex intemperantia contracto, Massiliae decessit, anno uno ante fratris mortem.

Cajum remeantem Armenia, &c.] De hujus morte ita Vellejus: *C. Caesar ante aliis provinciis ad sedandum obitis, in Syriam missus*, &c. Haec Vellejus. Ad Cajum euntem in Armeniam venit in Chium Tiberius e Rhodo, quo secesserat, eumque omni honoris genere excepit. Cum Judaeam praeterveheretur Cajus, noluisse eum supplicare in templo Hierosolymitano, tradit Suetonius: eoque nomine ab Augusto laudatum. At Paulus Aquilegiensis ingentem famem, quae Romae consecuta est, evenisse ait, ulciscente Deo illum contemptum sui.

Mors f. pr. seu n. Liviae d. abstulit.] Zonaras ne Augustum quidem ipsum caruisse suspicione refert, quod Cajum parum sibi acceptum necasset. Et hoc est quod Plinius lib. 7. cap. 45. inter Augusti infortunia numerat, *incusatas liberorum mortes, luctusque non tantum orbitate tristes.*

Drusoque pridem extincto] Multa bella in Germania Dru-

Drusus fortissime ac felicissime gesserat, multas barbaras gentes domuerat, fines imperii protulerat. cum tandem ex fractura equo super crus ejus collapso, trigesimo die, quam id acciderat, mortuus est. Corpus a Ti. Nerone fratre, qui nuntio valetudinis ejus evocatus, raptim accurrerat, Romam pervectum, cum Tiberius ipse, toto itinere pedibus praegrederetur, & in C. Julii tumulo conditum. Laudatus est ab Augusto: & supremis illius funeribus plures honores additi. Livius lib. 142. Suetonius. Inter Rhenum & Salam fluvios, mortuum esse eum, auctor est Strabo lib. 7. Ad eum aegrotantem tanta celeritate properavit Tiberius, ut una nocte ac die, tribus vehiculis emensus sit CC. M. passuum. vivum adhuc ab eo repertum fratrem ait Ovidius: alii, jam mortuo, venisse. Celebravit laudes Drusi Horatius lib. 4. Odarum, ode, cujus principium est, *Qualem ministrum.* Extat & elegantissimum poëma ad Liviam *de morte Drusi*, quod Ovidio tribuitur, nec felicissimo illius ingenio indignum videtur. Consul erat Drusus, quo anno mortuus est, & tricesimum agebat aetatis annum. Auctor Paulus Aquilegiensis diaconus.

Nero solus e privignis erat] Ad Tiberium, quem suo cognomine Neronem vocat.

Illuc cuncta vergere] Inclinare, ferri, *ῥέπειν*. Exponit autem hoc ita, ut caussam una significet. Ideo enim ad Tiberium vergebant omnia, quia solus Tiberius superstes erat ex iis, ad quos perventurum imperium spes fuerat.

Filius, collega imperii, consors tribunitiae potestatis adsumitur] L. Caesare mortuo, vivo adhuc Cajo, de adoptando Tiberio cogitaverat Augustus: neque tamen eum adoptavit, nisi utroque jam mortuo. Adoptavit autem eodem die Tiberium, & M. Agrippam M. F. Postumum, de quo statim dicturi sumus. In foro utrumque, non domi, ut Cajum & Lucium. Tiberius enim & Postumus patresfamilias erant. Utrumque lege curiata: quia mutanda erant sacra. Sed in adoptando Tiberio singulari verborum formula usus est: *Hoc reip. caussa facio.* Vellejus.

C. i. c. t. p. ads.] Jam et tribunitiam potestatem obtinuerat: sed in quinquennium tantum. tunc autem in alterum quinquennium postulavit. Quibus autem tri-

bu-

bunicia poteſtas petebatur, ii ſucceſſores imperii habebantur.

Omnisque per exercitus oſtentatur] Ut milites ejus imperio aſſueſcerent.

Non obſcuris, ut antea, matris artibus] Jam enim, ſine ulla ſimulatione, ſublatis aemulis, filio imperium deſtinabat.

Nam ſenem Auguſtum devinxerat &c.] Natura comparatum eſt, ut cum corpore, ſenum animus quoque relangueſcat ac molliatur. Itaque ſi ſenex improbam uxorem nactus eſt, facile ſe illius blanditiis irretiri & illaqueari ſinit. Vix enim eſt, ut reſiſtere poſſit incautus & incuſtoditus attentae ſemper & ſubdolae, apertus ac ſimplex duplici & tectae, inermis armatae. Senes autem etiam, propria ipſorum arma, conſilium & prudentia ſaepe deficiunt: at ejusmodi mulier quando dolis armata non eſt? Hoc & in privatis domibus, quarum tamen damna minus late patent, periculoſum eſt; & in principibus eo periculoſius, quo majorem ſecum ruinam trahunt. Impotentes enim fere ſunt, aut in magna potentia educatae, aut ad eam erectae mulieres, novarum rerum amantes, ambitioſae, imperandi cupidae: &, dum quod facere imbiberunt, efficiunt, fas nefasque pro eodem putant: quo minus omnia turbentur ac ruant; quo minus caelum terrae miſceatur, dum potiantur eo, quod cupiunt, non recuſant. Metum, pudorem, religionem, caritatem, etiam conjunctiſſimorum exuunt: ut ad honeſta pavidae, ſic ad illicita audaces. Cum autem per ſe feminae parere miſerum eſt: tum longe infeliciſſima gens, cujus ipſe princeps feminae paret. Minus interdum malorum efficiunt ſolae. Quenquam enim omnia prae ſua libidine nihili faciunt, interdum tamen, ſi ſolae ſint, naturali ſexus ſui timiditate refraenantur: non ut virtute vitium, ſed ut vitium contrario vitio paulum reprimatur ac retundatur. At ſi cupiditatem ſuam virorum vel auctoritate velari, vel nomine ipſo firmari poſſe videant, nihil tam periculoſum, quod aggredi; nihil tam munitum, quod labefactare; nihil tam ſanctum, quod violare non audeant. Magna populi calamitas eſt uxorius princeps. Terquaterque, ut poëtae loquuntur, miſerae gentes, quarum principes uxoribus ſuis nubunt. Nam ut cicuta, ſi ſola bibatur, meri potione, ac exitio

ſit,

ſit; impediri poteſt: ſin permiſſa cum vino ſaucia ſit; nullus jam ſupereſt remedio locus: ita muliebris impotentia, ſi ſola bacchetur, imperio viri fraenari ac coërceri poteſt: ſin virili auctoritate vallata, & illo quaſi vehiculo adjuta, ad reipub. vitalia penetrarit, vix ab imminenti exitio populum Salus, ut ajunt, ipſa ſervaverit. Deſperata & profligata res eſt, ubi ſe cum venenis remedia miſcuerunt. Hoc malum populo R. in Auguſto & Livia evenerat. Miti & placido erat ingenio Auguſtus, praeſertim ſenex. Sed Livia, dum filio, qui jam ipſi unicus reliquus erat, quo jure quaque injuria imperium parare vult, ſenem per ſe leniſſimum in eos, qui obſtare poſſe videbantur, efferabat. Jam duos Agrippae filios pridem imperio deſtinatos mors ſive naturalis, ſive in altero Liviae venenis properata ſuſtulerat: & vulgo nota Liviae improbitas ipſi Auguſto aliquid ſiniſtrae ſuſpicionis aſperſerat. Reſtabat unus M. Agrippa Poſtumus. Moriens enim, ut ante dixi, praegnantem uxorem reliquerat Agrippa. Tollendus erat hic quoque, praeſertim cum eum eodem, quo Tiberium, die adoptaſſet Auguſtus, & juveni paternae virtutis memoria multorum conciliature animos videretur. Nunquid igitur hunc quoque veneni aggreſſa eſt? Eadem ſaepe tentare, ſuſpectum eſt: & fortaſſe fraterna nex Poſtumum adverſus tales inſidias reddiderat cautiorem. Graſſemur calumniis. Haec quoque non inuſitata novercis tela ſunt. Inſimulatus eſt, quaſi Liviam novercam, probris inceſſeret: ipſi Auguſto parum aequus foret: de ipſius morte conſilia iniiſſet: neque tamen damnatus capitis: cum rei tam atrocis nulla ſatis firma indicia proferrentur. Sed relegatus, & amotus e conſpectu, ut & deleretur ex avi animo, &, cum commodum foret, minore negotio e medio tolleretur. Ita Auguſtus nepoti, ut in vita eſſet, ipſius innocentiae: ut in urbe ne eſſet, uxoris improbitati dedit.

Ac Poſtumum Tacitus fuiſſe ait *rudem ſane bonarum artium*. Quod mirum non eſt. Nam neque patrem habuerat, a quo educaretur: & a matre nihil didiciſſe poterat, niſi quod non didiciſſe praeſtaret. *Et robore corporis ſtolide ferocem*. Quod Plato evenire ait omnibus generoſis ingeniis, quoties non ita, ut oportet, educantur. Et alioqui patrem habuerat ruſticanum ac militarem, & duritiae, non deliciis aſſuetum. Addit Tacitus: *nul-*

Nullius tamen flagitii compertum. Hoc avo ad conservandum ac fovendum nepotem satis esse debebat. Sed videte, quam propriis & significantibus verbis utatur Tacitus, quem isti inepte fastidiosi, quia, quid bene loqui sit, nesciunt, ut male locutum notant. *Nam senem*, inquit, *Augustum*, ob idque languidiorem & captu faciliorem, *devinxerat*, & in potestatem suam redegerat, sibique obnoxium reddiderat *adeo*, *uti* non cetera modo ex ejus arbitratu gereret, sed *nepotem*: & solent nepotes avis cariores etiam esse, quam filii, quo se in eis diutius victuros, ac memoriam sui propagaturos esse confidunt. Neque tantum nepotem, sed nepotem *unicum*. Quis autem nescit, quae unica sunt, quanto cariora esse soleant? Oculum ipsum (& nihil est oculis carius) magis amant, qui unicum habent. *Agrippam*. ut vel ipsum Agrippae nomen renovare deberet in Augusti animo memoriam illius Agrippae, quo potissimum adjutore ad imperium pervenerat. *Agrippam* igitur Postumum, ob idque πολύγνιον, quo caritas intendi solet: & ita natum, ut spes nulla superesset, fore, ut ex patre ipsius quisquam amplius nasceretur: non blande ac leniter amandaret, non secedere juberet, non honoris specie in provinciam aliquam mitteret, sed *projiceret*: quo in verbo summa inest odii & aversi animi significatio. Quae enim projicimus, ab iis abhorremus: ea ne aspicere quidem volumus. At quo projiceret? Tarentum forte, aut Mitylenen, aut Miletum, aut in aliquem ejusmodi locum, in quo inglorius, praecisa imperandi spe, delicate tamen ac molliter, viveret. Immo vero *in insulam Planasiam*, Corsicae proximam, ob insalubre caelum prope desertam, & quidem addito ad custodiam tribuno militum. Videte, quantum in senum animis, adversus privignos, novercales blanditiae possint.

Aut hercule Germanicum &c.] Unicum e tribus Agrippae filiis reliquum, in insulam abdicarat, ac relegaverat. At non talis in Germanicum Drusi, qui, ut diximus, in Germania interierat, filium fuit: sed eum praefecit octo legionibus, quae ad ripam Rheni collocatae erant ad prohibendas Germanorum incursiones. Erant autem hae legiones in duos exercitus distributae, superiorem & inferiorem. In superiore erant legio secunda, tertiadecuma, quartadecuma, & sextadecuma, in inferiore,

riore prima, quinta, undevicesima & vicesima. His omnibus summo cum imperio praeerat Germanicus *Druso ortus*, ex Antonia minore, *adscirique per ad. a Ti. jussit*, antequam ipse Tiberium adoptaret: idque ut eadem opera & Tiberius filius & Germanicus nepos Augusti fieret, & uterque in potestate ejus esset. Meminit hujus adoptionis Justinianus lib. I. Institutionum juris civilis.

Quanquam esset in domo Tiberii filius] Drusus, quem Tiberius ex Agrippina M. Agrippae filia, T. Pomponii Attici, ad quem Ciceronis epistolae sunt, nepte susceperat. Eam enim habuerat in matrimonio: sed, mortuo Agrippa, coactus erat ab Augusto eam dimittere, & Juliam, quae non quidem socrus, sed tamen soceri sui uxor fuerat, ducere. Hunc Drusum Tiberii filium oportet saltem jam viginti annorum fuisse, quo tempore Tiberius Germanicum adoptavit. Nam, vivis adhuc Cajo, & Lucio Agrippis, eum pater in forum deduxerat, togamque ei puram dederat. Mortuum Augustum in foro, sub veteribus tabernis laudavit. Nunquam valde carus fuerat patri, quod vita esset fluxiore ac remissiore. Itaque cum in Urbe, imperante jam Tiberio, obiisset, tantum non a funere ad negotiorum consuetudinem rediit, longiore justitio inhibito. Quin & Iliensium legatis paulo serius consolantibus, quasi oblitterata jam doloris memoria, irridens, se quoque respondit, vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent. Auctor Suetonius.

Munimenta] Vocat ἐρείσματα quidam veterum pro eodem dixerunt *fulmina*, a fulciendo.

Bellum ea tempestate, &c.] *Ea tempestate.* Grandior oratio, quam si dixisset, *eo tempore.* Sic Cicero illud notat: *Qua tempestate Poenus in Italiam.* Sic Sallustius: *Avaritia multos mortales falsos fieri subegit*. grandius, quam si dixisset, *multos homines.*

Ab. m. inf.] Subaudi, ἕνεκα, ἢ χάριν. Sic saepe Sallustius, aliique prisci locuti sunt, Graecorum exemplo.

Ob am. c. Q. V. exercitum] De clade Variana infra pluribus agendum erit. Potest & ut tertio casu dictum accipi. nam sic quoque frequenter loquuntur. Hic autem notandum, trium praecipue rerum caussa bella suscipi: aut ad injuriam vindicandam, abolendamque, si qua ex ea contracta est, infamiam: turpe enim habetur, acceptam inju-

injuriam ulcisci non posse: & princeps, populusve, qui acceptam injuriam dissimulat, irritat novam: aut cupiditate imperii proferendi, aut spe praemii. Cupiditas proferendi imperii in Augusto non erat. nam, ut videbimus, potius de magnitudine illius coërcenda cogitabat. Belli adversus Germanos, nullum satis dignum esse praemium poterat. Regio enim est terris informis, caelo aspera, tristis cultu, aspectuque, nisi patria sit: ut hic ipse ait in libro *de situ, moribus, & populis Germaniae:* aut silvis horrida, aut paludibus foeda. Una igitur belli caussa erat, studium abolendae infamiae contractae ob cladem Varianam.

Domi res tranquillae] Docuit, qui rerum status extra Urbem esset, nunc qui in Urbe. *Domi*, inquit, id est, in urbe omnia tranquilla & pacata erant.

Eadem magistratuum vocabula] Callide & sapienter scriptum. Non erant iidem magistratus. Neque enim eandem vim atque auctoritatem obtinebant: sed tamen iisdem nominibus vocabantur. Et hoc ad plebem fallendam plerumque satis est.

Juniores post Actiacam victoriam] Tota civitas dividebatur in centurias seniorum, & centurias juniorum. Juniores vocabantur usque ad annum XLVI. postea seniores. Augustus autem rerum potitus est annos LVI. quatuor & quadraginta solus post Actiacam victoriam: duodecim cum collegis. Juniores igitur post Actiacam victoriam, senes plerique inter bella civium nati erant, neque fere quisquam superstes erat, qui rempub. vidisset. Sed hoc Tacitus figurate efferre maluit, hoc modo: *Quotusquisque reliquus, qui rempub. vidisset?* Hic autem notandum est, ad confirmandam novam tyrannidem, praeter cetera, vitae diuturnitatem requiri. Quam diu enim supersunt, qui libertatis dulcedinem experti sunt, nunquam desunt, qui alios ad eam recuperandam cohortentur. At qui longinquitate temporis ad servitutem occalluerunt, ii itidem ut aves diu cavea inclusae, de libertate ne per somnium quidem cogitant: molliorem paulo & clementiorem servitutem omni libertate potiorem putant.

Igitur verso civitatis statu] Avitae virtutis ac libertatis nemo meminerat. Qui imperare aliis solebant, ipsi jam *omnes, exuta aequalitate, jussa principis aspectare*,

ex illius unius nutu arbitrioque pendere, atque inter se, quis ad imperata facienda promtissimus esset, contendere. Notare autem verbum *exuendi*, quo saepissime & elegantissime Tacitus utitur, ut postea monebo.

Nulla in praesens formidine] Non timent homines, nisi propinqua: ne mortem quidem, nisi cum eam putant imminere: cum tamen omnibus momentis immineat. Itaque de principibus aetate validis, ita fere cogitat plebs, ac si nunquam morituri essent. Nihil igitur in praesens metuebant Romani, quam diu Augustum diu etiam victurum esse sperabant.

Postquam provecta jam senectus.] Vixit enim Augustus annos LXXVI. *Aegro etiam corpore fatigabatur.* Nam praeterquam quod ipsa senectus morbus est: omnes alii morbi ad eam, tanquam servi nocentes ad aram, concurrunt ac confugiunt. *Aderatque finis. Aderat*, id est, jam pro certo imminebat. Qui enim diu cucurrit, procul a meta abesse nequit. *Et spes novae.* ἐλπίδες καιναί. Semper enim mutatio principis novas spes in animis hominum concitat. *Pauci*, iique aut senes, aut rerum imperiti, aut utrumque, qui libertatis ne umbram quidem ullam superesse non viderent, neque cogitarent, eam jam pridem ita alte obrutam esse, ut resurgendi nulla spes esset. *Bona libertatis incassum disserere.* Quorsus enim ejus rei memoriam refricabant, quam nemo, nisi stultissimus, recuperari posse confideret? *Plures bellum pavescere.* divites nimirum, & novis ex rebus aucti: quibus quod amitterent, erat. *Alii cupere.* ii videlicet, quorum res familiaris non optime constituta erat: ut ex omni bellico motu, damni quidem nihil metuere: lucri ex praeda, utcumque caderet res, sperare aliquid possent *Pars multo maxima imminentis*, & impendentes cervicibus suis *dominos variis rumoribus differebant.* varie de eis loquebantur, varie augurabantur, quid quisque incommodorum ac calamitatum & privatim & publice allaturus esset. *Trucem Agrippam*, rudem, ut ante dixit, bonarum artium, & robore corporis stolide ferocem, *ignominia accensum.* quod ab avo eodemque patre abdicatus & relegatus fuisset, *non aetate, neque rer. experientia.* Quae duo ad prudentiam necessaria sunt, virtutem ut Plato & Aristoteles ajunt, imperantium propriam.

Tam,

Tantae moli parem. Ti. Neronem maturum annis. jam enim quinquaginta quinque annos natus erat. *Spectatum*, δεδοκιμασμένον, *bello*. Multa enim bella in Dalmatia, multa in Germania gesserat. *Sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia*, quae usque ab ultimis temporibus superbissima & plebi inimicissima fuerat; *multaque indicia saevitiae, quanquam premantur, erumpere*. quanquam simulandi & dissimulandi peritissimus esset Tiberius, tegere tamen naturam suam non ita poterat, ut non interdum erumperet. Videte autem, ut omnia persequatur: γένος. Ortus enim erat e gente Claudia, φύσιν. Multa enim saevitiae indicia eminebant. educationem. *& prima ab infantia eductum in domo regnatrice*. τὰ συμβάντα. *Congestos juveni consulatus, triumphos*. Bis autem consul, vivo Augusto, fuerat Tiberius, bis triumphaverat. *Ne iis quidem annis*. Octo autem fuerunt. *Quibus Rhodi, specie secessus, exul egerit*. Cesserat autem, ut Cajo & Lucio cederet, itemque pertaesus uxoris Juliae impudicitiam. *Aliud quid quam iram & secretas libidines meditatum*. Libidines ipsius ex Suetonio notae sunt. *Accedere matrem muliebri impotentia*. eo superbiorem futuram, quod imperium filius ipsius beneficio obtinere videbitur. *Serviendum feminae: duobusque insuper adolescentibus*, Druso & Germanico. *Qui rempub. interim premant, quandoque distrahant*. Locum hunc exposui, capite primo libri undecimi variarum lectionum. Utinam autem, quid sit feminae & duobus adolescentibus servire, nunquam neque Romanus, neque ullus alius populus expertus esset.

Haec atque t. agit.] & in animo, & in sermonibus.

Grav. valit. Augusti. & quidam scelus uxoris suspectabant] Dio hac de re apertius. Ficuum esu oblectabatur Augustus, easque saepe Livia decerptas manu sua ex arbore ipsi porrigere solebat; ipseque eas ita libentius esitabat. Partem igitur adhuc pendentium oblevit Livia veneno, non quidem praesentaneo, sed quod paucis diebus consumeret. Jam tum enim ars illa reperta erat: ne nostrorum temporum inventum putetis. Venenatas igitur marito dedit: ipsa sibi eas, quae tuto edi poterant. Ita effecit, ut vir suus in caelum, filius ad imperium maturius perveniret. Sed prudenter Tacitus, qui neque id quod satis exploratum non erat, apertius exponendum,

& tamen, propter suspicionem, quasi praetereundo, attingendum, putavit.

Quippe rum. incesf. paucos ante m. Aug. electis consciis, &c. usque ad illud, *utcunque.*] Ne tam atrocem suspicionem in Liviam sine caussa concitasse videatur, ostendit, quid maxime eam ad mortem celerandam viro impulisse diceretur. Hoc autem ipsum narrat & Dio: & tangit Plinius his verbis: *Abdicatio Postumi Agrippae*, &c. Narrat & Plutarchus ἐν τῷ περὶ ἀδολεσχίας· quem locis aliquot corruptum esse, & quibusdam in rebus a Tacito dissentire, ostendi capite secundo libri undecimi variarum lectionum.

Neque satis comp. est] Alii tamen, ut Suetonius & Dio, pro certo tradunt, vivo adhuc Augusto venisse Tiberium, longoque sermone commendatam ei esse remp. ipsum denique Augustum in Tiberii complexibus exspirasse. Addit alia Vellejus: qui mihi videtur in hoc historiam scripsisse, ut per occasionem Tiberio adularetur.

Primum facinus] Ἀρχομένω δ' ἔργω πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. ait Pindarus. Sic Tiberius ab ipso imperii principio, edito hoc egregio facinore, significare voluit, qualis princeps futurus esset. Suetonius ait, *Augusti excessum non prius palam factum, quam Agrippa juvene interempto.*

Nihil de ea re] Ne factum excusando agnoscere videretur.

Multa sine dubio] Duobus argumentis ostendit, credibile non videri, Agrippam Augusti jussu interfectum: ejusque rei culpam omnem in Liviam potius & Tiberium conferendam.

Nunt. cent. ut mos est militiae] Vide quae notavi cap. 3. lib. 11. var. lectionum.

Sallustius Crispus] De hoc ita scriptum est tertio horum librorum: *Crispum, equestri ortum loco, C. Sallustius*, &c.

Codicillos.] A Livia & a Tiberio, ut creditum est, confictos, Augusti nomine.

Metuens, ne reus subderetur.] *Supponeretur*, metaphora ducta a suppositiciis liberis, qui & *subditi* vocantur. Terentius: *Subditum se suspicatur.* Sic infra, hoc ipso libro: *Utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere.* & lib. 15. *Ergo addendo rumori Nero subdit reos.*

Juxta

Juxta periculoso] Cum ex aequo periculosum esset, cum futurum videret, ut aeque in discrimen veniret, [illegible]. Sallustianum.

Ficta seu vera promeret] Si ficta, a senatu, si vera, a Livia, & Tiberio. Ficta facile redargui poterant. Vera ne dici quidem sine praesenti capitis periculo poterant. Et notandum loquendi genus, *ficta seu vera*. Usitatius enim erat, *seu ficta, seu vera*. Sed hoc quanto minus in vulgi consuetudine positum est, & prope poëticum quiddam olet, tanto majorem gratiam conciliat orationi. Neque desunt veterum exempla. Catullus: *Laeva sive dextra Vocaret aura.* Horatius: *Cantamus vacui, sive quid urimur.* Idem: *Quo non arbiter Hadriae Major, tollere, seu ponere vult freta.* Idem: *& Sthenelus sciens Pugnae, sive opus est imperitare equis.*

Monuit Liviam, & arcana domus, &c.] Prudentissimum praeceptum. Nihil est enim quod principum auctoritatem magis imminuat, quam si domestica ipsorum arcana vulgentur. Multa privatim faciunt, quae publice nescire interest. Non semper eadem est interius & exterius illorum facies. Non toti intus aeque ac foris nitent. Itaque plerosque eorum nemo minoris pendit, quam qui ad secretissima maxime admittitur. Pauci admodum sunt, qui nihil habeant, quod tegi satius sit. Ignotis major veneratio est: contrectata sordescunt. Vix effugere possunt, quibus quicquid libet, licet, quin libeat interdum aliquid, quod non licet. Eo pluribus venerabilis est princeps, quo paucioribus familiaris.

Ne consilia amicorum] Multa enim consilia clam dantur, quae in propatulo non darentur. quae publice dantur, ad honestatem omnia; quae secreto, ad utilitatem pleraque diriguntur. At si exigantur haec, ut par est, ad regulas philosophorum, nihil utile, nisi quod honestum.

Ministeria militum] Multa enim principes, ubi manu & ferro opus est, per milites exsequuntur. ad quae non tam promptos ac paratos eos invenirent, si reddenda singulorum ratio esset. Qui principi paruit, non sententia, sed silentio absolvendus est.

Neve Tiberius vim principatus] *Principatum* intelligit monarchiam, quae ut eo magis intenditur, quo ma-

gis ad unum omnia revocantur, ita eo mollior & laxior sit, quo pluribus datur judicandi potestas.

Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur] Frustra tentatur a quibusdam vetus scriptura: qui putant, melius legi posse, *ut non aliter ratio constet.* Hoc enim dicit Tacitus, rationem cujusque facti constare non posse, si pluribus, ut senatui, reddenda sit. Semper enim idem factum alios probaturos, alios improbaturos: unum esse oportere, cui reddatur ratio, & cujus judicio stetur. Si aliter fiat, imperii vim resolvi, & pro monarchia aristocratiam quandam, aut oligarchiam constitui.

At Romae ruere in servitium consules] Vide, quam significanti verbo usus sit. Non enim flecti aut inclinare dixit, sed *ruere*, ac praecipites ferri. Simile quiddam notat Cicero libro tertio de Oratore, in versu Ennii: *Vive Ulixes, dum licet, Oculis postremum lumen radiantis rape.* Non dixit, *cape*, non *pete*: haberet enim moram sperantis, diutius se esse victurum: sed, *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet.* Sed in versu Ennii vulgo depravate legitur, *radiatum*, cum *ra diantes* legendum sit. ut in Phaenomenis: *Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti.* Docui hoc capite 9. lib. II. variar. lectionum. Saepe enim epithetis utebantur propriorum loco. Sic *ferum* dixit Virgilius pro *equo*; *In latus inque feri curvam compagibus alvum.* Sic Attius *cornutos* pro *bobus*: *Forte ante auroram radiorum ardentum indicem, Cum somno in segetem agrestes cornutos cient.*

Conf. Patres, eques] Bonus ordo. Primum enim dignitatis locum obtinebant consules, secundum senatores, tertium equites. Sed hic quoque novitatem numeri mutatione quaesivit: cum *equitem* pro *equitibus* dixit: ut Virgilius: *Uterumque armato milite complent.* Neque quisquam haec quae a me notentur indigna ducat. Notat tale quiddam Cicero in illo versu Enniano: *At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat.* interdum contra, ex pluribus intelligitur unus. *Nos sumus Romani, qui fuimus Rutuli.* Et hoc quoque Thucydideum est.

Quanta quis illustrior] Illustriorum enim facta magis notantur. obscuros sua tenebrae tegunt.

Falsi]

Falsi] *Falsi* interdum, quos fefellit alius. Terentius: *Ut falsus est*. At hic qui fallere cupiunt.

Ac festinantes]. Dum metuit quisque, ne sibi alius anteverteret.

Vultuque composito] Temperato.

Ne laeti excessu principis] Augusti, cujus mortem ipsi dolori esse fingebat Tiberius, & ejusdem doloris, aut potius simulationis comites sibi esse alios volebat.

Primordio] Novo Tiberii principatu.

Lacrimas, gaudium adulatione miscebant] Ut se neque plane moestos, neque laetos esse ostenderent. Locus autem hic aliis omnibus libris corrupte legitur.

Primi in verba Tiberii Caesaris juravere] *Jurare in verba* est obstringere se jurejurando ad facienda perpetiendaque omnia, quae is, cujus in verba juratur, jusserit. Erat autem loquendi genus proprium gladiatorum, qui se addicebant magistris, id est, lanistis. Unde apud Horatium: *Nullius addictus jurare in verba magistri*. Hanc *auctorationem* vocabant, & pecuniam, quae pro eo numerabatur, *auctoramentum*. Jurabant autem, se non recusaturos, quo minus verberarentur usque ad necem, laminis candentibus urerentur, ferrum, si juberentur, jugulo reciperent. Horatius: *Quid refert uri virgis, ferrove necari. Auctoratus eas* &c. Cicero: *Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis*. Jurabant & milites in verba imperatorum: unde & *exauctorari* dicuntur, qui militia solvuntur. Primus igitur Tiberius fuit ex imperatoribus Romanis, in cujus verba juratum est, quasi profitente senatu, populoque Romano voluntariam servitutem. Atque ipsi quidem consules primi jurarunt in verba Tiberii: a ceteris autem idem jusjurandum exegerunt. Idem in ceteris imperatoribus continuatum est. Id supremum funus libertatis Romanae fuit.

Apud Cos.] Melius, quam in aliis, *apud q. eos*.

Sejus Strabo.] Pater Sejani, de quo in sequentibus tam multa dicentur, & *C. Turranius ille praetoriar. cohortium praefectus*, in quo munere collegam postea habuit filium.

Hic annonae] Haec, & alia pleraque munera publica excogitarat Augustus, ut multos, quorum bona, ac forti opera usus erat, honoraret. Erant autem haec duo

longe honoratissima. Itaque statim post consulem ante senatum nominantur. *Praetoriae cohortes* erant τῶν σωματοφυλάκων, id est, eorum, quibus imperatoriae salutis custodia committebatur: flos ipse militiae, fortissimus, & fidissimus quisque.. tales enim esse oportet, quibus custodiendus est is, qui plerumque ceteris omnibus invisus est. Neque temere dixit Aristoteles secundo Rhetoricorum, finem tyrannidis esse custodiam. Iis, qui praeerant, *Praefecti praetorio* dicebantur: quorum quae fuerit auctoritas, etiam e libro primo digestorum perspici potest. Unde etiam didicimus, respondere eos pro portione iis, qui antiquitus Magistri equitum erant, sed multo magis ex formula, quae legitur apud Cassiodorum lib. 6. variarum.

Hic annonae] Praefecti annonae proxima dignitas erat. Triticum convehendum curabat praefectus praetorio. distributio illius ad praefectum annonae pertinebat. Itaque eodem carpento praefectus annonae, quo praefectus urbis, vehebatur. annonae praefectus fuerit Pompejus Magnus. Sed extra ordinem. primus ordinarius Augustus ipse: post eum hic, de quo agimus, Turranius. Repetenda ex eodem Cassiodori libro formula praefecti annonae.

Mox Senatus milesque & populus] Hic quoque notanda numerorum ἐναλλαγή.

Tanquam vetere repub.] Pro *vetere*, libri veteres *vintere*, ut verear, ne illud *re* frustra geminatum sit, & pro *vintere*, fuerit, aut *vivente*, aut *vigente*.

Et ambiguus imperandi] Antique dictum, & nota artificium tyrannorum, qui imperium, quod vi, aut dolo occuparunt, videri volunt suscepisse eorum ipsorum rogatu, quos premunt. Parum est eorum superbiam ferre: ultro rogandi sunt.

Ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi tribunitiae potestatis praescriptione posuit] Non tanquam imperator edixit, ut patres adessent: sed praescriptione tribunitiae potestatis, quam aut in alterum quinquennium, aut, ut alii, in decennium sub Augusto acceperat. *Posuit*, puto legendum *proposuit*. non enim *ponere*, sed *proponere* edictum dicimus. Sic *propositum* accipitur in L. eum in plures §. locator. Digest. locati.

Neque abscedere a corpore] Sic lib. 3. *Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore, simul urbem intravisse.* Videtur cura corporis imperatorii publicum munus fuisse.

Signum praetoriis cohortibus, ut imperator] *Signum dare* imperatoris est. Unde σημαίνειν, *imperare.* Homerus:

Αἴθ' ὤφελλες ἀεικελίου στρατοῦ ἄλλου σημαίνειν.

& σημάντορες, imperatores.

Excubias, arma, cetera aulae] Non domus privatae.

Miles in forum, miles in curiam comitabatur] Quod non fiebat, nisi principi.

Tanquam adeptio principatu] *Adepto*, παθητικῶς, ut & apud Ciceronem, & alios veteres saepe.

Nunquam cunctabundus, nisi cum in senatu.] Illic autem sententiam suam omni artificiu tegebat.

Caussa praecipua ex formidine] Ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia: mirus apud populum favor: (ob memoriam virtutis paternae, a qua ipse nullo modo degeneraverat) habere imperium (praesens vivo adhuc Tiberio) quam expectare (post ejus obitum: erat enim ab eo adoptatus) mallet. Haec igitur una caussa est, cur se Tiberius de suscipiendo imperio dubitare simularet. Addit alteram:

Dabat & famae, ut vocatus electusque potius] Illud enim multo erat honorificentius. Subjungit & tertiam: quae postremo animadversa est ex eis, quae consecuta sunt.

Postea cognitum est, inquit, *ad intr.* usque ad *vultus*] Nutus ipsos eorum, qui videbantur non aegre laturi, si ipse imperium deponeret.

In crimen detorquens recondebat] Et scribebat in animo, ut suo tempore promeret, quod & fecit. Fuisse autem hunc morem Tiberii, odia recondendi, etiam ex alio hujus libri loco intelligemus.

Nihil primo Senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti] Ut ostenderet, eam sibi unam in animo haerere cogitationem. alia se omnia honoribus parentis posthabere. *Suprema* vocat testamentum, ut saepissime in libris Juris civilis. Plena locutio est, *suprema judicia*, pro quo etiam *supremam voluntatem*, & *supremas tabulas* dicunt.

Cujus

Cujus test. illatum per virgines Vestae, Tiberium & Liviam heredes habuit] Num aequis partibus? eas enim accipimus, quoties nihil testator expressit. Minime. Didicimus enim e Suetonio, ex besse institutum Tiberium, ex triente Liviam. Atque hujus ipsius rei veniam a Senatu petierat, quod adversus legem Voconiam facturus esset, qua non licebat homini censo instituere mulierem ultra quadrantem. Deposuerat autem testamenti sui tabulas rite obsignatas apud Virgines Vestales, ut ab eis sancte, ac religiose custodirentur, neque nisi se mortuo aperirentur. idque in satis crebra consuetudine positum erat. Sic Caesar dictator testamentum suum deposuerat apud Virginem Vestalem maximam. Sic M. Antonius triumvir, ut Plutarchus in ipsius vita auctor est. apud aedituos quoque, aut apud tabularios deponi solita, ostendit Ulpianus libro tertio de tabulis exhib.

Livia in familiam Juliam, nomenque Augustae, adsumebatur] Itaque ex illo non amplius Livia, sed *Julia* vocata est. Sic Augustus ipse in familiam, nomenque Caesaris testamento adoptatus fuerat. Sic Tiberius a M. Gallio, senatore, testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuerat: quod Gallius adversarum Augusto partium fuisset. Sic Galba Pisonem testamento in bona, & nomen adscivit. Sic apud Ciceronem 3. de officiis, mentio est Basili cujusdam, qui M. Satrium, sororis filium, nomen ferre voluisset, eumque fecisset heredem. Tunc autem huic vere censebatur adoptio, cum eam populus quoque curiata lege firmarat, quod ab Augusto servatum esse Dio & Appianus tradiderunt. *Julia* igitur vocari coepit, quae prius *Livia*. At *Augustae* nomen, quanquam etiam matrimonio merita, tamen recusavit. Plinius libro decimo quinto capite ultimo. Suetonius in Claudio.

In spem secundam nepotes, pronepotesque] Id est, substituerat vulgariter nepotes, Drusum Ti. filium ex triente, ex partibus reliquis Germanicum Drusi, qui frater Tiberii fuerat, liberosque ejus filiae tres sexus virilis. Suetonius.

Tertio gradu primores] Suetonius: *Tertio gradu propinquos, amicosque complures*. videte, quantum possit ambitio. Non tantum verum est, quod ait Thucydides, eam nunquam senescere, ne morientes quidem relinquit.

Ver-

Volebat Augustus post mortem suam videri amasse praestantes viros, quos tamen oderat. Eos ergo, quanquam invisos sibi, ambitione ductus, tertio gradu substituerat.

Legata non ultra civilem modum.] De testamento Augusti dixit, id est, de heredum institutione. Nunc de de accessionibus testamenti, id est, de legatis, & ait, *legata non fuisse ultra civilem modum.* Hoc quidam ita interpretantur, hereditatem Augusti non fuisse ab eo gravatam legatis ultra modum jure civili, id est, lege Falcidia praescriptum: id est, non tam multa fuisse legata, ut quarta pars hereditatis, penes heredes permansura non esset. Ponamus nunc quidem hoc verum esse. Nam postea spero me planum facturum esse, hanc interpretationem a vero abhorrere. Sed tamen quasi ea vera sit, cetera persequamur. Sequitur,

Nisi quod populo, & plebi, &c.] Illud *nisi* significat, hanc exceptionem quandam esse ab eo, quod antecessit. Servavit igitur modum legis Falcidiae, nisi in iis, quae sequuntur. Quaenam autem illa sunt? Pauca videlicet quaedam, *Populo*, inquit, *& plebi.* Cur, cum populum dixisset, plebem addidit? Nonne *populi* nomine etiam plebs continetur? Conjungebantur haec interdum ad majorem quandam expressionem. Sic lib. 10. epistolarum Ciceronis: *M. Lepidus Imp. it. Pont. Max. Senatui Populo Plebique Rom.* & lib. 12. *P. Lentulus P. F. pro Quaest. pro Praet. S. D. Coss. Praett. Tribb. pl. Senatui, Populo, Plebique R.* Quantulum igitur populo, & plebi legavit? In libris Taciti, praeterquam in iis, qui a me emendati sunt, legitur CCCCXXXV. superducta linea transversa in iis, quorum editioni Beroaldus junior, homo eruditissimus, praefuit, ut significentur millia: quam qui postea detraxerunt, legatum fecerunt nongentis nonaginta novem partibus minus. sed illam scripturam depravatam esse constat e Suetonio, scribendumque, ut ego edendum curavi, *populi, & plebi quadringenties, tribubus tricies quinquies.* error ex eo natus, quod quid interesset inter *decem*, & *decies*, *centum*, & *centies*, & similia ante Budaeum, non multi sciebant. Interest autem immane quantum: id est, quantum inter unum nummum, & inter centum millia nummum. Videamus igitur, quantula haec summa sit, quod, ut omnes facilius consequamini, paulatim, quasi per gra-

dus

dus progrediar. Principio positum sit XXV. sestertios illorum temporum, si ad monetam nostram revocentur, efficere scutatum unum decem juliorum. Progrediamur per decem: quae multiplicandi ratio omnium facillima est. si 25. sestertii efficiunt scutatum unum, ergo 250. sestertii, scutatos decem: 2500. sestertii, scutatos centum: 25000. sestertium scutatos mille. Centum millia H S. quatuor millia scutatorum. 500. M H. S. v. 20000. Mille millia sestertium, quadraginta millia scutatorum. sed non numerabant hoc modo, ut dicerent mille millia; dicebant, decies centena millia, aut decies centena. Horatius: — *Decies centena dedisses*, &c. Aut simpliciter, *Decies*. Martialis: *Bis totum decies non totum tabuit anno*. *Decies* igitur efficit quadraginta millia scutatorum. Ergo *centies* efficit quadringenta millia. Quantum igitur efficit monetae nostrae illud *quadringenties*, quod populo, & plebi legatum dicitur? Mille sexcenta millia scutatorum, seu, ut planius dicam, unum milionem, & sexcenta millia. Quid illud, *tricies*, & *quinquies*, quod tribubus? centum quadraginta millia scutatorum. Summa millio unus, & septingenta quadraginta millia scutatorum. (1740000.) Exigua pecunia. nihilne amplius? Immo etiam.

Praetoriarum cohortium militibus singula nummum millia] Id est, in singula capita quadragenos scutatos. Unaquaeque legio decem cohortes habebat, quarum in prima, quae & *milliaria* dicebatur, pedites erant mille centum quinque. Equites loricati triginta duo. In ceteris, pedites in singulis quingenti quinquaginta quinque: equites loricati sexaginta sex. Auctor Vegetius lib. 2. Augustus autem assidue in urbe tres cohortes habebat ad custodiam urbis, & sui. Eae partim *praetoriae*, partim *urbanae* dicebantur. &c. Tacitus quidem hoc loco *urbanarum* non meminit, tantum enim *praetorias*, & *legionarias* nominat. at Suetonius aperte distinguit, cujus haec verba sunt: *Praetorianis militibus singula*, &c. Sed existimo, has cohortes inter se ita munia partiri solitas, ut singulis noctibus una in palatio excubias ageret, duae obirent urbem, ductu praefecti vigilum, ad impediendos grassatores, & ad prohibenda incendia. Cui rei argumento est, quod cum de excubitoribus palatinis agitur, una tantum cohors nominatur. Suetonius in Othone:

Qu-

Quoties coena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat. Tacitus in eadem re explicanda, *eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii*, &c. Suetonius in Othone: *Obstitit respectus cohortis, quae tunc excubabat*. Sequitur,

Legionariis autem cohortibus civium R. trecenos nummos viritim dedit.] Trecenti nummi efficiunt duodecim scutatos. Haec vero immensa quaedam, & infinita vis pecuniae est. Nam post exutum Lepidum quadraginta quatuor legiones habuit Augustus, quas ad tutamen orbis terrarum distribuit. Quanquam igitur rationem hujus pecuniae accurate iniri, ac subducere non possumus, facile tamen intelligimus, hoc uno legato plus quam tribus superioribus contineri; ideo autem dixit *civium R.* quia erant & in exercitu cohortes auxiliarium, e populis sociis, & amicis, ac foederatis. Haec igitur legata ait fuisse Tacitus *ultra civilem modum*. sed *civilem modum* non accipio *modum* Falcidia lege praescriptum. Certe enim Falcidiae, ne in militari quidem testamento locus est: ut norunt, qui vel primoribus labris Jus civile attigerunt: nedum in testamento imperatoris locum habeat: quem hujusmodi legibus solutum esse constat. Hoc igitur ita intelligo, legata ab eo fuisse modica, & modesta, neque excedentia usitatum locupletibus, & copiosis civibus in condendis testamentis modum. Certe enim *civile* etiam in libris Juris saepe dicitur, quod moderatum est, & usitatum, & ordinarium. Et ita dixit Cicero *odium civile* in Miloniana, non ulla propria, ac privata de causa susceptum, sed usitatum bonis omnibus adversus improbos: *Quid enim odisset Clodium*, &c. Peccat enim Victorius, qui *commune* eo loco, non *civile*, adversus omnium librorum fidem, scribendum putat. sic Ovidius:

Exercet memores plus quam civiliter iras.

Augustus igitur legata non reliquit ultra civilem modum, nisi ea quae modo exposuimus. Nam haec quidem magna plane, & ampla sunt, ultra civilem modum, & imperatoria potius, quam civilia. Restat adhuc scrupulus unus, qui eximendus est. Quomodo enim dicitur Augustus legasse *populo & plebi quadringenties, tribubus tricies quinquies?* Annon & populus, & plebs triginta quinque tribubus continebatur? Nonne igitur

idem prorſus eſt legare *populo*, *plebique*, & legare *tribubus*? Cicero quidem ita argumentatur lib. 6. Philipp. *Num quisnam eſt veſtrum, qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illum quinque, & triginta tribus patronum adoptarunt*. ſed tamen intelligendum eſt, ejus, quod populo, plebique legatum erat, tantundem pertinuiſſe ad unumquemque civium: ejus, quod ſingulis tribubus, non item. in alia enim tribu plures, in alia pauciores erant. legavit igitur univerſo populo quadringenties: ac praeterea in ſingulas tribus centena millia, id eſt, quaterna millia ſcutatorum.

Gallus Aſinius. &c.] Horum uterque paulo poſt graviter offendit Tiberium, ut ſtatim dicetur, & Tiberius utrique exitium machinatus eſt. C. igitur Aſinius Gallus, oratoris nobiliſſimi F. (cujus pater etiam de principatu eloquentiae viſus erat cum Cicerone contendere: cui Agrippina, dimiſſa a Tiberio, nupſerat,) cenſuit, ut funus Auguſti porta triumphali duceretur. *Porta triumphalis* erat trans Tiberim, in ea parte moenium, quae producebatur a Mole Hadriana, usque ad portam quae hodie *S. Spiritus* dicitur. per eam ſemper ducebantur triumphi. Hodie nulla eſt. Aſinius igitur, honoris cauſſa, triumphali efferendum Auguſti corpus in campum Martium cenſuit, praecedente Victoria, quae in curia erat, canentibus naeniam principum liberis utriusque ſexus. L. Aruntius unus & ipſe ex principibus ſenatus legum ab Auguſto latarum titulos, ut *majeſtatis*, *de adulteriis*, *repetun. de peculatu*, *de judiciis*, *de ſacerdotiis*, alias: & gentium ab eo victarum vocabula, haſtis praefixa, praeferenda. alia multa ſunt, quae in Auguſti honorem multos cenſuiſſe, Suetonius refert.

Renovandum per annos ſacramentum] Jurandum quotannis in Tiberii acta. Interceſſit autem Tiberius ipſe, quo minus id fieret.

Num ſe mandante eam ſententiam prompſiſſet] Illam enim ſuſpicionem & facile in ſe cadere, & procul a ſe amotam volebat.

Sponte dixiſſe reſpondit: neque in iis &c.] Thetis apud Homerum Achilli ob Patrocli mortem irato, & neganti ſe conquieturum, donec interfeciſſet Hectorem: Ὠκύμορος δή μοι, inquit, τέκος ἔσσεαι, οἷ᾽ ἀγορεύεις. & eo verſu Ariſtoteles reprimere conabatur libertatem Calliſthenis, apud Alexandrum liberius, quam

par

par erat, loquentis. Eodem versu quispiam ad Messallam uti poterat, Valde metuendum erat, ne illa loquendi libertas ipsi periculum crearet. Notate autem callidissimum adulatorum genus, qui libertatis specie adulantur. Extat quiddam valde simile apud Plutarchum, in commentariolo, quo docet, *quomodo adulator ab amico internosci queat.* Senatorem narrat quendam fuisse, qui olim, cum Tiberius in senatu praesens adesset, surrexit ad dicendum, & composito ad severitatem vultu, *Enimvero*, inquit, *liberos homines libere loqui oportet; neque quidquam reticere eorum, quae ad rempublicam pertinere judicant, vel cum periculo offensionis.* Adstitere erectis animis omnes, & taciti, quid hic tam libere loquax dicturus esset, expectabant. Desitum jam pridem orationis genus ipsum quoque Tiberium adverterat. Tum ille, *audi*, inquit, *Caesar, quid sit, quod omnes nos tibi succensemus: neque tamen quisquam libere dicere audet.* Cohorruerant omnes dubitantes, quo tandem evasurus esset. At ille, *Negligis*, inquit, *temet ipsum, (dicendum enim libere est) neque corporis tui curam ullam geris: maceras te assidue curis, ac laboribus caussa nostra susceptis, neque interdiu, neque noctu conquiescis.* Talia multa continuante, ac contexente illo, Cassius Severus, ad eos, qui sibi adsidebant, conversus, *Quam metuo*, inquit, *ne illa libertas huic homini exitiosa sit.* Sed ego saepe notavi talem libertatem in multis principum virorum familiaribus, neque tamen, quae principum lenitas est, eam unquam cuiquam exitiosam fuisse cognovi. E multis autem adulationis generibus, nullum puto esse, quod aut facilius fallat, aut altius penetret. hic vero non unus, aut alter a patribus, sed quasi turpe esset relinqui, & quasi convenisset inter illos id quod ludentes pueri dicunt: *Occupet extremum scabies*: facto agmine, universi *conclamant patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum*, digniores ipsi, cum illa sua tam foeda, tamque servili, adulatione, qui omnes in idem plaustrum conjecti, ad eundem efferrentur rogum. Conclamatio enim illa plane conclamatam esse senatus auctoritatem indicabat. Quid Tiberius? Non imperavit quidem, ut id facerent, quod faciendum esse clamarant, neque tamen vetuit. Utrumque arrogantiae videri poterat: neque eos monuit, ut retinerent dignitatem ordinis

sui, neve vespillonibus, ac sandapilariis munus suum praeriperent: satis multa honorifice decerni posse in Augustum, quibus senatus majestas nihil imminueretur, ne ipsum quidem, si quis earum rerum sensus ad mortuos pertineret, velle honorem suum cum senatus contumelia conjungi: qua in oratione aliqua modestiae, ac moderationis significatio, sine ulla arrogantia, fuisset: sed quasi medium secans *remisit*, id est, rem totam eorum arbitrio permisit; neque jussit, neque vetuit. Caesar lib. 7. de Bello Gall. *Quin etiam ipsis remittere, si sibi magis honorem tribuere, quam ab se salutem accipere videantur.* *Arroganti*, ait Tacitus, *moderatione.* Nam si aut imperasset, aut prohibuisset, mera arrogantia fuisset, sine ulla admistione, ac temperamento moderationis: si blande recusasset, ac dissuasisset, mera modestia; quod remisit, arrogantia fuit sub moderationis velamento delitescens. Est autem *remittere quippiam alii*, non prohibere quidem, ne faciat, sed non imponere ei ejus faciendi necessitatem. Itaque senatores hac Tiberii remissione usi non sunt: sed magno animo subierunt feretrum, & corpus Augusti ad rogum humeris suis pertulerunt. Ex cubiculo, in quo mortuus erat, quadraginta illum praetoriani milites in publicum extulerant. Inde decuriones municipiorum, & coloniarum, Bovillas usque deportaverunt. Ibi eum equester ordo susceptum in urbem intulerat, & in vestibulo domus collocarat. Unde acceptum senatores in campum Martium intulerunt. Ita, qui vivus omnium libertatem oppresserat, mortuus omnium humeros pressit. Sequitur apud Tacitum:

Populumque edicto monuit, &c.] Cum rogus cremando Caesari in campo Martis sede extructus esset, populus eum summo tumultu, direptis subselliis, cancellis, mensis argentariorum, in foro cremavit: ut e Suetonio, Plutarcho, & aliis notum est. Imperatorum, & nobiliorum civium corpora in campo Martio, qui tunc extra Urbem erat, cremabantur, cum alioqui in suis quisque praediis post mortem uri, ac condi soleret.

Milites velut praesidio sisteret] Quasi periculum esset, ne quis supremos illos honores impediret, neu populus corpus unco per vias tractum in scalas Gemonias, aut in Tiberim projiceret.

Multum irridentibus qui ipsi viderant] Sed eos valde se-

ſenes, ac prope ipſi Auguſto aequaevos eſſe oportebat.

Crudi adhuc ſervitii] Cum populus R. ſervitutem, in quam paulo ante redactus fuerat, nondum bene concoxiſſet, neque ad eam occalluiſſet.

Et libertatis improſpere repetitae] Ideo enim interfecerant Caeſarem conjurati, ut populo libertatem reſtituerent. At conatus ille parum proſperos ſucceſſus habuit.

Cum occiſus dictator Caeſar, aliis peſſimum, ut M. Antonio, ut M Lepido, aliis plurimis, aliis pulcherrimum facinus videretur] Iis videlicet, qui morte illius revixiſſe libertatem putabant.

Nunc ſenem principem annorum LXXVI. *longa potentia annorum* LVI. *provisis etiam heredum in remp. opibus*] Nam heredes ſibi, & inſtituerat, & ſubſtituerat ſe mortuo imperaturos.

Auxilio ſcilicet militari] Magnum enim periculum eſſe, ne quis eam turbare, ſeque eadem opera, & militibus, & populo dilaniandum, ac diſcerpendum objicere vellet.

Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo] Ora populi cohibet principis vita, mors laxat. De vivo principe omnes dicentes audias. omnia illius dicta, facta, conſilia uno ore laudantur: mors judicia hominum aperit. Quae pridie tollebantur in caelum, ab illis ipſis heſternis laudatoribus poſtridie vituperari videas. Atque ea res multis interdum exitio fuit, qui dum, quae nimis avide cupiunt, nimis facile credunt, deſperantibus adhuc principibus, cum falſus aliquis rumor, de eorum morte diſſipatus eſt, ea loqui properarunt, quae poſtea capite luerent. Neque defuerunt principes, qui compoſito tales rumores de ſe diſſeminandos curarent, ut quos morte ſua laetatos eſſe cognoſcunt, eorum ipſi morte fruerentur. Sed Tacitus mira prudentia, ut ſolet, primum exponit, quae vulgares, & imperiti, deinde quae periti, & intelligentes de Auguſto poſt ejus mortem, varie dicerent. *Pleriſque*, inquit, *vana mirantibus*. Merito admirationi ſunt ea, quae aut facta non ſunt, cum cauſſa eſſet, cur veriſimile eſſet factum iri, aut facta ſunt, cum cauſſa eſſet, cur fieri non oporteret. Utrorumque enim, & cauſſa aliqua eſt, & ignoratur. Cauſſae autem ignoratio admirationem parit. At vulgus ea quoque miratur, quorum

rum causa in promptu est: qualia sunt, quae hic commemorat Tacitus.

Quod idem dies accepti, &c.] Quasi causa ulla fuerit, cur eo die mori non deberet; aut mirandum sit, ullo die evenisse, quod nullo non potest. Eodem jure mirari poterant, quod Augustus Augusto mense mortuus foret: obiit enim XIV. Kal. Septembris: & quod non paulum etiam expectasset, ut mense Septembri natus, eodem mense moreretur; ut hoc quoque referretur inter miranda. Admirabilis videri poterat, quod cum Quirini templum dedicaret, septuaginta-sex columnis illud ornaverit, quasi totidem se annos victurum esse divinans. Sed admiratio in aliis sapientiae initium, in aliis stultitiae indicium est. Sic mirati sunt olim quidam, quod qua nocte Alexander Magnus natus est, eadem templum Dianae Ephesiae conflagrasset, quasi haec quiddam inter se commune haberent. Sic quosdam ipso natali die suo mortuos esse mirantur: quod olim Antipatro Sidonio, poëtae; patrum memoria Raphaëli Urbinati, pictori eximio, contigit; quasi non quotidie nascantur homines, quotidie intereant. Sic Henrico II. Gallorum regi, idem dies, & vitae, & imperii princeps fuit. Natus enim pridie Kal. Aprilis, eodem die patri successit in regnum. Sic Karolus V. die natali suo coronatus est imperator; & die item natali suo nobilissimam de Francisco I. Gallorum rege, victoriam ad Ticinum consecutus. Qui talia mirantur, nunquam eis, quod mirentur, defuturum est. Ac mihi magis mirandum videtur reperiri, quibus haec miranda videantur: nisi scirem, stultum esse, si quis magnam stultorum multitudinem esse miretur. Sed quo modo idem dies accepti quondam imperii princeps, & vitae supremus Augusto fuit? Certe post Actiacam demum pugnam, qua profligatus est Antonius, summum orbis terrarum imperium accepit. At pugna illa pugnata est IV. Kal. Septembr. Augustus autem non IV. sed XIV. Kal. Septembr. inter homines esse desiit. Sed hoc quod dicit Tacitus, referendum est ad primum consulatum Augusti, quem ipse in locum C. Vibii Pansae iniit XIV. Kal. Septemb.

Quod Nolae in domo &c.] Stulte mirabantur tempus: stultius locum. Quid enim habet admirationis, quo in cubiculo mortuus sit pater, in eodem filium mori? Idem quo-

quotidie multis evenit. Ubi enim quemque deprehendit mors, ibi ei manus injicit; neque expectat, dum in aliud cubiculum transferatur. Idem de Tito notant, in eadem villa mortuum, in qua excesserat pater. Et fortassis hoc mirum sit, cogitanti, quod ait Juvenalis:

Ad generum Cereris sine caede & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

E duodecim certe, quorum vitas Suetonius scripsit, septem violenta morte perierunt: ut taceam, quod & Augusto ipsi, & Tiberio, & Claudio accelerata esse mors dicitur.

Numerus etiam consulatuum &c.] Sexies Corvinus, septies Marius, Augustus terdecies consul fuit. Tertii decimi consulatus memoria extat, & in veteri quadam inscriptione apud Fanestres. Hic quidam, qui scholia scripsit in Tacitum, inepte ait, hac in re Dionem a Tacito & a Suetonio dissentire. Tribui enim a Dione Augusto etiam quartum decimum consulatum, quem gesserit cum L. Aemilio Paulo, anno ab urbe condita 745. neque animadvertit, non Augustum ipsum fuisse, sed Gajum, Agrippae filium, quem adoptaverat Augustus, illo anno consulem fuisse. Hunc ei fortasse errorem objecit Xylander, qui Dionem vertens, primus ad illum lapidem impegit. Nam cum Graece esset Αὐγούστου υἱὸς, nisi quod leviter erraverat librarius, scripseratque Αὐγουστῆος pro Αὐγούστου, ipse *Caesarem Augustum* vertit, & de suo addidit XIV.

Continuata per VII & XXX. annos] Non integros quidem, sed triginta sex, sextam fere, & tricesimi septimi partem.

Nomen imperatoris semel atque vicies partum] Duces exercituum, antiquitus re bene gesta, gaudio & impetu victoriae exercitus imperatores conclamabantur, ut est apud hunc nostrum tertio horum librorum; & hanc appellationem confirmare senatus solebat. At qui postea rerum potiti sunt, alio sensu *imperatores* vocati sunt, cum eo nomine summa rerum omnium potestas indicaretur. Praeponebant autem *imperatoris* nomen nominibus suis, non, ut olim, postponebant; exempli caussa, non hoc modo, *C. Julius divi F. Imperator Augustus*, sed hoc, *Imperator C. Julius divi F. Caesar*

Octavianus Augustus. Sed tum quoque jam imperium adepti, quoties, aut per se, aut per legatos insignem aliquam victoriam adepti erant, *imperatorum* nomen adsumebant. Et sic Augustus nomen imperatoris semel, ac vicies pepererat: ut quo anno mortuus est vocaretur *Imp. Caesar divi F. Augustus cos. XIII. trib. pot. XXXVII. Imperator XXI. P. P.*

Aliaque honorum multiplicata, aut nova] *Multiplicata*, ut consulatus, ut nomen imperatoris, semel, ac vicies partum. *Nova*, ut tribunitia potestas, ut regimen morum, quod sine censura habebat. Elegantissime autem dixit, *alia honorum*, cum usitatius dicere posset alios honores. Sic *tenuia rerum*, Lucretius: *abdita rerum*, Horatius: sic, *omnia rerum*, Propertius. *Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.*

At apud prudentes vita ejus varie extollebatur, arguebaturve, antea dixerat, *plerisque vana mirantibus*, hic, *at apud prudentes.*] Nota hic, *plerisque*, id est, τοῖς πολλοῖς, opponi prudentes, id est, rerum peritos & intelligentes. Apud *prudentes* igitur, *vita ejus varie extollebatur, arguebaturve*. *Extollebatur* quidem, quia multa callide fecerat: quia naturam suam texerat, & quocunque opus videbatur, varie flexerat: quia cum imperandi cupidissimus esset, viam, qua, quod volebat consequi posset, & acute viderat, & constanter, ac firmiter, usque ad extremum tenuerat. Solent autem ii, qui a Graecis δεινοὶ καὶ δεντρέμοι vocantur, pro *prudentibus* haberi. *Arguebaturve*. Vidi, qui hoc loco Tacitum reprehendere auderent, ut non satis concinne locutum. Nam extolli, & deprimi contraria sunt: non extolli, & argui. Melius itaque potuisse scribi, *extollebatur deprimebaturve*. Sed isti reprehensores aliud agant, censeo, & ab iis, quae non intelligunt, reprehendendis abstineant. Erant, qui Augusti prudentiam extollerent, multaque, ut ab eo prudenter acta, commendarent. Erant, qui eadem illa, non deprimerent quidem, & abjicerent, sed *arguerent*, id est, certis argumentis convincerent, non eo animo facta esse ab Augusto, quo dicerentur: longe aliam ipsius mentem ac voluntatem fuisse. est autem *arguere*, ἐλέγχειν.

Hi pietate erga parentem.] Erga C. Caesarem, cujus mortem inultam praeteriri nefas erat.

Et

Et necessitudine reip.] Necessitate. Vide A. Gellium lib. 13. cap. 3.

In qua nullus tunc legibus locus] Judicia enim, ut dictum est, turbabantur vi, ambitu, pecunia.

Ad arma civilia actum &c.] Itaque si quid secus, quam oporteret, actum esset; necessitati condonandum, non Augustum propterea accusandum videri.

Multa Antonio, &c.] Quae & ipsa necessitati adscribenda essent.

Postquam hic] Lepidus, *socordia senuerit*, *ille*, Antonius, *per libidines pessumdatus sit*, amore Cleopatrae, *non aliud discordantis patriae remedium fuisse*, *quam*, *ut ab uno regeretur*, id est, ut ipse loquitur libro primo Annalium ab excessu Neronis, *omnem potestatem ad unum conferri*, *pacis interfuisse*.

Non regno tamen, &c.] Poterat sibi per vim regnum vindicare; poterat dictaturam perpetuam, quam sibi ultro a Senatu oblatam constantissime recusavit; neutrum voluit. sciebat enim, nomen regium, expulso Tarquinio, nomen dictatoris, interfecto Caesare, in perpetuum e rep. sublatum esse. *Principis* igitur nomine, in quo nihil superbum, nihil tyrannicum esset, contentus fuit. Pulchrum remedium: si, nominum acerbitate sublata, rerum quoque ipsarum acerbitas tolleretur.

Constitutam remp.] Quae antea nutabat, ac fluctuabat.

Mari Oceano, *aut amnibus longinquis*] ut Albi, ut Danubio *septum imperium*.

Legiones, *provincias*, *classes*, *cuncta inter se connexa*] Quae antea multis in locis multorum dierum itinere disjungebantur. Dici autem non potest, & in aedificiis, & in possessionibus, & in imperio, quanto majores fructus ferant, quantoque facilius regantur, ac conserventur, quae inter se conjuncta, ac connexa sunt. Si Philippi, Hispaniarum regis, provinciae connexae, ac continuatae essent, vix aliorum omnium principum vires in unum collatae obsistere illius unius viribus possent.

Urbem ipsam magnifico ornatu] Unde gloriabatur, a se marmoream relinqui, quam lateritiam accepisset.

Pauca admodum vi tractata,] Ἅπας δὲ τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ, ait Aeschylus.

adjungeret. postea in Sexti navibus cum M. Antonio conaverat. Ipse eum convivio exceperat. M. Marcello sororis filio, Pompejum, Sex. filiam, desponderat. Sed tamen eum postea e medio tollendum curavit. Vide Dionem lib. 48.

Sed Lepidum specie amicitiae deceptos] Huic enim ex Africa evocato, ut sibi adversus Pompejum auxilio esset, postea viginti legiones ademit.

Tarentino Brundisinoque foedere] Utriusque meminit Plutarchus in Antonio, & Vellejus lib. 2.

Et nuptiis sororis illectum] Octaviae, sororis Augusti, quae prius cum C. Marcello nupta fuerat, & ex eo M. Marcellum susceperat.

Subdolae affinitatis poenas, morte exsolvisse] Cum Augustus sororem suam, propter amorem Cleopatrae ab Antonio deseri, & contemni, iniquo animo ferret.

Pacem sine dubio post haec] Janum enim clausit, ut alio loco dicetur.

Verum cruentam] Multorum enim civium sanguine maduit.

Lollianas, Varianasque clades] De Lolliana clade, Dio lib. 54. Vellejus lib. 2. Suetonius, eam majoris infamiae, quam detrimenti fuisse ait. De Variana paulo post copiose agendum erit.

Interfectos Romae Varrones, Egnatios, Julos] Augusti, etsi, a quo tempore solus imperare coepit, optimi ac mitissimi principis, saepe petita insidiis vita est: idque Plinius commemorat inter ea, quae perturbarunt ac contaminarunt ipsius felicitatem. Conjuravit in eum Salvidienus Rufus, quem obscurissimo genere natum, Augustus ad summam amplitudinem produxerat. Qui in senatu, tanquam Caesaris & populi Romani hostis, jugulatus est. Conjuravit M. Lepidus, triumviri F. quem Maecenas, qui tunc urbis praefectus erat, oppressit. Conjuravit L. Licinius Varro Muraena una cum Fannio Caepione, qui *auctoritate*, ut ait Vellejus, *publica oppressi, quod vi facere voluerant, jure passi sunt.* Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, cum facinoris consciis in carcere interfectus est. Conjuravit & L. Cinna, Cn. Pompeji nepos, cui deprehenso, & manifesto facinoris, maxima etiam sua gloria Augustus ignovit. Conjurare aussi & alii ho-

homines ignobilissimi, quos hoc loco recensere non est necesse. De Julo, quem Tacitus postremo loco nominat, libet paulo plura dicere. Filius hic M. Antonii, triumviri, ex Fulvia fuit, puer magni & excelsi animi, & ad multa largienda propensi. Puer adhuc, Philotae medico, Antissensi, ob sophisma quoddam super coenam allatum, dono dedit abacum multis ingentibus argenteis poculis onustum. quem cum ille accipere recusaret, veritus ne puero, injussu patris, tam multa dandi potestas non esset, subiratus puer, *Accipe*, inquit, *nihil cunctatus. an nescis eum, qui haec sibi dat, filium esse M. Antonii illius, qui totidem vasa aurea donare nullo suo incommodo potest?* Victo Antonio, ita se in eum clementer gessit Augustus, ut Octaviae, sorori suae, optimae mulieri, educandum dederit, quae singularis exempli noverca, ita privignos suos, Antonii, a quo ipsa tam multas contumelias acceperat, liberos, non secus educavit, ac suos. Itaque procedente aetate cum principem amoris, ac dignitatis locum obtineret Agrippa, proximum privigni, Tiberius, & Drusus, tertius ab eis numerabatur Antonius. Quin etiam eam Octaviae filiam, quam Agrippa, Juliae ducendae caussa, mortuo Marcello, dimiserat, huic Antonio in matrimonium collocavit Augustus. Fuisse ei opinor a principio idem praenomen, quod patri. Sed cum in odium M. Antonii triumviri senatusconsultum factum esset, ne quis Antoniorum amplius Marci praenomine uteretur, novo praenomine Julum Antonium vocatum esse. Extat ad eum pulcherrima Ode Horatii, de laudibus Pindari. Hic, & sacerdotio, & praetura, & adfinitate, & consulatu, quem cum Q. Fabio Africano gesserat, & provinciis ornatus ab Augusto, ausus temerare Juliam, Augusti filiam, mulierem impudicissimam, cum id non tam libidinis, quam capiendi nefarii alicujus adversus Augustum consilii, caussa fecisse crederetur, aut morte affectus est, ut Dio ait: aut, ut Vellejus, *facinoris conscientia mortem sibi ipse conscivit.* Haec igitur erant, quae calumniarentur, accusarentque, ut ab Augusto crudeliter, & tyrannice facta.

Abducta Neroni uxor] Livia, quae etiam priori viro nupta adulterium fecisse cum Augusto, ut ante dixi, putabatur.

An

An concepto, nec dum edito partu, rite nuberet] Nam, ne mortuo quidem marito, licebat olim mulieri ad secundas nuptias transire, nisi post decimum mensem, ne familiae turbarentur, & quae secus fecisset, infamia notabatur. Et inde illa in instituendis, exheredandisve postumis formula: *Si quis mihi filius, filiave, in decem proximis mensibus, nascetur*: & inspici, ac custodiri nonnunquam ab agnatis prioris viri solebant. Ovidius:

Per totidem menses a funere conjugis, uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Ergo idem servandum erat in divortio. Ratio enim utrobique eadem. Consulenti autem Augusto respondere Pontifices, si ambiguum esset; concepisset Livia, an minus, non posse eam a Tiberio relictam statim alteri nubere: sin concepisse constaret, libere posse. Quam responsionem, etsi quidam fuisse jocularem putant, ego tamen veram, ac seriam fuisse arbitror. Nam si res dubia fuisset, & ipsa postea ex Augusto peperisset mense septimo, filius videri potuisset ex priore viro susceptus. at cum ita constaret, eam gravidam esse, ut tertio mense, posteaquam cum Augusto esse coeperat, Drusum enixa sit, res dubitationem habere non poterat. Fortassis autem pro *nuberet*, legendum *enuberet*.

Q. Atedii, aut Vedii Pollionis luxus] Nominatur quidem Atedius inter amicos Augusti, nominatur & Vedius. Unde suspicari posset aliquis, duos esse. Verius tamen puto, erratum esse a librariis, eosque, ut saepe, scripsisse Q. Atedii, aut Vedii Pollionis, cum dubitarent, utro modo scriptum esset. De luxu autem Vedii Pollionis nota sunt, quae narrat Seneca lib. 3. de ira: etsi ibi quoque legitur *Atedius*, & libro primo de Clementia, ubi eundem nominat Vedium, & Dio lib. 54.

Postremo Livia gravis in remp. mater] Ejus enim consilio omnia faciebat, & filiis ipsius omnia tribuebat Augustus.

Gravis domui Caesarum noverca] Neque enim conquievit, donec totam Caesarum progeniem extinxit.

Cum se templis, & effigie numinum per flamines, & sacerdotes coli vellet] Horatius:

Praesenti tibi maturas largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Idem:
Caelo tonantem credidimus Jovem
Regnare, praesens Divus habebitur Augustus.
Virgilius: *Ignarosque viae tandem miseratus agrestes, Ingredere, & votis jam nunc assuesce vocari.* Horatius: *Condit quisque diem* &c. Suetonius tamen, *Templa*, inquit, *quamvis sciret etiam proconsulibus* &c. Reperiuntur numi veteres, cum hac inscriptione (*Romae & Augusti*) lapides cum hac: *Sacerdos Romae & Augusti.*) Apud Sex. Rufum, *templum Romae & Augusti* templi Pacis (*Augusti solius*) in regione Fori Rom. Sed hoc Livia Augusto jam in Deos relato posuit. In Asia; in Bithynia vivo & consentienti templa posita sunt. Mortuo Nolae Tiberius dedicavit.

Ne Tiberium quidem caritate &c.] Dictum Augusti de Tiberio est: *miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* Hoc ipsum ita expressit Dio sub finem libri 56. Τοιῶνδε ἐν τῷ ... &c. Suetonius, *tradidisse quosdam, ambitione tractum Augustum, ut, tali successore, desiderabilior ipse quandoque fieret.* quod tamen ipse multis argumentis refutat.

Cum Tiberio tribunitiam potestatem] Primum postulaverat tribunitiam potestatem Tiberii, tantum in quinquennium, deinde aut in alterum quinquennium, aut, ut alii volunt, in decennium postulavit.

Velut excusando] Nullum malevolentius est obtrectatorum genus.

Templum & caelestes religiones decernunt] Ita enim decernebant, quasi sententiis suis Deos facere possent. Allegatus etiam & corruptus a Julia, dato vicies HS. Numerius Atticus, vir praetorius, qui se effigiem cremati euntem in caelum vidisse juraret.

Versae inde ad Tiberium preces] Ut illud molestissimum imperii onus suscipere dignaretur. (*Et ille varie disserebat*) Non erat ita superbus, ut illas preces aspernaretur: non ita segnis, ut illum cunctis regendi laborem rejiceret. rogari volebat.

De magnitudine imperii, sua modestia] *Modestiam* dicit, non, ne quis sit error, virtutem animi nihil de se, nisi moderatum, sentientis; sed modicas & exiguas vires suas, opponiturque hoc sensu *modestia magnitudini.* Sic lib. 3. *Simul modestiae Neronis, & suae magnitudini*

fide-

fidebat. & lib. 4. *Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia*. & lib. 12. *magna Deum benignitate & modestia hiemis rebus extremis subventum*. (*Solam divi Augusti mentem tantae molis capacem*.) neque jam reperiri posse alium qui idem onus sustineret. (*Se in partem curarum ab illo vocatum*) quo tempore, ut diximus, consors imperii assumptus est (*experiendo*) quod certissimum discendi genus est. (*Didicisse quam arduum*) χαλεπὸν, δυσχερὲς, δυσφορον (*quam subjectum fortunae regendi cuncta onus*) multa enim accidunt, quae nulla ratione, nullo humano consilio provideri queunt. (*Proinde in civitate tot illustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent*) Sed publica munera in plures distribuerent. (*Plures facilius munia reipub. sociatis laboribus exsecuturos*) Quantum dolorem inussisset Senatus Tiberio, si ejus precibus paruisset. Quam multa contra verum dicunt, *rogant ea, quae impetrare nollent*. (*Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat*) ut saepe speciosa orationis velo improbissima consilia obtendi solent.

Suspensa semper & obscura verba] Nullum unquam principem fuisse simulandi ac dissimulandi peritiorem, omnes summo consensu historiarum scriptores praedicant. & multi in ea sunt sententia, ut eam unam esse ex praecipuis regum ac principum laudibus putent. De quo tamen varie disputari potest. Nihil enim tam servile videtur quam mentiri: unde & eos qui vere & aperte loquuntur, neque quicquam reticent, *libere loqui* dicimus. Achilles certe, qui ingenio vel maxime regio fuisse perhibetur, & apud Homerum, & apud Euripidem ait, eum sibi morte odiosiorem esse, qui aliud sentiat, aliud loquatur, seque id negat ullo modo aut facere, aut alium facientem probare posse. Neque à patre degenerat Neoptolemus ille Sophocleus, qui cum, Ulixis jussu, Philoctetem fallere coepisset, redit statim ad ingenium, & tegere quae vera erant, non potest. Sed tamen negari non potest, quin simulatio & dissimulatio saepe principibus necessaria, & in eis summe commendanda sit. ut cum ejusmodi aliquid accidit, quale cum Aeneas Virgilianus *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*. etenim si princeps apertus sit, & simulandi ac dissimulandi imperitus, omnia illius consilia patescent: quo nihil perniciosius est, aut majori ad res gerendas impedimen-

to. Iccirco enim veteres Consi, quem faciebant consiliorum Deum, in locis subterraneis sacra faciebant, ut ostenderent, ea demum consilia utilia esse, quae laterent. Et laudatur dictum Q. Metelli Pii, qui interrogatus quid postridie facturus esset, *Tunicam*, inquit, *meam comburerem, si putarem ab ea consilium meum detegi posse*. Et Francisco I. Galliarum regi, omnibus prope virtutibus regiis praedito, nihil magis obstitit, quam quod nimis aperte & libere, quid in animo haberet, eloquebatur: ita ut cogitationes ipsius prius interdum ad hostem, quam ad ipsius consiliarios, perferrentur. At alius quidam e regibus nostris, cum filios suos, qui in spem regni educabantur, nihil operae ad Latinas litteras percipiendas conferre voluisset, hanc unam sententiam ab eis disci voluit: *Qui nescit simulare, ac dissimulare, nescit regnare*. Summus Philosophorum Plato, cum alioqui mendacium ex omni bene instituta civitate exterminandum censeat, medicis tamen, & magistratibus ac principibus civitatis illud esse necessarium & salutare non diffitetur: eisque permittit, ut eo, cum publice expedit, utantur. At in Tiberio perpetua simulatio erat. nunquam ex illius aut vultu, aut sermone animum quisquam certo perspicere potuit. (*Seu natura sive adsuetudine*) quae, ut ait Euenus, in naturam vertitur (*suspensa semper & obscura verba.*) Itaque ut Apollo, sic Tiberius, λοξίας merito vocari poterat. (*Tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur.*) Quid enim deesse poterat, cum ad naturam & ad consuetudinem & conatus accederet? (*At patres quibus unus metus, si intelligere viderentur*) id est, qui nihil tam male metuebant, quam ne intelligere viderentur simulationem Tiberii. Sic Virgilius, *non metus officio nec te certasse priorem*, id est, non metuimus. (*si intelligere viderentur*) nihil enim molestius Tiberio poterat accidere, quam si astum suum ab aliis agnosci videret. Dio lib. 56. καὶ ἦ ἀρχόμενοι, &c.

Ad genua ipsius manus tendere] Indignos homines libertate: qui quod alii aversantur, & abominantur, id votis ac precibus peterent, ne liberi essent. Quid eis pejus optares, quam ut votorum compotes fierent? Haec igitur sic indigna faciebant, (*Cum Tiberius proferri libellum, recitarique jussit*) Suetonius una cum testamento

Augu-

Augusti allata in curiam a virginibus Vestalibus esse dicit, tria volumina aeque signata, atque ipsas testamenti tabulas. De quibus uno Augustus mandata de funere suo complexus erat: altero, indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur: tertio breviarium totius imperii: quantum militum sub signis ubique esset: quantum pecuniae in aerario, & fiscis, & vectigaliorum residuis. Adjecerat & libertorum servorumque nomina, a quibus ratio exigi posset. Dio quatuor fuisse ait, cujus haec sunt; [illegible] &c. Tacitus unum modo libellum nominat, quem a Druso recitari Tiberius jusserit, (*quo quidem opes publicae continebantur*, &c.) Eorum autem libellorum magna pars reperta est Ancyrae in Gallograecia, & edita Antverpiae: quam qui primus edidit Andr. Schottus, dici non potest, quantum vel hoc uno nomine studiosi veteris memoriae debeant. (*Trib. aut vectig.*) illa certa erant, haec incerta. (*necessitates*) necessarios sumptus. (*& largitiones*,) ut donativa, frumentationes, congiaria. (*metu*) ne barbari irritati Rhenum trajicerent, & Romanis negotium exhiberent (*an per invidiam*) ne quisquam successorum suorum latius imperaret.

Etiam Q. Haterius.] Seneca lib. 6. de beneficiis, & hunc, & Aruntium inter nobiles testamentorum captatores numerat. (*& Mamercus Scaurus.*) Hic eloquentia clarus, vita ita turpis & probrosus fuit, ut meritissimo eum Tacitus, lib. 3. *opprobrium majorum* vocet. De ejus turpitudine qui cognoscere aliquid volet, legat Senecam lib. 4. de beneficiis cap. 31. Damnatus tandem quod famosos versus scripsisset in Tiberium, poenam imminentem voluntaria morte praevenit. Tacitus lib. 5. (*suspicacem animum*) ut est omnium tyrannorum. (*Deesse caput reipub.*], ostendebat enim, cognitam sibi esse simulationem Tiberii, qui vellet quidem omnino imperare: sed cupitatem suam tegeret. Id significabat genere illo loquendi. *Quousque patieris* quasi de re in manu ac potestate Tiberii posita. (*Relatione cos.*) de imperio suo, (*jure trib. pot.*) quo poterat impedire, ne quicquam ratum esset eorum, de quibus referebatur. (*statim*) & hoc argumento erat, minus illi iratum esse, quam Scauro. (*Implacabilius*) Itaque tandem eum ad mor-

mortem adegit. (*Flexit*) ἀνίδωκε. Suetonius: *Principatum, quamvis neque occupare* &c.

Casu, an manibus] Seu casu, seu manibus ejus impeditus. Ita loquitur & Cicero aliquoties in epist. ad Atticum. (*alii parentem, alii matrem*) Dio.: καὶ πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα ἐπονομάζεσθαι γνώμην ἐδίδοσαν, &c. eadem, quae Tacitus, sunt etiam apud Suetonium, quem vide cap. 50. & 51. (*ne lictorem quidem*) quem & cognati principis, & Virgines Vestales habebant. (*Aramque adoptionis*) Sic *ara ultionis*, cum Tiberius ultus esset Germanici mortem, lib. 3. Sic ob Poppaeam *templum fecunditatis*, lib. 15. Sic, *Paci Aug: Sacrum*, quia pacem cum Parthis fecisset. (*Fortunae reduci Sacrum*) quod rediisset. (*Victoriae Aug. sacrum.*) Sic ergo *aram adoptionis*, quia, procurante Augusta, Tiberius in familiam Caesaris adoptatus esset. *Juliae F.* Hoc eo pertinebat, ut matris opera ad imperium pervenisse videretur. Frustra alii, *Liviae*. (*candidatos*) Sic petis, tanquam Caesaris candidatus. Quintilianus lib. 6. cap 3. *Commendo vobis hunc illum, ut suffragio vestro suam dignitatem teneant.*

Praetura] Fiebant autem tunc Praetores octo. l. 2. D. de origine juris. (*Tum primum e campo*) a populo, qui conveniebat in campum Martium. (*largitionibus, ac pr. sor.*) cogebatur enim partim donis, partim precibus suffragia mendicare. (*sine, repul. & amb.*) qui neque repelli possent, neque ambire cogerentur. (*Trib. plebei*) ita saepe & apud Ciceronem vocantur. (*Triumphali*) cum alioqui purpuram ferre non possent. (*Hic urb. rer. st. erat*) Expositis rebus urbanis, transit ad externas.

Mutatus princeps] Propter justitium, ut solet. (*Castris aestivis*) alia aestiva erant, alia hiberna. (*Tres simul leg.*) Octava, Nona, & Quintadecima. (*Junio Blaeso*) avunculo Sejani. Tacitus l. 3. (*Ob justitium*) quod erat mortuo principe, aut aliquo etiam propinquo principis. In aliis additur, *aut gaudium*: Male, sic lib. XIV. *l. & natos vel repertos*. Sic apud Xenophon. 1. Anab. ἀλλάξομαι ἢ ἐλάττον, cum legendum sit tantum, ἐλάττον. Sic apud Aristotelem lib. 1. rhetoric. ἐν ᾧ ἢ ἐν ᾧ ..., cum & apud Halicarnass. legatur tantum, ἐν ἐν. Apud Ciceronem in Academ, *& vel ut jam ante Socra-*

 tem;

tem, cum legendum sit, *& jam ante Socratem.* Multa talia indicavi in variis lect. lib. 15. cap. 16. (*Theatr. oper.*) eorum qui operam suam locabant ad fabulas agendas. (*Miscere coetus*) efficere, ut alii inter se conjurarent, alii ab aliis secederent ac discordarent. (*Histrionali studio*) quoniam ibi quoque grex unus saepe dissociandus erat, & spargenda seditionum semina, ut alii histriones ab aliis secederent. (*Imperitos animos*) militares ac rusticanos. *Dilapsis*. vide quae notavi cap. 5. lib. 11. var. lect. *Cur paucis c. p. tr.* ἀπὸ ἀκοινοῦ plures sumus atque illi. (*Quando*) ab opportunitate temporis. Aut nunc aliquid agendum est, aut nunquam. (*Satis per tot annos*) Infelicitatis nostrae culpam, non in alios potius, quam in nosmet ipsos conferre debemus. (*Ne dimissis quidem*) etiam post missionem sub signis habemur. *alio vocabulo*. veteranorum, aut vexillariorum. statim infra, *ne ultra sub vexillis tenerentur*. & infra, *praesidium agitantes vexillarii*: & paulo post, *veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Per nomen agror*. qui emeritis attribuebantur & adsignabantur.

In tantam rabiem, quemadmodum jam pridem audiistis, Germanicarum legionum inferioris exercitus animi exarserant, ut legatus quoque ipse consternatus, furori militum cederet, neque obviam ire auderet. E centurionibus alii verberati, alii interfecti, unus esset ab ipso legato ad exitium deditus. in illo tanto tamque periculoso tumultu, & rerum omnium perturbatione, *non tribunus ultra*, ait Tacitus, *non castrorum praefectus*, quorum, post legatum, summa potestas erat, *jus obtinuit*, &c.

Id militares] Quae impetu fiunt, durare non solent: quae cunctabunde ac composite, diuturniora sunt. sic flamma quae subito excrevit, subito extinguitur. Siccas febres medici maxime metuunt, non quae subito vehementissimae sunt, vagaeque & incertae, modo citius, modo serius aegrotum adoriuntur: sed eas quae quamvis remissiores, constanter, & statis vicibus quasi ad vadimonium accurrunt. Sic iram qui cito colligunt, cito deponunt. Qui subito incalescunt, & iram vultu, oculis, verbis, manibus produnt: nihil ab eis magnopere metuas: scias facile desituros. illi magis metuendi, qui etiam in media ira lenti sunt, qui nihil incomposite, nihil inordinate faciunt, qui

ita

ita se gerunt, ut, quod fieri posse negat Terentius, *cum ratione insanire* videantur. hoc igitur erat militares animos altius conjectantibus, &c.

Acriores, quia iniquae] Sapientissime dictum. Qui sine caussa oderunt, eorum acrius odium est, quam eorum, qui justas odii caussas habent. Disputa hac de re in utramque partem. quae caussam non habent, nullo quasi fundamento subnixa sunt. ergo citius evanescere ac concidere debent: at quae justam caussam habent, &c.

I. Nam quicquid aequum ac justum est, certis finibus circumscriptum est: neque eos egreditur. At injustum & iniquum, nullis certis terminis continetur.

II. Nemo vult se injustum atque iniquum videri. Itaque, quanto quisque iniquius alterum odit, tanto majore studio conatur efficere, ut eum juste odisse videatur. alioqui enim injustum se, & iniquum esse fateatur necesse est. Ea res odium intendit.

III. Praeterea, qui justam odii caussam habet, si odium aut deponat, aut remittat, lenitatis, ac clementiae laudem ex eo se adepturum videt: intelligit etiam eum, quem aut odisse desinit, aut mitius, ac moderatius odisse incipit, sibi eo nomine devinctum atque obstrictum fore. Nemo autem est, quin sibi, cum potest libenter alios obliget. Eis enim quisque superior est, quos sibi obligatos, & obnoxios habet. At, qui inique odit, si quid remittat ex odio, non ullam sibi laudem ex eo parit: sed potius ipsemet iniquum, & injustum fuisse se confitetur. Neque sibi propterea obligat eum, cui minus iniquus est: sed ipse potius prioris illius odii ultro petere ab eo veniam debet.

IV. Atque haec cum in omni hominum genere vera sunt, tum in principibus verissima. Nunquam enim videri volunt errasse se. Itaque quos semel injuste odisse coeperunt, urgent ad extremum, ne principio injustum in eos odium suscepisse videantur. Qua de re dicam quidquam admirabile, sed longo usu, & multis exemplis confirmatum. Facilius impetrant veniam a multis principibus, & facilius cum eis in gratiam redeunt, qui jure eorum iram in se provocarunt, quam si quos ipsi principes sine ulla justa causa odisse coeperunt Nam si illis ignoscant, vident se mansuetos, ac misericordes visum iri. Hos si omittant, verentur, ne hoc ipso praeteriti temporis inju-

 sti-

stitiam, & iniquitatem agnoscere videantur. Et verissimum est, quod vulgari proverbio dicitur: *Qui injuria laesus sit, interdum ignoscere: qui injuria laeserit, nunquam.* recte igitur Tacitus, &c.

Quippe Drusi] Caussae odii. Gratiosior erat apud populum Germanicus, quam Tiberius. Ejus rei causſae duae. Memoria patris, & mores ipsius. Altera causſa odii: Livia, ut noverca, oderat Agrippinam, & ipsa Agrippina paulo erat ferocior, sed castitate, &c.

Meminisse vos arbitror, quam gravi, & plena dignitatis oratione furentes militum animos Germanicus converterit, effeceritque, ut supplices, & vera sibi exprobrari fatentes, orarent, puniret noxios, ignosceret lapsis, & duceret in hostem, illic se quae per furorem peccassent, per virtutem expiaturos: conjugem modo, & parvulum filium revocaret: neve eam militibus suis contumeliam imponeret, ut judicasse videretur, duo sibi carissima capita, satis tuto inter eos non posse versari.

Qua ex re cognoscere potuistis, quanta sit vis eloquentiae, quamque sit usus illius, non in concionibus modo, aut in senatu; sed etiam inter arma, necessarius. Quos enim Germanicus non vi, non minis, non imperio deterrere potuisset, eorum dicendo impetum coercuit, furorem repressit, contumaciam flexit.

Itaque mihi locum illum tractanti veniebat in mentem illorum Virgilii versuum: *Ac veluti magno in populo*, &c.

Reliquum erat, ut de iis, qui praecipui seditionis auctores fuerant, supplicium sumeretur. Magna enim peccandi illecebra est impunitas: facileque adducuntur homines ad ea denuo audenda, quae semel patrata impune abiisse meminerunt. Sed hic quoque non levis Germanico objiciebatur difficultas. Primum enim, si per se ipse, aut etiam de concilii sententia in hunc, aut illum animadverti jussisset, periculum erat, ne denuo accenderentur militum animi, neve quererentur, praetermissis noxiis, insontes ad supplicium rapi. Deinde etiam, si in praesentia quievissent, ac compressissent dolorem suum, nullo tamen modo effugere poterat Germanicus, quin magnam in se hoc facto invidiam, magnum militum odium concitaret. crudelem, atrocem, sanguinarium esse dixissent: ut saepe quamlibet justa severitas pro injustitia, & in-

inhumanitate habetur: animosque nostros, eorum etiam, quos malo dignos esse novimus, cum tamen ad supplicium ducuntur, commiseratio quaedam capere consuevit. Rationem igitur iniit, qua & de sontibus supplicium sumeret, & nulla tamen ad se ex eo invidia perveniret. Milites enim ipsos, & accusatores, & testes, & judices, & poenae exactores esse voluit. id his verbis exsequitur Tacitus:

Judicium & poenas] *Judicium exercere* usitate dicimus: *poenas exercere* non item. sed saepe primae notae scriptores, duobus nominibus positis, verbum subjiciunt, quod alteri tantum conveniat: ut ex ἀναλόγου alterum intelligatur. Homerus, σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες, cum tamen vinum bibere, non comesse soleamus. Idem: ἵπποι ἀερσίποδες καὶ ποικίλα τεύχεʼ ἔκειτο. Equi tamen non jacebant, sed stabant. Ergo etiam, si, *poenas exercere*, nemo dixisset, intelligeremus hoc modo: *Judicium & poenas exercuit*; judicium exercuit, poenasque sumpsit: & ex optimis vetustissimisque scriptoribus, talia quamlibet multa proferremus. sed nihil est necesse eo confugere. *Exercere poenas* rectissime dicitur, ut cognoscere est vel ex illo Virgilii loco: *Hac iter Elysium nobis: at laeva malorum Exercet poenas, & ad impia tartara mittit.*

Secuti exemplum, &c.] Suevos. Caesar lib 4. de bello Gallico: *Suevorum gens*, &c. & in eod. lib. *sese unis Suevis concedere*, &c. (*Centurionatum*) recensionem ac cognitionem de centurionibus. (*Donaria.*) *Donaria* vocat hastas puras, phaleras, torques, armillas, coronas civicas, murales, obsidionales, aliaque ejus generis. (*Edebat*) verbum Juris. (*Consensu*) non enim paucis habenda fides erat, praesertim cum totus centurionum ordo militibus invisus esset.

Plato lib. 8. de rep. narrat, Arcadas olim Jovi Lyceo statis temporibus sacra quaedam facere solitos esse, in quibus cum alia quaedam animalia, tum homines etiam immolabant, ejusque viscera, cum aliorum animalium visceribus permiscentes, promiscue omnibus vescebantur. Opinionem autem fuisse, cui casu obtigisset, ut humanam carnem comesset, eum necessario in lupum converti, & aliquot annos per silvas, ac deserta loca, cum ceteris lupis vagari. Quam fabulam ita ipse interpretatur, ut dicat, eos, qui se semel humano sanguine cruentarunt,

humanam quodammodo naturam exuere, ferosque, ac truculentos evadere, & caedis, ac sanguinis appetentes. Semel madefactus sanguine gladius sanguinem sitit. Semel incitata ad caedem manus non facile sistere, ac cohibere impetum suum potest. id & saepe alias, & tunc militibus contigit, quorum, ut ait Tacitus, *truces etiam tum animos*, ob editam commilitonum stragem, *cupido involat*. & videte, quam significantibus verbis utatur. Nam & ipsum *cupidinis* nomen, aviditatem quandam significat, & *involandi* verbo admirabilis quidam impetus indicatur. *Cupido* igitur *involat*, non jam arcendi, ac propulsandi hostem, non defendendi limitis, sed ultro *eundi in hostem*, cum contractas sociorum sanguine maculas, hostili tantum sanguine elui, ac deleri posse crederent: idque unum esse judicarent *piaculum furoris*. Impiatos enim esse se, & illa potissimum expiatione puros fieri posse. *Nec aliter posse placari commilitonum manes*, *quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent*. Libri quidam veteres, *accepissent*. Rectum est *excepissent*. Hic primum notanda veterum opinio, interfectorum manes iis, a quibus interfecti sunt, infensos esse: quod & a Platone traditur lib. 9. de legibus. Sic Oresten in tragoediis persequitur mater. sic Virgiliana Dido Aeneae minatur, *omnibus umbra locis adero*. *dabis improbe poenas*. Sic Nero, interfecta matre, saepe exiliebat e somno, & matris imaginem se intueri putabat. Deinde illud quoque animadversione dignum est, collatione contrariorum quaesitum esse ornatum orationi, *pectoribus impiis honesta vulnera*. Tum illud quoque *honesta* esse *vulnera*, quae pectore excipiuntur; *inhonesta*, quae tergo. Itaque inter cetera, quae admirationi habita sunt in L. Siccio Dentato, viro fortitudinis admirandae, illud non minimum est, quod 45. cicatricibus adverso corpore insignis esset, nulla in tergo. Auctor Plinius lib. 7. c. 28. Sed & huc pertinet, quod de sacra cohorte Thebanorum, quae ex amatoribus, & eis, qui amabantur, constabat, memoria proditum est, eam totam a Philippo Macedone in pugna Chaeronensi esse concisam. qui cum eos victor inspexisset, omnes adversis vulneribus confossos, *Male pereant*, inquit, *qui hos turpe quicquam, aut facere, aut pati arbitrantur*. Ex ea cohorte unus in proelio cum pronus cecidisset, hosti, a quo se confossum iri videbat, *quaeso te*, inquit, gla-

gladium mihi per pectus adigito, ne is, qui mihi in amoribus, ac deliciis est, si me averso vulnere confossum viderit, erubescat. Auctor Plutarchus in Pelopida. Lacedaemonii quoque insepultos abjiciebant τοὺς ὀπισθοτρόπους.

Ponte] Ad transeundum Rhenum *e legionib.* male alii distinxerunt.

Agmine propero] Concitato gradu. *silvam Caesiam.* Eam in ducatu Clivensi esse ajunt. *Limitemque a. t. c. scindit.* Limites imperii erant, aut montes, aut fluminum ripae, aut alia ejusmodi, quibus imperium pop. Rom. a Barbaris dirimeretur. interdum etiam ducebantur muri, & in eis excitabantur castella, turres, propugnacula, & in eis legiones collocabantur, quae praesidio essent, & barbarorum incursiones impedirent. Talem hunc limitem fuisse arbitror.

Concaedibus] Caesarum arborum fragminibus.

Inde saltus obscuros] Proprium loci nomen.

Incautum] Thycydideum.

Festam eam] Ita plerumque parum cauti deprehendi solent.

Sideribus illustris] Sic Luna capta est plenilunio, Itaque errat Politianus, & qui eum sequuntur.

Incessitque s. i. & proelio] Sic lib. 13. *Viae pariter, & pugnae composuerat exercitum.* Curtius: *itineri simul paratus, & proelio.* Xenophon 2. παιδ. sub finem: αὐτὸς δὲ συντεταγμένος ἦγεν ... τὸ ἀνίσιν τὴν ὁδὸν, καὶ αὐτὸς τὸ μάχεσθαι, εἴ τι δέοι, ἐπορεύετο.

Quaestor ipsius] In consuetudine positum fuisse, ut cum praetores repetundarum postularentur, quaestoribus potissimum ipsorum accusandi munus mandaretur, constat e divinatione Ciceronis. Id autem eo fiebat, quod illis notissima esse praetorum furta, verisimile erat.

Subscribente] *Subscriptores* dicebantur, qui addebantur accusatoribus ad accusationem instituendam. Asconius.

Rom. Hispone] Hujus frequentissima mentio apud Senecam in libris Declamationum.

Formam vitae] Calumniandi studium dicit. Et *caninam*, ut ipse alibi vocat, *facundiam. Nam quia vera.* Quae manifesta falsa sunt, facile contemnuntur: vera pungunt eum, in quem dicuntur: & quae quisque a se fieri

conscius est, ea de se ab aliis dici, facile credit.

Tanto patientius] Male in aliis, *poenitentia patiens*.

Reciperatores] Ita vocabantur judices dati.

Nec patrum cogn. sat.] Suetonius: *Magistratibus pro tribunali*, &c.

Sed dum veritati] Paulatim enim assuefiebant magistratus ad nihil decernendum, nisi quod imperatori placeret. Eo absente, liberiores fuissent.

Mole publicae viae] Ob ingentes illos silices, quibus tum viae omnes publice sternebantur.

Aerarii Praetoriis] Tunc enim a Praetoribus tractabatur aerarium. Tacitus lib. 4. annalium, ab excessu Neronis. Id instituerat Augustus. Suetonius in Augusto cap. 36.

Tentantis eadem alios] Suetonius: *paucorum Senatorum inopia* &c. De Ortalo dicetur libro secundo.

Eodem anno continuis imbribus] Haec verissima caussa est, cur Tiberis interdum inundet plana urbis. Et hac de re ita Dio lib. 57. Cum Tiberis multas urbis partes occupasset, ita ut navigarentur: alii quidem hoc in prodigii loco accipiebant: ut & magnitudinem terrae motuum, quibus etiam pars muri dejecta erat, & crebros fulminum jactatus, quibus etiam illaesis vasis, vinum consumptum erat, ipse autem existimans id fieri ex multitudine aquarum, quae in eum influerent, constituit, ut semper quinque Senatores sorte ducti curarent, ne flumen, aut aestate minueretur, aut hieme supra modum excresceret: sed semper, quoad ejus fieri posset, aequale ferretur.

De modo lucaris] Plutarch. διὰ τί τὸ [illegible] εἰς [illegible] [illegible] [illegible]. &c. Sic & Festus, *Lucar*, [illegible], Charisius, & Glossarii. Tertullianus adversus Gnosticos: *Ipse* (de S. Joanne Baptista loquitur) *contumeliosa caeda truncatur in puellae salticae lucar.*

Centesimam rer. ven.] Talis erat, *Vicesima hereditatum*, de qua Aemilius Macer libros duos scripserat [illegible]. haec erat ex L. Julia irrogata extraneis heredibus, nec inopibus. Dio lib. 55. Nervae, Trajani, Hadriani, Marci, aliorum constitutionibus accisa primum, deinde abolita est.

Id quoque morum] Josephus de eo lib. 18. [illegible]

χαλοχίας· μαθητὰς εἰ καί τις ἰσίμαν βασιλέων &c. Hoc se Tiberius cur facere diceret, statim exponit. In XXII. annis quibus imperavit, duos tantum praesides misit in Judaeam, Gratum & Pilatum.

IN LIBRUM II.

Primo libro Tacitus res per biennium, post Augusti excessum, gestas complexus est. Hic secundus, ea quae proximo triennio consecuta sunt, continebit.

Sisenna St. T. L. Lib. cos.] Eorum integra nomina haec sunt: *T. Statilius. T. F. Sisenna Taurus. L. Scribonius, L. F. Libo.* Utriusque pater consul fuerat triumviratus tempore. Statilius quidem cum Agrippa, suffectus in locum L. Caninii, Libo autem cum M. Antonio II. consule. Panvinius. Historia autem regnorum orientis paulo altius repetenda est: ut quae hic paucis perstringit Tacitus, commodius intelligantur. Phraates ejus nominis tertius, rex Parthorum duodecimus, cum a patre regni successor destinatus esset, ne quid sibi a competitoribus molestiae exhiberetur, *triginta* fratres interfecit: deinde patrem id indigne ferentem, prius veneno tentatum, cum id parum successisset, strangulavit. Hic inter ceteras uxores (quas Parthi multas habere solent, quasi in una parum incommodi esse soleat) habuit & Thermusam ancillam, Italici generis, ad se ab Augusto missam: cujus blanditiis delinitus, Phraatacen filium, quem ex ea susceperat, successorem regni nominavit. Non degeneravit a paterna virtute filius: sed, communicato cum matre consilio, (quam officiosus adolescens, non pro matre tantum, sed pro pellice habebat) ne paternam mortem, quod improborum filiorum est, expectare diceretur, patrem interfecit. Ipse postea, concitato in se omnium odio, per tumultum occiditur. Successit ei Orodes: quo & ipso propter barbaram & ferinam crudelitatem inter epulas a suis occiso, missus est petentibus Parthis a Tiberio hic, de quo nunc acturi sumus, Vonones.

Mota] Turbata. *Orientis regna.* Parthorum, Armeniorum, Medorum.

Provinciaeque R.] Ut Cilicia, ut Cappadocia, ut Syria.

Parthos] Parthi Scythica lingua exules. inde genti nomen, quod eam Scytharum exules obtinuerunt. Confines sunt Mediae, Hyrcaniae, Carmaniae. Vide Ptolemaeum lib. 5. cap. 5.

Quamvis gentis Arsacidar.] Quae regia apud illos familia erat: ab Arsace uno ex posteris Ammynapis, regis Bactrianorum, qui Parmis, Daharum populis, auxiliariis usus, Parthiam, Seleuco Callinico ereptam, occuparat. Hic autem notandum est, natura quodammodo comparatum esse, ut populi libentius pareant iis, qui nati sunt e vetusta regum duorum familia: qui tamen si alibi educati sint, & alienis moribus imbuti, pro externis habentur.

Is fuit Vonones] maximus natu filiorum Phraatis.

Nam Phraates] Phraates cum M. Antonio conflixerat, eumque Praasporum obsidionem solvere coëgerat: sed tamen audita Augusti clementia & aequitate, reddiderat ei Armeniam, & signa militaria, quae Crasso & Antonio adempta fuerant, & filios, uxores, nepotes, ei obsides firmandae pacis caussa dederat. Strabo ad finem libri sexti. Idem lib. 16. quatuor Phraatis filios nominat, qui Augusto obsides dati sint, Saraspaden, alias Seraspardanen, Rhodaspen. sic in veteri lapide in hortis Mediceis Romae: *Ceropasden*, *Phraanan & Vononem*. Hac de re ita Horatius in epistolis: *Jus imperiumque Phraates Caesaris accepit genibus minor*. Et Suetonius: *Parthi quoque & Armeniam*, &c.

Haud perinde nostri metu] Erant enim potentissimi Parthorum reges, & *regum reges* vocabantur; multisque regibus utebantur, quasi famulorum loco. Pompejus tamen ad Parthorum regem scribens *regem regum* vocare noluit. at etiam posterioribus temporibus Sapor, rex Persarum, qui & Parthi intelliguntur, ad Constantium Imperatorem litteras dedit, quarum hoc principium fuit: *Rex regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunae, Constantio fratri meo salutem plurimam dico.*

Quam fidei popularium] Mirabilis enim & perfidia & inconstantia notatur in Parthis.

Ob internas caedes] De quibus in superioribus dictum est.

A primoribus Parthis] Quos *megistanas* vocant, qui ad epulas regias adhiberi solebant.

Ut ferme] Barbarorum ingenia rerum novitate capiuntur.

Ex alio orbe] Universus enim terrarum orbis in Romanos, & in Parthos divisus videbatur.

Solium] Sedem regiam.

Arsacidarum] Quorum praecipua apud Parthos, ut ait Strabo, veneratio erat.

Trucidantium Crassum] Crassus iterum Consul, spei plenus, adversis ominibus, in bellum Parthicum profectus, a Dejotaro in itinere irrisus, principio tamen satis prospere rem gessisse visus: tandem a Surena, Orodis duce, cum Publio filio, & universo exercitu concisus est. Caput ipsius ad Orodem cenantem perlatum. Aurum colliquefactum in os infusum, addito eclogio; *Expleretur auro mortuus, quo vivus nunquam potuisset expleri.*

Exturbantium Antonium] Phraates, Orode patre interfecto, etiam in megistanas saevire coepit. E quibus Monaeses, ad Antonium confugiens, incitavit eum ad bellum Parthis inferendum: offerente auxilium Artabazo, ut Plutarchus, sive, ut Tacitus eum vocat, Artavasde, Armeniae rege. Sed partim intemperantia, & amore Cleopatrae, qua cum diutius carere non posset, multa in belli gerendi ratione peccabat, partim Artavasdae fraudibus eo denique perductus est, ut praeclare secum agi putarit, quod incolumem exercitum reduxit: saepe eo redactus, ut putaret idem sibi, quod Crasso, fatum imminere.

Si mancipium] *Τὴν ἡμερότητα ἀντὶ δουλείας ὀνομάζοντες.* Josephus.

Accedebat] Notandum hic, Principes, qui se populis suis caros esse cupiunt, debere se ad eorum mores, & ingenia accommodare. Nam & qui equis, elephantis, camelis, aliisque animalibus praesunt, observant diligenter, quibus illa rebus oblectentur ac mulceantur, quibus terreantur, summoque studio illa persequuntur, haec vitant. Quo magis idem faciendum est iis, qui homines regunt.

Raro venatu] Cum Parthi prope assidui in venatione esse soleant, neque aliis fere carnibus vescantur, quam ferarum, quas venando ceperunt Suetonius in Caligula narrat, ob mortem Germanici regem regum & exercitatio-

ne

ne venandi, & convictu megistanum abstinuisse: idque apud Parthos justitii instar esse.

Segni equorum cura] Cum ipsi plurimum equitatu valeant, & in equis curandis studium omne consumant. ἱππ: χώρας ἐν αὐτοῖς μὴ ἐξιόντας πεζῇ πορευομένοις. Xenophon lib. 8. Cyripaedias.

Lecticae] Quod ipsis molle & muliebre, ut est, videbatur. Graeci comites ut otiosi nugatores, & alieni a gloria militari.

Annulo clausa] Ex Romana consuetudine ad vitanda furta servorum. Plin. lib. 33. cap. 1. *Quae fuit illa priscorum vita*, &c. Q. Cicero in epistola ad Tironem: *Plane te rogo, ut sicut olim matrem* &c. Cicero 2. de oratore; *Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum.* Juvenal. Satyra 14. *Hesternum solitus medio* &c.

Sed prompti aditus] Cum alioqui Parthorum reges, neque facile spectandi sui copiam facere, neque quenquam ad colloquium sine magno molimine admittere solerent: aditusque ad ipsos ardui ac difficiles essent.

Apud Dahas] Scythiae populos.

Artavasden] Hunc Artabazum Plutarchus vocat, alii Artabanem, alii Artuasden. eum Antonius ab illo se proditum putans, & injuriam tamen dissimulans, donec eum plane in potestate haberet, tandem Alexandreae in triumpho duxit, denique habitum in custodia, tandem gliscente Actiaco bello interfecit. Strabo, Josephus, Plutarchus, & alii.

Artaxias] Qui in regnum successerat. Accusatus est apud Augustum, traditaque Tiberio ejus ultio. sed eum propinqui jugularunt, antequam adventaret Tiberius. Josephus, Dio, Zonaras.

Nec Tigrani] Accusatus enim apud Tiberium, & ab eo interfectus est.

Quanquam sociatis] Vulgatum enim erat apud illos, ut sorores fratribus nuberent.

Artavasdes] Tigranis frater, Artaxiae filius.

Tunc Caesar] Agrippae filius, ab Augusto adoptatus, quem ex Armenia redeuntem, mortuum esse vidimus lib. 1.

Ob insignem corp.] Aristoteles lib. 1. Politicorum

ait, si reperirentur homines, ea pulchritudine corporis, qua sunt Deorum statuae, neminem dubitaturum, quin eis potissimum imperium mandari oporteret. Sed & Lucretius lib. 5. ait, reges a priscis illis hominibus delectos, *pro facie cujusque, & viribus, ingenioque*. Et quosdam ait Euripides esse εἶδος ἄξιος τυραννίδος. Aristoteles 4. πολιτ. Aethiopas in regibus eligendis sequi proceritatem corporis: alias autem quasdam gentes pulchritudinem & decorem formae: quod posterius Strabo tribuit Medis, & quibusdam populis Indiae.

In loco] Sub finem hujus libri 12.

Ut ea specie] Προφάσει.

Tractare proeliorum vias] Ut ex praeteritis de futuris consilium sumeret.

Quam spatiis itinerum] Videndum igitur, ut itineris labor minueretur.

Multae pontibus stratae] Κατέστρωντο.

Decurrit] Virg. lib. 10.

Ter circum accensos &c.

Servius dici negat, *decucurri*, sed tantum *decurri*. Homer. Iliad. ψ. οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους, Μυρμιδόνες. Suetonius in Claudio: *Ceterum exercitus honorarium ei* (de Druso loquitur) *tumulum* &c. Divinitus describitur haec decursio lib. 5. Aeneidos. Talia erant *Equiria*, quae mense Februario & Martio fiebant in campo Martio, de quibus Ovidius 2. & 3. Fastorum.

Alisonem] Fluvius est, qui in Mosellam erumpit.

Fossam] Suetonius in Claudio: *Drusus in quaesturae praeturaeque honore* &c. Sic *Fossae Marianae* in Gallia Narbonensi. *Fossa Corbulonis* a Rheno ad Mosam trium & viginti millium spatio. *Fossa Clodia* inter Ferrariam, & Venetias, & aliae.

Amisiae] Videtur oppidum fuisse in ripa Amisiae fluminis, quod eodem nomine cum ipso flumine vocaretur: ut saepe alias.

Angrivariorum] Populi sunt Saxoniae.

Postquam digressi] Virgil. *Post ubi digressi, lucemque obscura vicissim Luna premit.*

Primipilarium] Eorum qui primum pilum ducebant.

Augustali] Ita proprie vocatur tabernaculum ducis. Quintil. lib. 8.

Ut ordo agminis in aciem adsisteret] Id est, ut incederent eo ordine, qui in acie servandus erat. incedebant ergo (ut alibi loquitur) *simul itineri, & proelio.*

Sed aestate jam adulta] Ἀκμάζοντος ἤδη τοῦ θέρους.

Ad spem belli] Tanquam Romanis adflictis & perculsis.

Coërcendum] Ne per occasionem superbiret.

Amissis armis] Projectis in mare.

Adversa maris] Ταῖς δυστυχίαις.

Patrari] *Patrare* est perficere. Itaque habitum est in obscoenis, eodem sensu, quo dea Perfica: quomodo exponit Boëtius in Topica Ciceronis. Cato tamen & Sallustius saepe eo usi erant. Tale erat *ductare*. Quintil. lib. 8. cap. 3. Tale aliquandiu fuit *officiosi* nomen. Seneca in declamationibus.

Satis casuum] Sapientis non est, saepius fortunam experiri.

Maroboduum] De quo multa hoc ipso in libro dicentur.

Improvidum] *Tam stolidum, quam nobilem*, Seneca. Vulgo male, *solido*, pro *stolido.*

Facilem inanibus] Χαῦνον.

Chaldaeorum] Chaldaei populi sunt Assyriae, qui primi putantur excogitasse rationem illam inescandi stultos, qua infatuati etiam hodie plerique, quid cuique eventurum sit, e siderum aspectu posse praenosci putant. Cicero primo de divinatione: *Assyrii propter planitiem*, &c. Proculus lib. 4. in Timaeum: Θαυμαστικωτάτην δ' εἶναί φησιν ὁ Θεόφραστος &c.

Magorum sacra] Quod fuere in Gallia *Druïdes*, in India *Gymnosophistae*, id apud Persas erant *Magi*, portentosae cujusdam sapientiae professores, qua opera quaedam admirabilia effici, sidera de caelo deripi, mutari fluminum cursus, mortuorum animas ab inferis elici, morbos aliis immitti, ab aliis depelli mentiebantur. Sparsa est vanitas illa toto prope orbe terrarum, eo efficacius, quod ex tribus partibus conflata videbatur, quae singulae ad permovendos animos plurimum valent, religione, medicina, & futurorum praedictione. Ad inventorem Zoroastren refertur: quem tradit Eudoxus vixisse sex millibus annorum ante mortem Platonis: multis an-

annorum millibus ante divinum Mosen: cui & ipsi opinionem aliquam hujus nefariae superstitionis affingere homines imprudentissimi conati sunt. Ejus discendae caussa Plato & Democritus longinquas admodum peregrinationes susceperunt. De ejus vanitate videndus Plinius cap. 4. lib. 26. & cap. 1. ac 2. lib. 30.

Somniorum etiam interpret.] Hoc videlicet unum restabat stultitiae genus, ut e vanis somniorum imaginibus veritatem futurorum quaereremus. Repertor artificii Amphictyon quidam fuisse dicitur. Ac Plato quidem libro 9. de republ. animos bene compositos multa per quietem providere posse confirmat. Et extant tum Hippocratis, tum Aristotelis libelli de divinatione per somnium, & Artemidori libri aliquot *de interpretatione somniorum*, & Aristidae Hadriani orationes de somniis suis, & Synesii liber ejusdem argumenti, illustratus commentario Nicephori Gregorae: & apud Suidam versus multi ad interpretationem somniorum pertinentes. Sed mihi quidem probatur Ennius, qui se ait *non nauci habere Marsum augurem, Non haruspices vicanos*, &c. Sed neque unquam tales impostores fatuis, neque talibus impostoribus fatui deerunt. Semper damnabuntur, semper consulentur. somnia pro somniis habenda sunt. De temperatura corporis nostri e somniis judicari aliquid potest. Alia qui e somniis quaerit, vigilans somniat.

Quae quondam Augusti] Cum hac Augustus divortium fecerat, pertaesus, ut scribit, morum perversitatem ejus, ac statim duxerat Liviam. L. autem Scribonius, hujus Scriboniae pater, Sex. Pompeji socer erat. Juliam a patre relegatam mater Scribonia in voluntarium exilium secuta erat.

Servi eadem noscerent] Nam & servi deferentes dominos in crimine majestatis audiuntur. L. *Famosi*. D. ad leg. Jul. majest. quamvis alioqui testimonii dictionem non habeant. Ter. in Phormion. & vix adversus dominos audiantur. L. *vix certis*. D. de Judiciis.

Aditum postulat] Secretum petit.

Infernas umbras] Posse hoc fieri, videtur quodammodo constare ex lib. 1. Reg. cap. 28. ubi Pythonissa excitat spiritum Samuelis. Vide quae hac de re scribit S. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quaestione tertia.

Libo

Libo veste mutata] Vestem mutabant, atratique ac sordidati in publicum prodibant, ut in luctu. ita in periculis non rei tantum, sed & reorum amici. Cicero pro Plancio: *Quid de his tot viris ac talibus (dicam) quos videtis veste mutata?* Idem in eadem: *Aderat mecum Senatus*, &c. Idem ad Quirites post reditum: *pro me praesente Senatus*, &c.

Fratri] Consuli.

Mox libellos] Libellos enim dabant, qui alium deferebant, sua manu subscriptos, aut pro eis ab aliis, si forte ipsi litteras nescirent. L. *libellorum* D. de accusat. & inscrip.

Certabantque] Hoc genus judicii, *divinationem* vocabant. Asconius.

Crimina se object. professus] Idem fecit Cicero in Verrem, & ita conatus Hortensii elusit.

Viam Appiam] Via Appia a porta Capena, quae nunc S. Sebastiani dicitur, Brundisium usque ducebat. Horatius:

Brundisium Numici melius via ducat, an Appi.

Per tormenta] Nam servis, nisi tortis, fides non habebatur.

Quaestio in caput domini] Cicero pro Dejotaro: *Nam more majorum de servo*, &c. Idem pro Milone: *Majores nostri in dominum*, &c. Idem Partitionibus: *Majores nostri cum de servis*, &c. Caussa erat, quia, ut Cato dicere solebat, *quot servi, tot hostes*. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 11.

Mancipoti] *Mancipatio*, certum genus alienationis, quod fiebat libripende, & quinque testibus praesentibus. Ulpianus lib. 19. Boëtius in Topica.

Actori publico] Sic in tertio: *Servos quoque Silani actor publicus mancipio acceperat.* *Actores* autem, id est, δοικητὰς, συνδίκας, reipub. olim servos fuisse, constat vel ex tit. qui extat lib. 11. Codicis, ne quis liber invitus actum gerere cogatur.

Scilicet ut in Libonem] Hinc optime intelligi potest id, quod traditur in l. *contra legem*, cum l. seq. Dig. de legib. Tale est quod de Tiberio Suetonius tradit: *Immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae.* Quod in Sejani filiola factum narrat Tacitus lib. 5.

Po-

Posterum diem reus petivit] Comperendinati rei prope pro damnatis habebantur. Comperendinationem enim ii fere tantum petebant, qui aut exilio, aut morte voluntaria praevenire condemnationem volebant. Si enim ita se purgaverat reus, ut omnia quae sibi objecta erant, diluisse videretur, statim absolvebatur. Comperendinabatur, cum satis munita defensio non erat.

Duos ictus in viscera direxit] Seneca epist. 71. *Scribonia, gravis femina*, &c.

Accusatio tamen] Crimen morte extinguitur, praeterquam in crimine repetundarum, & certis quibusdam capitibus majestatis. L. *ex judiciorum*. de accusat. & inscrip. l. ult. ad l. Jul. majest.

Cognomentum Drusi] Sic post M. Manlium de saxo Tarpejo ob suspicionem affectati regni dejectum, gentis Manliae decreto cautum est, ne quis deinde Manlius, Marcus vocaretur. Liv. lib. 6. Sic & Marci Antonii triumviri imagines decreto Senatus abolitae sunt, & cautum, ne quis postea ex Antoniorum gente, Marci praenomine uteretur. Plutarchus in vita Ciceronis.

Facta & de mathematicis] *Erat tamen Tiberius ipse valde deditus mathematicae, persuasionisque plenus, cuncta fato agi.* Suetonius. *Et hoc quoque tempore deprecantibus, ac se artem desituros promittentibus veniam dedit.* Idem. Hac ipsa de re ita Dio lib. 57. Καὶ μέντοι τῷ τε Θρασύλλῳ ἀεὶ συνῆν, &c. Ulpian. lib. 7. de offic. proconf. sub tit. de mathemat. & vaticinatoribus: Extat Senatusconsultum Pomponio, & Rufo Cosf. factum, quo cavetur, ut mathematicis, Chaldaeis, ariolis, & ceteris, qui similem artem fecerint, aqua & igni interdicatur, & bona eorum publicentur. P. Pithoeus tit. 15. ergo non hoc, sed proxime sequenti anno factum est illud Senatusconsultum. vide quod & de Vitellio traditur.

Saxo dejectus est] E rupe Tarpeja. Horatius: *Tune Syri, Damae, aut Dionysi filius audes dejicere e saxo Cives, aut tradere Cadmo?*

Portam Exquilinam] Nunc porta major vocatur.

Cum classicum canere jussissent] Notanda vetus consuetudo, cujus meminit Varro 1. de lingua Latina, & Seneca primo de Ira.

More prisco advertere] Ut eum infelici arbore alligatum virgis caedi, & postremo securi percuti juberent.

Advertere] Sic lib. 5. *Placitum posthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur.*

Ne vestis serica viros foedaret] Coae & Sericae vestes feminis quibusdam permittebantur: viris indecorae habebantur: ac ne feminis quidem satis decorae; quia per eas totae relucebant. Horatius: *Cois tibi cernere paene est, ut nudam.* Ideoque eas *vitreas* vocat Varro: *Istorum, inquit, vitreae togae ostentant tunicae clavos.*

Familiae] Numero servorum.

Contra Gallus Asinius] Cato hoc quasi artificio utebatur ad res extrahendas.

Erat quippe adhuc frequens] Vide similem prope disputationem apud Livium lib. 34. de abroganda lege Oppia.

Aliisque] Alii libri, *talesque.* Exponit hoc loco Tacitus breviter historiam, ex qua cognosci potest, quantas interdum in rebus humanis vires habeat oris ac vultus similitudo.

Cn. Pisonis] *Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed pravus, & cui placeret pro constantia rigor,* &c. Seneca libro primo de Ira.

Asinii Galli] Qui dixerat, interrogante Caesare, quam partem reipub. tueri maxime velis. filius erat Pollionis, &c.

Duodecim candidatos] Hoc & Augustus fecerat, & pridem faciebat Tiberius, sed non in quinquennium.

Agrippam ferre ad exercitus Germanicos] Quibus eum propter patris memoriam gratissimum fore intelligebat.

Perculisset] Adflixisset, evertisset.

Furatur cineres] Ut tanto facilius persuaderet, Agrippam Postumum mortuum non esse.

Coram, Etruriae promontorium] Coram seu Cosam, puto esse promontorium, quod olim *Telamon*, hodie *Mons Argentarius* dicitur. Argumento est, quod Cosa oppidum, cui hodie *Orbetello* nomen est, antiquitus in cacumine ejus promontorii erat. Vulgatum autem est, idem nomen esse, & oppidis, & montibus, fluviisque, in quibus, aut ad quos oppida sita sunt. Ad radices autem ejus promontorii est Portus Herculis.

Mo-

Modo nihil spernendum] Nam ut tenuis scintilla, si in materiam ad ignem concipiendum idoneam inciderit, magnum incendium excitat: sic ex tenui & exiguo principio magnae interdum turbae ac seditiones exoriri solent.

Modo non omnia metuenda] Quaedam enim quae contempta evanescerent; interdum eo ipso crescunt, quod non negliguntur.

Ambiguus pudoris] Pudebat, servi causfa, commoveri. Metus erat, ne, nisi malum nascens opprimeretur, convalesceret. Principiis obstandum esse, medici docent.

Quomodo Agrippa factus esset] Melius, opinor, sine interrogatione. significabat autem, se astu & dolo Agrippam factum esse, itidem ut Tiberius astu & dolis Liviae Caesar effectus erat.

Haud quaesitum] Prudentissime. Nam sive vicisset, sive ignoscere voluisset, multos sibi inimicos reddidisset. Simile quiddam narratur de Caesare, cum reperisset multas litteras ad Pompejum scriptas. Nunc aliquot exempla proferam, ex quibus magis intelligatur, quantam vim nonnunquam habeat similitudo formae.

1. Semiramis, Assyriorum regina, Nino, viro suo, mortuo, cum ex eo unicum filium haberet, neque ipsa, si pro muliere haberetur, regni habenas tractare, propter formae similitudinem, quam habebat cum filio, simulavit se marem esse, & Nini filium: atque ita regnum filio, donec adolesceret, conservavit. Justinus lib. 1.

2. Cambyse, Persarum rege, interfecto, magus quidam, fratre Cambysis, cui regnum debebatur, interfecto, Horopasten fratrem suum, qui illius formae formam consimilem habebat, pro eo subjicit. Itaque imperavit hic suppositus regis frater, donec, re cognita, interfectus est a septem principibus Persarum, quorum unus Darius in regnum successit. Herodotus lib. 3. & Justinus.

3 Sphendadates magus Tanyoxarcae, qui Cambysis frater fuit, ore simillimus, auctor Cambysi fuit, ut fratrem interficeret. ipse pro Tanyoxarca suppositus, Cambyse mortuo, regnare coepit. sed res statim patefacta est. ex Ctesia Persicis sub initium.

4. Andriscus, homo infimae sortis, propter oris similitudinem, Persei, regis Macedoniae, se filium fecit, Philippique nomine sibi imposito Macedoniam occupavit, M. Juventium praetorem contra se missum cum exercitu

eccidit. Vix tandem a Q. Caecilio Metello, praetore, victus, & in triumpho ductus est. Livius libro 50. & libro 52. Florus libro secundo capite decimo tertio. Orosius lib. 4. Eutropius lib 4.

5. Quarto anno post hunc devictum, alter sive Pseudophilippus, sive Pseudoperses eodem modo Macedoniam invasit, & a L. Tremellio quaestore devictus est. Livius lib. 53. Orosius, Eutropius.

6. Judaeus quidam, apud Sidonios nutritus, cum se Alexandrum, Herodis regis filium, qui a patre interfectus erat, propter oris similitudinem esse fingeret, maximas turbas concitavit, donec in Augusti conspectum perductus, totam rem, proposita impunitate, detexit. Josephus antiquitatum lib. 13. de bello Judaico lib. 2. Hegesippus lib. 2. de excidio Hierosolymitano.

7. Quidam, qui se postea M. Silani filium esse dixit, cum se Drusum Germanici filium esse simularet, Asiam, & Achaiam conturbavit, sed postea captus est a Poppaeo Sabino: atque ita tumultus conquievere. Tacitus lib. 5.

8. Servus quidam e Ponto, aut, ut alii tradidere, libertus ex Italia, citharae & cantus peritus, & ore Neronem referens, Asiam & Achaiam eodem modo conturbaverat, sed astu Calpurnii Asprenatis captus & interfectus est. Tacitus lib. 2. annalium ab excessu Neronis.

9. Fugitivus quidam Geta cum se Scribonianum Camerinum eadem ratione esse simularet, Istriam & partem aliquam Italiae concitarat, sed tractus perductusque ad Vitellium, agnitusque a domino est, sumptumque de eo supplicum servilem in modum. Tacitus.

10. Anno MCCXXV. exortus quidam nebulo Flandriam omnem Hannoniamqne perturbavit. Venit peregrino primum habitu, ac promissa barba, ex silva, ut tandem cognitum est, Glaucona prope Valentianas, ubi eremitam aliquandiu egerat. Hic se ausus mentiri Balduinum Augustum, Johannae patrem, in vulgus fidem fecit, propter similitudinem formae. Confluente ad eum tumultuaria manu Johannam sibi obsistentem fugavit: nihilque propius fuit, quam ut Querceti eam caperet. Illa Castrilocum fugiens, Ludovici, Francorum regis, propinqui sui, opem imploravit. Vocatus publica fide a rege Compendium venit: ubi ab episcopo Bellovacorum publice interrogatus, ubi in verba Philippi regis jurasset,

set, ubi baltheo esset insignitus, ubi cum Maria Campana sponsalia celebrasset, haerens, spatium ad respondendum petiit. Detecta fraude, dimissus a rege, rediit Valentianas: ubi desertus a suis fugit in Burgundiam: ibi eum captum Erardus Casteneus eques quadringentis libris argenti Joannae vendidit. Tunc fassus se Bertrandum Rhemensem vocari, per omnia Flandriae & Hannoniae oppida traductus, caussa cognita, strangulatus est. Jacobus Meyer lib. 8. annalium Flandriae.

11. Anno MCCXCII. inventus est, qui se pro Frederico secundo Imperatore pridem mortuo venditaret. Dicebat autem se negotiis fessum, ut quietior viveret, subduxisse se oculis hominum, & supposuisse mortuum, qui pro se sepeliretur. Peregrinatum autem 30. annos, nunc demum revisere oppida ditionis suae. Tam multa autem arcana imperii proferebat, ut multis fidem faceret. Tandem comprehensus, in Saxonia, jussu Rudolphi Imperatoris, combustus est. Crantzius lib. 8. Saxoniae. Plura exempla historici suppeditabunt.

Aedes fortis fortunae] Ubi nunc est templum S. Cosmae, propter Naumachiam. meminit Plutarchus in libro de fortuna Romanorum. Donatus in Phormionem. Horatius: *Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.* Suetonius & in Caes. & in Tiberio. P. Victor in 14. regione Urbis.

C. Coelio, L. Pomponio Coss.] C. Coelius Rufus, L. Pomponius Consules. male apud Dionem, *C. Caecilius.*

Trecenos plebi sestertios] Duodecim aureos.

Rex Archelaus] Judaeae tetrarcha, rex Cappadociae.

Nullo officio coluisset] Cum tamen a suis apud Augustum accusatus, Tiberii patrocinio usus esset. Dio, Suetonius, & Josephus lib. 2. de bello Judaico.

Quia florente C. Caesare] Hunc omnibus officiis coluerat.

Mox accusatus in Senatu] Quod novis rebus studeret.

Simul fessus senio] & podagra.

An fato implevit] Dixit, se ostensurum Tiberio, nervos esse, &c. Dio.

Redactum est] Suetonius, & Dio.

Centesimae vectigal] Centesimas postea omnino sustulit Caligula.

Antiocho Comagenorum]. In Syria.

Plerisque Romanum] Nobilibus. *aliis regium imperium*, plebe. Josephus.

Quae supra memoravi] Principio hujus libri.

Neroni, vetustissimo liberorum] Poëta canit: *In veteres esto dura puella senes.*

Germanico alienatio patrui] Octavia major, Augusti soror, Antonio nupserat, & ex ea susceperat Antoniam minorem, matrem Germanici Antonius ergo erat avus maternus Germanici: Augustus ejusdem avunculus major.

Ac vacui] Libri vet. *vacuae.*

Sed Maroboduum] Suevorum regem.

Sennones] Vicini Hermunduris.

Ac Langobardi] *Gens etiam Germana ferocitate ferocior.* Vellejus. *Centum pagis habitabat. caput Suevorum habebatur.* Tacitus.

Fugacem Maroboduum] Vide dictum Antalcidae in Agesilaum apud Plutarchum in Lycurgo.

Herciniae latebris defensum] *Dierum haec sexaginta iter occupabat.* Pomp. Mela. *Latitudo novem dierum iter expedito patet.* Caesar lib. 6.

Eodem anno XII. celebres Asiae urbes] Maximus terrae memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Caesaris principatu, duodecim urbibus Asiae una nocte prostratis. Plinius lib. 2. cap. 84. Eusebius 13. fuisse ait, & eas nominat. Meminit & Strabo ad finem libri 12. & 13. & Suetonius.

Magnetes a Sipylo] Magnetes, alii ἐπὶ Μαιάνδρῳ, alii ὑπὸ Σιπύλῳ. Strabo lib. XIII. & Plinius. Cicero in epist. ad Q. fratrem. Ptolemaeus lib. 5.

Quique Mosoeni, aut Macedones] Mosynoeci, Strabo; Misteni, Ptolemaeus, Mosini. Plinius Misamacedones

Q. Vitellium] Suetonius in Vitellio: *Quinctus caruit ordine*, &c. Fuit autem patruus Vitellii Imperatoris.

Quas A. Postumius] Hic, devictis Volscis, triumphans, de spoliorum decimis ludos & sacra Diis fecit 40. talentorum impendio, & aedem locavit Cereris, Liberi, Liberaeque. Nam initio belli laboratum erat victus inopia, ideo-

ideoque, inspectis libris Sibyllinis, voverat dictator, si imperii sui tempore uber proventus esset, se illis templa structurum, & annua sacra instituturum. Dionys. lib. 6. Circus autem Maximus, est tota illa planities inter Palatinum & Aventinum.

Spei aedes a Germanico] In foro olitorio.

C. Bilius] Antiquum nomen, C. *Duilius*. sed ut ex *duello bellum*, ex *duis*, *bis*, sic ex *Duilio* fecere *Bilium*. Cicero in oratore: *Quid vero quam quod hominum etiam nomina*, &c. Quintil. lib. 1. cap. 4. *Consuetudo fecit ex duello bellum: unde Duilios quidam dicere Bilios ausi*. & inde hic consul semper in libris Polybii vocatur Βίλιος, corrupte pro Βίλιος. S. Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum: *Duilius qui primus Romae navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem*. ubi Petrus Ciacconus, homo admirabili doctrinae copia praeditus, e veteribus libris, non *Duilius*, sed *Bilius*, legit, & *Biliam* eadem gente, qua virum suum, fuisse ortam judicat. *Duilium* tamen saepius legas. Cicero de Senectute: *C. Duilium M. F.*, &c. Ammianus lib. 26. *Duilium accepimus*, &c. At Liv. lib. 17. eum illi perpetuo honorem habitum esse narrat. In fastis quoque Capitolinis & in fragmento nusquam extat nomen integrum. Horatius:

Bilius in Fausta Sullae gener.

Si qua de Augusto] At Dio contra ait, omnes, ita volente Tiberio, impietatis accusatos, non modo qui in ipsum, matremve quicquam sequius fecisse aut dixisse arguerentur, quaestionesque ea de causa de servis in capita dominorum habitas: & liberorum etiam ac civium torta corpora: magnisque praemiis affectos accusatores.

Adulterii graviorem poenam] Ex veteri lege Romuli vir una cum cognatis uxoris de uxore cognoscebat. Dionysius lib. 2. Livius lib. 39. exemplum lib. 48. de Publicia & Licinia. vide Cujacium lib. 6. Observat. cap. 11.

Per vexilla & turmas] Singulis centuriis singula vexilla erant. Turma est equitum 32.

Sed Musulanorum dux] *Mosulani* promontorium est, & emporium haud procul ab Africa deserta. Ptol. *Mossylicum* vocat Plinius.

Cinithios] Lege, *Ciniphios*. Sunt autem populi minoris Africae. Silius: *Ciniphiaeque globos dubitarem irrumpere turmae*. Idem: *Tum primum castris*, &c.

Medicam manum] *Exigui numero, sed bello vivida virtus*. Virgil. lib. 5.

Metu eluderent] *Astu* Rhenanus male.

Urbem Achaiae Nicopolin] Nicopolis, quae & Ambracia dicitur, quaeque exstructa est ab Augusto post Antonium & Cleopatram victos, in Amphilochia est, non in ea quae vere ac proprie Achaia dicitur, quae est in Peloponneso, sed totam illam oram inter Macedoniam & Peloponnesum, veteres interdum Achaiae nomine comprehendebant. Sita autem est Nicopolis ad sinum Ambracium, exadversum Actio promontorio.

Manubias] Ex quibus templum Apollini struxit Augustus, ludosque quinquennales instituit. Sueton. in Augusto cap. 18.

Avunculus Augustus] Magnus frater aviae maternae.

Ut uno lictore] Cum sex lictoribus uti posset. At Suetonius in Caligula ait; *Germanicum libera & foederata oppida sine lictoribus adire solitum.*

Quaesitissimis honoribus] Verbum Sallustianum e secundo historiarum.

Tramisit Lesbum] Per mare Aegaeum.

Perinthumque] Quae hodie Heraclia.

Ac Byzantium] Quae hodie Constantinopolis.

Propontidis] Sinus est inter Aegaeum & Euxinum.

Os Ponticum intrat] Στόμα πόντου.

Samothracum, aliaque] Samothrace est insula in mari Aegaeo, opposita Thraciae. In ea fiebant mysteria Corybantum, quos & Cabiros, & Telchinas, & Idaeos dactylos vocabant, similia orgiis Bacchi, aut Cybeles, tumultus & insaniae plena, unde κορυβαντιᾶν Aristophani in Vespis, eaque de caussa vocat eam Dionysius Κορυβάντιον ἄστυ. magna in veneratione erant apud veteres: & qui eorum daemonum nomina edidicerant, in terroribus ea pronunciabant, seque ita putabant tutos fore. Plutarchus, πῶς ἄν τις αἰσθ. ἑαυτ. προκ. ἐπ' ἀρετῇ. Οἱ ἐκμεμαθηκότες τὰ τῶν Ἰδαίων, &c. Quo respiciens Aristophanes in Pace, ita, conspecto bello, vindemitorem loquentem facit: ἄνδρες τί πεισόμεσθα; νῦν ἀγὼν μέγας. Ἀλλ' εἴ τις ὑμῶν ἐν Σαμοθρᾴκῃ τυγχάνει μεμυημένος, νῦν ἐστὶν εὔξασθαι καλόν. Cur *Dactyli* dicti sint, caussa eleganter a Diomede grammatico refertur.

Varietate fortunae] Primum enim Thraces eam insulam possederant, deinde a Samiis expulsi erant.

Veteri origine] Sunt enim, qui fanum illud Junonis ab Argonautis ipsis dedicatum fuisse scribant. simulachrum factum a Smilide, Euclidis filio, qui Daedali aequalis fuit. Pausanias Achaicis.

Ut Clarii] Claros, navale Colophoniorum.

In specum ingressus] In Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviori vita. Plin. lib. 2 cap. 103.

Ut mos oraculis] Aristoteles in Rhetoricis, lib. 3.

Adversus Sullam] Itaque ob id Sulla Athenas diripuit Kal. Mart.

Violenter in suos] Ut in Aeginetas. Thucyd. lib. 2. Diodor. lib. 12. Cic. 3. de off. Aelian. lib. 2. cap. 9. Isocr. in Panegyrico. Aristoteles lib. 2. Rhetoricor.

Qualem ira & dissimulatio gignit] Forte, *qualem irae dissimul.*

Publii Scipionis aemulatione] P. Scipionem Aemilianum (*) dicit; quem etiam eo nomine multi calumniati sunt, Fabius quidem Maximus eum ad corrumpendam disciplinam militarem natum esse dicebat. Livius lib. 29. Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur; cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, libellis etiam palaestraeque operam dare. Magnam autem vim habet ad conciliandam imperatori benevolentiam victus, cultusque similitudo. Sic Alexander, victo Dario, Persas imitatus est: quo facto Persarum quidem gratiam iniit, sed Macedonum adversus se odium concitavit. sic Caracalla in Germania, Romano cultu deposito, sagulis argento intextis, Germanorum more, utebatur, flavam etiam capiti caesariem imponens, tonsam Germanum in modum. Herodianus lib. 4.

Alexandriam introisset] Suetonius: *Quod vero Alexandriam*, &c.

Seposuit Aegyptum] Cum magna pars frumenti, quo Populus Romanus alebatur, Alexandria veheretur, ob idque Alexandrinae naves cum apparuerant, magno gaudio populum afficerent, ut est apud Senecam epist. 78. Augustus, imperio prospiciens, vetuerat, ne quis Senator, Equesve Roman. inconsulto Principe, ingrederetur Ae-

(*) Imo, *Africanum majorem.*

Aegyptum: quod videret, in potestate ejus fore, fame urgere Italiam, seque levi praesidio adversus ingentes exercitus tueri: simulque metuens imperio a summa levitate & inconstantia Alexandrinorum, ut auctor est Dio libro quinquagesimo primo. Itaque non a proconsule, aut a propraetore administrabatur Alexandria, sed a Juridico δικαιοδότῃ, & a libertis Caesaris, qui cogendae pecuniae publicae praepositi erant, ut est apud Strabonem libro decimo septimo. Erat autem *Juridicus*, eques aliquis, non tamen ex illustribus, & magna auctoritate praeditis, unde est titulus libro primo Digestorum *de officio Juridici Alexand.* ubi Ulpiani verba sunt: *Adoptare quis apud Juridicum potest; quia data est ei legis actio*. quae verba nullo ex loco melius intelligi possunt, quam ex his, quae leguntur apud Tacitum libro duodecimo: *Divus Augustus apud equestres*, &c. Addita erat prohibitioni superstitio. ferebatur enim apud Memphin in aurea columna Aegyptiis litteris scriptum, tunc demum Aegyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces, & praetexta Romanorum. Auctor Trebellius Pollio in libro de triginta Tyrannis. Alexandriam Suetonius in Vespasiano vocat *claustra Aegypti*, Ammianus *verticem omnium civitatum*, ad finem libri vigesimi tertii, ubi multa de hac urbe narrantur cognitu dignissima.

A Canopo] Strabo: Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις &c. Ammianus: *Canopus in duodecimo disjungitur lapide*, &c. Plinius. Vide Aristidem in Oratione Aegyptiaca. Aeschylus: ἔστι πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός. hic Canobus a serpente, qui αἱμόῤῥους vocatur, morsus interiit. Nicander in Theriacis. Aelianus de historia animal. libro decimo quarto, capite decimo tertio. Hujus serpentis meminit & Dioscorides libro sexto, & Galenus libro de theriaca ad Pisonem.

Qua tempestate] Sic Cic. 2. de orat. *Qua tempestate Paris Helenam*, &c.

Graeciam repetens] Vide Euripidem in Helena.

Herculi quem] De Hercule Aegyptio videndus Herodotus in Euterpe. Mela libro trigesimo. Meminit & Arrianus libro vigesimo de rebus Alexandri. Graecum Herculem suo posteriorem fuisse amplius decem millibus annorum, Aegyptii ajunt. Diodor. lib. i.

Veterum Thebarum] Thebae quae & ἑκατόμπυλος. unde

de Juvenalis: *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis*. & Diospolis, & Heliopolis, antiquitus Aegyptus dicebatur: quod est nomen etiam Nili. Erat autem in Aegypto superiore, quae ex ea urbe vocatur Thebais. eam urbem condidit Busiris Ambitus moenium complectebatur 140. stadia, id est, viginti millia passuum. Strabo ait, e vestigiis constare eam longam fuisse circiter octuaginta stadia. Ex ea prodibant in bellum viginti millia curruum. Homerus Odyss. Δ. ἠδ᾽ ἐς Θήβας Αἰγυπτίας, &c. Eam diruit Cambyses. Videndus Herodotus libro secundo, Strabo libro decimo septimo, Diodorus in secunda parte libri primi.

Septingenta millia] Strabo, περὶ ἑρμηνέως μεγάλης.

Regem Rhamsem] Eadem dicuntur de Sesostride a Diodoro.

Memnonis saxea effigies] Strabo lib. 13. Plin. cap. 26. lib. 10 lib. 36. cap. 7. Philostratus cap. 3 lib. 6.

Profunda altitudo] Ἄβυσσοι πηγαί. Herodotus.

Elephantinen] In Elephantine puteus, qui indicat incrementa Nili. In Syene puteus, qui indicat solstitium. Ibi dum sol in Cancro est, erecta corpora nullam faciunt umbram. Lucan. lib. 2. *Atque umbras nusquam flectente Syene.*

Rubrum ad mare] Mela lib. 3. *Rubrum mare Graeci*, &c. Philostratus lib. 4. affirmat, vehementer caeruleum esse, sed vocari rubrum a rege Erythra.

Forum Julium] Hodie, Frejus.

Ovantes] Nemo enim triumphabat.

Templi Martis ultoris] Quod extruxerat Augustus in foro suo, ultus caedem patris. Ovid 5. fastorum. Suetonius.

Igitur Rescuporim] *Rhascupolin* vocat Vellejus, Appianus *Rhaescuporin*.

In ea divisione] Talis prope divisio Numidiae inter Jugurtham & Adherbalem.

Violentiam] *Vinolentiam*

Quem sibi infensum] Vellejus: *Qua ille prudentia Rhascupolim*, &c.

Ptolemaei] Ptolemaeus Philopator ex Arsinoë Ptolemaeum Epiphanem suscepit: quem moriens quinquennem reliquit. Ejus aetas cum contemptui esset, cumque Antiochus Magnus avunculus regno ipsius insidiaretur; missus

sus a S. P. Q. Roman. M. Lepidus, qui & pupillum tueretur & regnum. Polybius, Josephus, Justinus. Sic etiam Antiochi regis impuberi filio tres tutores missi sunt a Senatu. Zonaras.

Pyramum contendit] Fluvium Ciliciae. Stephanus.

Devotiones] κατάραι. Eadem Dio, & Suetonius.

Tabe obliti] Forte *tabo*, etsi hoc quoque legitur.

Sex liberos] Tres mares, & totidem feminas.

Incoluere exterae nationes, reges] Sueton. Calig. cap. 5. *Quo defunctus est die, lapidata*, &c.

Haud multum triginta annos egressum] *Annum aetatis agens quartum & trigesimum*, &c. Suetonius. *Negatur cor cremari posse in iis*, &c. Plinius lib. 11. cap. 37.

Relinquendum etiam rumoribus tempus] Παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος. Aristoteles 2. Rhetor. & Cleon apud Thucydidem lib. 3. ait, τὸ χρόνου διατριβὴν ἐμποιεῖν, ὅπερ τῶν ἠδικηκότων μᾶλλον εἶναι. Dictum Philocratis: Ὅπως ἄλλον ἴδω διαβεβλημένον, &c. Plutarchus in Pelopida: εἰσήχθη μὲν ἐν ἀσθενέστερος, &c. Lysias: ὡς γὰρ ἐπιτοπολὺ οἱ πλούσιοι χρήμασι σώζονται. πεπαυμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτῶν ἀκροᾶσθε.

Fortuito in melius casura] Ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται. id est, *Fortuna nobis saepe melius consulit.*

Diem prodixisset] *Referri diem prodictam, id est, anteferri religiosum est, ut ait Veranius.* Festus. Gellius lib. 12. cap. 13. *Kalendasque mihi prodictas, ut intra eum diem pronunciarem.* Male vulgo, *productas.* Recte ergo *prolata* pro *praelata* D. de edendo.

Et tirone nuper intercepto] Vexillo, quod in Suriam ibat.

Ac subsidiis] Quae post ordines subsidebant. vide Festum.

Legionis sextae] Non falso igitur Domitius de eo judicaverat.

Occanere] Sallustius primo Historiarum: *Jussu Metelli cornicines occanuerunt.*

De Druso] Germanici patre.

Moliuntur] Revellere conantur.

Statim credita] Suetonius in Calig. cap. 6. *Salva Roma, salva patria, salvus est Germanicus.*

In monte Syriae Amano] Ptolemaeus eum in Cilicia ponit. Cicero lib. 5. ad Atticum epistola 5. *Inde ad*

Ama-

Amanum contendi, &c. Ita etiam lib. 2. famil. epist. 10.

Tribunal Epidaphne] Plinius lib. 5. cap. 121. Epidaphnes scribit esse cognomen Antiochiae. Ego regionem ejus urbis fuisse arbitror.

Livia] *Livillam* alii vocant.

Exacta] Lege, *exactum*.

Clypeus auro, & magnitudine insignis] Ita solebat oratoribus insignibus, quod eorum muneris melior pars versaretur in defendendo. Unde Cicero principio Tusculanar. vocat *suos defensionum labores*; & in Verrem tantopere laborat, ut defendere potius Siculos, quam Verrem accusare videatur. Germanicus autem & poëta & orator eximius fuerat. Ovidius lib. 1. Fast. *Quae sit enim culti facundia*, &c. Idem testatur & Suetonius, qui eum etiam triumphalem causas egisse scribit. Trebellius Pollio in D. Claudio eo qui post Gallienum imperavit: *Illi clypeus aureus*, &c.

Seriphon] Ranae Seriphiae; dictum Themistoclis apud Ciceronem in Catone.

Sexaginta dies] Eustathius περὶ χρονικῶν διαστημάτων· Ἄχρι ξ΄. ἡμερῶν συναπτῶν ἐκεῖ ὁ ἀνὴρ δικαίῳ ἀνδρὸς κατὰ τῆς γυναικὸς τὸ μοίχειον, id est, ut praeferatur ceteris, & accuset sine inscriptione. l. *pater*. D ad l. Juliam de adulter. Potest tamen postea agere jure extranei l. 6. C. ad Jul. de adult. ubi contra quam Eustathius ait, sexaginta illi dies a divortio utiles esse dicuntur.

Actum & de sacris Aegyptiis, Judaicisque pellendis] In omni republica bene instituta semper summo studio praevisum est, ne inter cives esset varietas religionum. Itaque sapienter Cicero in legibus hoc statim a principio statuit: *separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, colunto.* Postumius consul apud Livium lib. 39. *Quoties hoc patrum, avorumque aetate negotium*, &c. Servius in illud e lib. 8. *Veterumne ignara deorum. Cautum fuit & apud Athenienses*, &c. Cum igitur multi, & in urbe, & per Italiam Aegyptiis & Judaicis ritibus dediti essent, eos Senatus pellendos judicavit. Atque Aegyptii quidem omnium mortalium superstitiosissimi erant, ut ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho, aliisque cognosci potest. Mihi nunc satis erit Juvenalis in eam rem testimonio uti; cujus haec sunt e Satyra 15.

Quis

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? &c.

Multi autem Romae Aegyptiis superstitionibus infecti erant: colebantque Isin, Anubin, Serapin, Aegyptios deos, quibus etiam templa publice posita erant. Nam & apud Catullum improba quaedam puella homines ad lecticam a Catullo commodato petit, quibus ait se velle ad Serapin deferri, & Tibullus aegrotans Isidem invocat, suamque Deliam, sacra illi, & saepe fecisse commemorat, & porro facturam pollicetur. *Quid tua nunc Isis,* &c. Propertius: *Tristia jam redeunt,* &c. Ovidius: *Ne te praetereat Veneris,* &c. Horatius: *Certe nescio quid secreto,* &c. Juvenalis: *Quidam sortiti metuentem sabbata,* &c.

Sed cum utraque, sive religio, sive superstitio, publice suscepta esset: quid tandem fuit, quod huic Senatusconsulto caussam dederit? de sacris Isiacis pulchram leges historiam apud Josephum lib. 10. antiquit. cap. 4. de Paulina, matrona nobili, sub Tiberio. Judaei cur pulsi sint ex urbe, narrat idem Josephus lib. 18. antiquit. cap. 5. de Fulvia agens. Porro Andreas Alciatus lib. 3. dispunction. cap. 8. & in titul. de decurionibus, hunc locum putat accipiendum de Christianis. non recte. Idem aeque inepte existimat in l. *generaliter.* D. de decur. nomine Judaeorum Christianos intelligi. quod, ceteris omissis, tribus tantum argumentis refellam.

I. Tiberius Christum non oderat, sed & supplicio affectum graviter tulit, & retulit ad Senatum de eo referendo in numerum Deorum, &c. & ipse, repugnante Senatu, in sententia mansit, comminatusque est periculum accusatoribus Christianorum. Tertull. in Apologetico.

II. Christiani adhuc nulli erant. nam nomen hoc Antiochiae primum institutum est, & hoc tempore Christus nondum coeperat concionari. Actorum undecimo.

III. Josephus lib. 18. cap. 5. κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαῖον τῆς Ῥώμης ἀπελαθῆναι. οἱ δὲ ὕπατοι τετρακισχιλίους ἀνθρώπους ἐξ αὐτῶν στρατολογήσαντες, ἔπεμψαν ἐς Σαρδὼ τὴν νῆσον. hoc est: *Jubet universos Judaeos ex urbe pelli. Ex quibus Consules, delectu habito, quatuor millia ex ipsis miserunt in Sardiniam.*

In insulam Sardiniam] Sardiniam Florus, & scriptor

de

de viris illustribus in Gracchis, *pestilentem* vocat. Silius, *tristem caelo.* Cicero: *Tigellium Sardum patria sua pestilentiorem.* Martialis: *In medio Tibure Sardinia est.*

Capiendam virginem] Formula haec erat; sacerdotem Vestalem quae sacra faciat, quae jus fiet sacerdotem Vestalem facere pro populo Rom. Quiritibus u. q. o. l. f. ita te amata capio. Vide Gellium lib. 1. cap. 12. & Plutarchum in Numa.

In eodem conjugio manebat] *Monogamia apud ethnicos* &c. Tertullianus in exhort. ad castitatem. Catullus: *Vos unis senibus bonae cognitae bene feminae collocate puellulam.* Idem testatur & Festus.

Qui venenum in Pyrrhum regem] Legendus Gellius lib. 3. cap. 8. & alii.

IN LIBRUM III.

Nihil intermissa] Saeviebat quidem procellis ac turbinibus & contrariis decertantium inter se ventorum flatibus agitatum mare: sed majores irarum aestus in Agrippinae pectore saeviebant. Misera mulier, duobus parvulis cincta, eo miserabilioribus, quod quam miserabiles essent, non sentiebant, cujus se viri post tot labores, tot pericula, tot victorias, triumphali curru in urbem ingredientis gloria gavisuram esse speraverat, ejus per summum scelus interempti amplexa cineres, nihil aliud quam de nece illius quam primum ulciscenda cogitabat: non aliorum modo omnium, sed sui prope ipsius immemor, totum animum una illa in cura ac cogitatione defixerat. Quanquam igitur aspera hiems erat, qua tempestate maria claudi dicuntur, omnisque navigatio intermitti solet: ipsa tamen impatiens morae, cui nihil longius videretur, quam dum Romam veniret, *nihil intermissa navigatione*, remis velisque properans, *Corcyram* insulam advehitur, *litora Calabriae contra sitam*. mirifice autem exprimit ardorem animi, quo tunc ferebatur Agrippina, quae tantum iter, nunquam intermissa navigatione, confecerit: cum tamen diuturna navigatio etiam robustissimos viros, nedum feminas, conturbare soleat. Homerus Odyss. 8. — οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης, Ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη. *Non etenim quidquam est*

est violentius aequoris undis, Aut quamvis robusta magis quod pectora turbet. Quodsi omnis navigatio molesta & difficilis, tanto magis hiberna. nam aestiva quidem minus habet incommodi: jocaturque Cicero, dum quodam loco ad Atticum scribit, magnum esse negotium, navigare de mense Sextili. Ergo ex die tertio idus Novembris, usque in diem sextum idus Martii, maria clausa esse dicebant: ut est apud Vegetium lib. 4. quod tempus etiam coarctatum est ab Imperatoribus, qui a Calendis Aprilis ad Calendas Octobris tempestatem ad navigandum idoneam esse definierunt. l. *quoties.* Cod. de naufrag. & Virgiliana Dido Aeneam, media hieme de navigando cogitare miratur: *Quin etiam hiberno moliris sidere classem* &c. Sed & mare ipsum, cum fremeret, commotumque ac concitatum esset, *hiemare* dicebant. Sic Sallustius: *hiemantibus aquis.* Sic Horatius:

& atrum,

Defendens pisces hiemat mare.

Et *hiemem* vocabant tempestatem. Virgilius:

Emissamque hiemem, &c.

Litora Calabriae contra] Quaesita orationi peregrinitas, poëtica vocum collocatione, qualis est illa Virgilii, *Italiam contra.*

Illa paucos dies] Longiorem enim moram vindictae cupiditas non ferebat. paucos igitur dies, non reficiendo corpori, non deponendae lassitudini, sed componendo, ac mulcendo & compescendo *animo*, qui totus turgebat, *insumit*, ἀναλοῖ.

Violenta luctu & nescia tolerandi] Sic libro superiore: *Omnium quae ultionem morarentur intolerans.* Cum autem suopte ingenio excelsi erat & elati mulier animi, tum luctus & doloris acerbitas eam violentiorem & contumaciorem reddebant. Eleganter autem dictum est, *nescia tolerandi.* Quia enim quae nescimus, non facile facimus: iccirco quae facere, aut quibus assuescere non possumus, ea nescire dicimur. Horatius: *Pelidaeque animum cedere nescii.* quasi hoc in scientia, & cognitione aliqua positum sit, non in conformatione quadam animi ac voluntatis. Idem: *Indoctaeque jugum ferre Britanniae.* Idem: Cantabrum *Indoctum juga ferre nostra.* & de mercatore: *Indocilis pauperiem pati.* & de fluvio: *Multa mole docendus aprico parcere prato.*

Pars off. in principem rati, plures illos secuti] Cum putarent quidam, se ea re gratiam a Tiberio inituros: eorum autem exemplum multitudo sequeretur. Est hoc quoque non vulgaris salivae, *pars rati*, cum esset usitatius, & magis in vulgi consuetudine positum, *quidam rati*. sed dictum est, ut alia multa a Tacito, Virgilii exemplo, *pars in frusta secant*.

Celerrimum fidissimumque adpulsu erat] *Celerrimum* quidem, quia ex Graecia, & Asia Romam petentibus, rectus est Brundisium cursus: *fidissimum* autem, propter pulcherrimum & tutissimum portum, quem Florus *inclytum* vocat, & de quo olim Ennius: *Brundisium pulchro praecinctum praepete portu*. De eo videndus Strabo lib. 6. *Proxima maris*. Legendum, *mari*. *Quoque*, id est, quacunque. sic *quisque* pro *quicunque*. *Longe erit a primo, quisque secundus erit*.

Silentione, an voce] Quorum utrumlibet magni doloris significationem habet. Magnus enim dolor interdum clamores exprimit, interdum eos tanquam praeclusis faucibus comprimit.

Successit] Portum subiit non alacri, ut adsolet, remigio. Solent enim qui ex longa navigatione portum, quem petebant, vident, terram salutare, & multas laetitiae significationes dare. Virgil. in 3. *Italiam, primus conclamat Achates*, &c.

Duobus cum liberis] Caligula & Druso. Nero enim Romae manserat.

Feralem urnam] Quidquid ad mortuos pertineret, *ferale* vocabant.

Defixit oculos] Ita omnium oculos in se convertit, ut nemo usquam alio intueretur.

Neque discerneres] Artificiosissime conformata sententia. nam cum dixisset aequum fuisse omnium fletum, aequam lamentationem; deinde exceptionem quandam adderet; dicturus videbatur, eos tamen qui cum Agrippina erant, immoderatiores ceteris in lugendo fuisse, quo propius ad eos quam ad illos, qui obviam venerant, casus Germanici pertinebat. At ille in contrarium vertit. *Nisi*, inquit, *quod comitatum Agrippinae longo moerore fessum, obvii & recentes in dolore anteibant*, [illegible].

Magistratus Calabriae] Municipales, duumviri, quinqueviri, & similes.

G Igi-

Igitur tribus, &c. usque ad illum locum: Drusus] Quod hic observari cupio, leve fortassis alicui videbitur: sed nisi me vehementer fallit animus, ad ornatum orationis, & ad rem sub oculos subjiciendam, mirifice pertinet. Videmus hic Tacitum, saepe usum eo casu verborum, quo diutina quaedam repraesentatio indicatur, quem Graeci ob id παρατατικὸν vocant. Talia enim sunt, *portabantur*, *praecedebant*, *cremabant*, *testabantur*. Hoc ego singulari quodam artificio factum judico. Quod ut magis intelligatur, iisdem vocibus, mutato tantum verborum tempore, haec omnia efferamus: jacere languidam, & grandiatis & ἐνεργείας expertem orationem videbimus, quae nunc totam illam feralem pompam ante oculos constituere videtur. Sic igitur, ubi, *portabantur*, *portati sunt*, pro *praecedebant*, *praecesserunt*: eodemque modo *cremarunt*, & *testati sunt*. Quis non videt, quantula mutatio quantum de dignitate ac pulchritudine orationis detrahat? Quod ne quis ut nugatorium aliquid & joculare contemnat, sciat, eodem fere modo ostendisse Gellium lib. 16. cap. 3. quantum inter vetustiores oratores, & M. Ciceronem interesset. C. enim Gracchum, qui primus animasse quodam modo Latinam eloquentiam creditus est, in oratione *de legibus promulgandis*, cum M. Marium & quosdam ex municipiis Italicis honestos viros, virgis per injuriam a magistratu populi Rom. caesos esse quereretur, ita dixisse: *Nuper Theanum Sidicinum consul venit. Uxorem dixit* &c. Citat & alium consimilem ex eodem Graccho locum: *His annis paucis ex Asia missus est*, &c. Profert & non absimilem locum M. Catonis Senioris, in lib. *de falsis pugnis*, ubi de Q. Thermo ita conqueritur: *Dixit a Decemviris*, &c. Conferte nunc cum iis haec Ciceroniana, ex eodem argumenti genere, e quinto libro accusationis: *Cedebatur virgis in medio foro*, &c. Vix quisquam, nisi facto periculo, crediderit, verba illa παρατατικὰ quantum virium addant orationi.

Praecedebant signa] Ut dracones, aquilae, & similia, non nitida, & praetersa, & fulgentia, corollis laureis ornata, unguentis delibuta; *sed incompta*, & squalentia. *Versi ad terram fasces*. Ovidius de morte Drusi: *Quos primum vidi fasces, in funere vidi, Et vidi versos, indiciumque mali*. Virgil. *Et versis Arcades armis.*

armis.

mis. nonnunquam etiam eos frangebant. Ovidius: *Consul init fractis moerentem fascibus urbem.*

Atque ubi colonias transgrederentur, atrata] Id est, pullis & lugubribus vestibus amicta. *plebes* antiquus nominativus pro plebs. *trabeati equites*, ut a plebe discernerentur, pompamque illam augustiorem & majestatis pleniorem redderent. Erat autem trabea, toga purpureis trabibus intexta, qua antiquitus reges utebantur. Virgilius de Romulo: *Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea.* Ovidius: *Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.* Claudianus: *Ille diu miles populus*, &c. Utebantur ea Romae consules, utebantur triumphantes. Graeci ἀλουργίδα vocant. Equites autem trabeam ferebant, idibus Juliis, cum transveherentur, idque ex Q. Fabii Maximi instituto, ut tradit Valerius lib. 2. cap. de institutis antiquis: & extra urbem in ducendis funeribus principum, ut ex hoc loco intelligitur.

Vestem] Pretiosae vestis magnam vim cremare in funeribus solebant. Credo, ut significarent, alia jam sibi omnia vilia esse, amisso eo quem lugebant. Virgilius in funere Miseni: *Fit gemitus, tum membra*, &c. Statius II. silvarum: *Quid ego exequias*, &c. Idem in Epicedio Priscillae: *Altis Ipsa toris Serum*, &c. *Tegmine.* Silius lib. 10. in funere L. Aemilii Pauli: *Fulgentia pingui*, &c.

Odores] Hi quoque incendi solebant. Tibullus: *Non feret Assyrios cineri quae dedat odores.* Propertius: *Cur nardo flammae non oluere meae?* Statius: *Quod Cilicum flores*, &c. Idem: *Odoriferos exhausit* &c. Idem: *Tu largus Eoa*, &c. Idem: *Omne illic stipatum*, &c.

Sollemnia] Νόμιμα. *Etiam quorum* non ii modo, quorum oppida praetervehebatur funus, sed ii quoque, quorum oppida, *diversa*, id est, devia erant, obviam tamen proficiscebantur, & pro copiis pompam illam cohonestabant. *Dis Manibus*, ut eos placatos ac propitios Germanico efficerent, aut fortasse Dis Manibus ipsius Germanici.

Drusus T. p. est] Iter unius diei, ut postea dicet. *Cum Claudio fratre.* Qui post Caligulam imperavit.

Lib. G. q. t. n.] Neronem dicit, qui in urbe manserat, & tres sorores. Hic Nero, una cum Druso fratre, criminante Tiberio, hostis a senatu judicatus est. Suetonius.

 Cos.]

Coss.] Messalinus & Cotta. *Laetam* est igitur hoc quoque nomen τῶν ἐπαμφοτεριζόντων. Laetus erat Germanici morte Tiberius. Germanici mors laeta Tiberio erat. *Male dissimulari*, ita dissimulari laetitiam ex Germanici morte conceptam, ut emineret tamen ac se proderet.

Tiberius atque Augusta.] Duas causas proponit, propter quas Tiberius & Augusta subtraxerunt se oculis populi, neque per eos dies, sui copiam fecerunt: alteram ipsis honestiorem: alteram, ut mea quidem opinio fert, veriorem.

Matrem Antoniam] Tres hic quoque causas proponit, cur Antonia Germanici mater abstinuerit publico: quarum nulla est, quae non aliquam probabilitatis speciem habeat: postrema tamen omnium maximam: neque ipse dissimulat, eam sibi verisimillimam videri

Apud auctores rerum] Ita vocabant nobiles historiarum scriptores. sic hoc ipso in libro: *C. Sallustius, Romanum rerum florentissimus auctor.*

Diurna actorum scriptura] Diaria, sive ephemeridas significat: quas qui ei muneri praefecti erant, diligentissime conficiebant, & in eis perscribebant, quid quoque die memorabile actum foret: *materiam historiae* Suetonius in Caligula cap. 41. Extat talis scriptura in plerisque libris, *actorum diurnis* vulgo, *ac diurnis, titulisque operum*. dicuntur & *acta diurna*. Tacitus lib. 13. *Cum ex dignitate populi Romani* (repertum) *sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* Erant & *acta senatus*. Suetonius in Caesare dictatore: *Inito honore primus omnium*, &c.

Super] Praeter. *Tumulo Augusti*, qui extra urbem, in Campo Martio erat.

Vastus] Cum interdum tantum silentium esset, ut in urbe vastitas, ac solitudo esse videretur, interdum questibus & lamentationibus omnia circumsonarent. *Plena urbis itinera*. omnibus undique ad campum Martium confluentibus. *faces*. Ad cereos efferebantur pueri, ad faces viri. ferebantur autem faces ad ignem subjiciendum rogo: sed tum quoque, cum rogus nullus esset, honoris caussa ferebantur.

Miles cum armis] Ne quis in populo tumultus excitaretur. *sine insignibus*. ad significationem moeroris: simul

quia

quia justitium erat. Ovid, *Jura silent, mutaeque tacent sine vindice leges. Aspicitur tota purpura nulla foro.*

Quam ut meminisse imp. cr.] Nam hae voces apertè ad aliquam imperantium contumeliam pertinebant: sed illa querentibus, metum ademisse videbatur doloris magnitudo. *Nihil tamen Tiberium*. pessime enim oderat Agrippinam, ejusque gloriae invidebat. quo iniquiore animo ferebat tanta in eam conspirantis populi studia, *Solum Augusti sanguinem*. erat enim neptis Augusti, cum Tiberius & Livia, quae tunc *Augusta* vocabatur, in eam gentem tantum adoptione venissent. *Iniquorum*: non obscurum est, quos notarent & significarent *iniquorum* appellatione. *fuere*. vix unquam ita tectus princeps esse potest, ut non sibi aliquem aditum populus reperiat ad introspiciendam ipsius voluntatem, sepiat se licet & muniat undequaque: nihil tam clausum est, quo non penetrent multitudinis oculi, nihil tam abditum, quod non accurata & diligenti observatione patefaciat. Omnia moliebatur Tiberius, ut persuaderet, dolori sibi esse Germanici mortem: & erat mirifice ad penitus abstrudenda, quae sentiret, tum natura factus, tum studio & exercitatione assuefactus. Neque tamen populo imponere potuit. Recordabantur enim eorum quae D. Augustus, extincto Druso, patre Germanici, fecerat: quorum quoniam in Germanico nihil a Tiberio simile fieret, colligebant, non tantum Germanici morte Tiberio objectum dolorem, quantum Drusi mors attulisset Augusto.

Honora] Ut a *decore*, *decorus*, a *sonore*, *sonorus*, a *canore*, *canorus*, sic ab *honore*, *honorus*. *Ipsum quippe* Augustum, *asperrimo hiemis*, asperrima hiemis parte, *cum tristis hiems etiamnum frigore saxa Rumperet, & glacie cursus frenaret aquarum*. Tiberius autem summa celeritate ad fratrem profectus, corpus, toto itinere pedibus praegrediens, Romam usque pervexit, *neque absedentem a corpore*. Sic lib. 1. *Neque abscedere a corpore*, &c.

Circ. l. Cl. Jul. q. imagines] Ut saepe alias, sic & hoc loco librariorum errore è *Liviis*, *Julios* fecit. Lege ergo, *Liviorum*. Tiberio enim & Druso, paterna origo ex Claudiis, materna a Liviis fuit, adoptato in eam materno avo. Sueton. Idem testatur & Valerius cap. 4. lib. 2.

Defletum in foro, laud. pro rostris] Ovid. *Et voce & lacrimis laudasti Caesar alumnum*, &c.

Cuicunque nobili] τῷ τυχόντι τῶν εὐπατριδῶν. *Externis terris.* Antiochiae.

Quoquomodo] Utcunque, sine ulla magna pompa. *Quanto* legendum, *quando*, ἐπειδὴ *non fratrem*. Drusum, nam de Claudio vix cogitabant, quem in pecudis prope potius quam hominis loco habebant, & sciebant non potuisse per se longius progredi; cum ita duceretur a Druso, *ut nervis alienis mobile lignum*, & inter aulae ludibria, ut ait Suetonius, haberetur. cui rei aliud argumentum paulo post reperiemus.

Praepositam toro effigiem] Lege, *propositam in toro effigiem*. Herodiani autem locum e principio libri quarti, quoniam ad haec illustranda mirifice pertinet, etsi jam vulgatus est, ne quid tamen desideretur, apponam, ut a Politiano conversus est, paucis tantum quibusdam, in quibus ille turpiter erravit, emendatis: ne cui tam multa Graeca molesta sint. *Mos est Romanis consecrare imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus moriuntur, quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter divos. est autem tota urbe quasi luctus quidam festae celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus, ritu hominum, sumptuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam simillimam fingunt, eamque in regiae vestibulo proponunt, supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad aegroti speciem pallida recumbit: circa lectum vero utrinque magnam partem diei sedent: a laeva quidem senatus omnis vestibus atris amictus; a dextra vero matronae, quas virorum, aut parentum dignitas honestat: harumque nulla, vel aurum gestare, vel ornata monilibus conspicitur. Sed vestibus albis exilibus indutae, moerentium speciem praebent. Haec ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque velut aegrum deterius se quotidie habere pronuntiantibus. Deinde ubi jam visus obiisse diem, lectum humeris attollunt equestris, senatoriique ordinis nobilissimi ac lectissimi juvenes, perque viam sacram in vetus forum deferunt, ubi magistratus Romani deponere imperium consueverunt. Utrinque autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem exstructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus est a nobilissimis atque patriciis: ex altera feminarum illustrium, hymnos in defun-*

functum paeanasque canentium, verendo, ac lamentabili carmine emodulatos, quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque extra urbem perferunt, in Martium campum, ubi quam latissime campus patet. Suggestum quoddam specie quadrangula, lateribus aequis assurgit: nulla praeterquam lignorum ingentium materia compactum, in tabernaculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum: extra autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque picturis exornatum. Supra vero alterum minusculum quidem positum est, sed forma, & ornatu persimile, januis, fenestrisque patentibus. Tertium item & quartum, semper inferiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur. Posses ejus aedificii formam comparare turribus iis, quae portubus imminentes, noctu igne praelato, naves in tutas stationes dirigunt, Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimenta omnis generis fructus, herbasque succosque omnis odoribus conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe, neque gens est, neque civitas, neque quis, qui honore ullo, aut dignitate praecellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera, principis honori deferant. Ubi vero ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa aedificium illud adequitant universi equestris ordinis, certa quadam lege, ac recursu motuque pyrrhichio, numeroque in orbem decurrentibus; currus item circum aguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant ducum omnium Romanorum, principumque illustrium. Quae ubi celebrata sunt, facem capit imperii successor, eamque tabernaculo admovet; tum ceteri omnes undique ignem subjiciunt: cunctaque illico fomitibus illis aridis, odoramentisque referta, igni valido corripiuntur. Mox a summo, minimoque tabernaculo, tanquam e fastigio quodam, simul cum subjecto igne, aquila dimittitur, quae in caelum creditur ipsam principis animam deferre. Ac jam ex illo una cum ceteris numinibus imperator colitur. Hactenus Herodianus. Constat autem, eorum quae ab ipso commemorantur, partim etiam vetustioribus temporibus in usu fuisse, alia, glifcente, ut fit, adulatione, ad imperatores omni honoris genere celebrandos, a posteris excogitata esse.

Vel doloris imitamenta] Vetus scriptura, *rei doloris imitamenta*: legendum est, *veri doloris imitamenta*.

Gnarum id Tiberio fuit] Dele verbum *fuit*. sic lib. 1. *gnarum id Caesari*.

Monuit edicto.] *Edictis* non tantum jubebant aliquid fieri, aut vetabant, ne fieret, sed monebant populum, increpabant, docebant. Horatius: *Si quis nunc merges suaves edixerit*, &c. Sic Augustus totos libros veterum interdum per edictum notos populo fecit. Sic Caligula populum objurgavit edicto, quod hilariter viveret. Sic Claudius aliquando edixit, ut dolia bene picarentur: uberem enim vinearum proventum fore, & eodem die, nihil aeque facere ad viperae morsum, quam taxi arboris succum. Et meditatus edictum dicitur, quo veniam daret efflatum, crepitumque ventris in convivio emittendi. Sic edicto excusavit iram & iracundiam suam, pollicitus, alteram brevem & innoxiam, alteram non injustam fore.

Non enim eadem] Principes viri quanto opibus & gloria ceteros antistant, tanto esse debent animo excelsiori, ac firmiori: neque iis, quae hominum vita fert, ita frangi ac debilitari, ut ceteri mortales solent. Ovidius de morte Drusi: *Non eadem vulgusque decent*, &c. Vide autem in hoc invidiam & improbitatem Tiberii, bonis & gravibus sententiis tectam. Non enim tam de populi dolore, quam de Germanici honore aliquid detrahere cupiebat.

Non enim eadem] Exigua in speciem depravatio scripturae tantas tenebras offudit huic loco, ut sententia nullo modo perspici queat. Legendum autem hoc modo: *Non enim eadem decora principibus viris, et imperatori populo, quae modicis domibus, aut civitatibus*. Comparat principes viros cum modicis domibus, negatque utrisque eadem decora esse. Modicas enim domus infractio quaedam & mollities animi non ita dedecet, quae principibus viris summe indecora est. Comparat populum imperatorem, id est, populum Romanum cum civitatibus, id est, cum municipiis & aliis exiguioribus oppidis: & ait, populum Romanum animo erectiori & fortiori esse debere. nisi sit enim eadem ratio principum virorum ad modicas domos, quae populi Romani ad civitates: quae, ut etiam in jure proditum est, privatorum lo-

cis: [illegible]

eo habentur. *Imperatorem populum* ita dicit populum Rom. ut Virgil. *Romanos rerum dominos*. & ut Claudianus, *dominam plebem*.

Et ex moerore solatia] Nam, ut ait Ovidius, *Expletur lacrimis, egeriturque dolor.*

Ut quondam D. Julius] Recentibus exemplis duorum principum, D. Julii, & Augusti, confirmat quae de principibus viris dixerat. Quod autem ad populum Romanum attinet, significat, ex vetere historia multa exempla depromi posse, quibus palam fiat, eum non singulorum modo imperatorum mortes, sed integrorum exercituum clades, sed nobiles familias funditus amissas, magno & constanti animo tulisse. Jam principum virorum duum tantum exemplis utitur, quoniam Romae non plures fuerant, tertius ipse imperabat. Alioqui enim poterat ex vetere historia laudare M. Horatium Pulvillum, L. Aemilium Paulum, M. Catonem, aliosque multos, qui maximo animo filiorum obitum tulerant. sed recentiorum exemplorum major quaedam vis est ad animos permovendos.

D. Julius] Exponam hanc historiam verbis Senecae, quibus enim melius? Is ergo in consolatione ad Marciam ita scribit: *D. Caesar cum Britanniam peragraret*, &c. Erat autem haec Julia Pompeji uxor: quae, ruinam minantis reipubl. compagem, sola utcunque continebat. ut praeclare de ea Lucanus: *nam pignora juncti Sanguinis*, &c.

Ut D. August. er. nep] C. & L. de quibus lib. I. abunde dictum est.

Abstruserint] Recondiderint, continuerint, devorarint.

Clades exercituum] Ut ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas: quo etiam tempore, cum domus prope nulla esset luctus expers, triginta diebus luctus senatusconsulto finitus est, ne sacra intermitterentur. Livius lib. xxii.

Interitum ducum] Ut trium Deciorum, duorum Scipionum in Hispania, Pauli ad Cannas, Marcelli ad Venusiam, & aliorum.

Funditus am. n. f.] Ut cum trecenti sex Fabii, cum quinque millibus clientium, Carmentali porta, quae ex eo *scelerata* dicta est, egressi omnes in bello adver-

sus Vejentes caesi sunt : uno tantum adhuc impubere, quasi in semen relicto. Livius lib. 2.

Princ. mort. remp. aet. esse] Praeclare hunc locum exsequitur Scipio apud Livium lib. 28. *Quid? si ego morerer*, &c. & quae sequuntur.

Et qui ludorum Megalensium] Germanicus mortuus erat extremo mense Novembri, ludi autem Megalenses committebantur pridie idus April. quatuor igitur menses, a Germanici obitu effluxerant. *Ludi Megalenses*, qui & *Megalesia*, fiebant in honorem magnae matris Deum. Errorem hominis eruditi, Antonii Goveani, qui dixerat Megalesia alia esse a Megalensibus, & Megalenses ludos eosdem esse cum Romanis, confutavi in Scholiis quae in Terentium edidi, triginta fere abhinc annis. *Megalensium*. liber vetus, *Megalesium*. Fuit haec apud veteres varietas, ut ad vocales longas quae antecederent litteram S. alii adderent litteram N. alii sine ea scriberent. Inde in quibusdam libris, *thensaurus*, in aliis *thesaurus*. Inde & in marmoribus, & in libris *Cos.* pro *consul*. Inde alii *totiens*, *quotiens*, *deciens*: alii eadem omnia sine N. Inde in vetustis marmoribus *mesam* pro *mensam*, & *mesem* pro *mensem* saepe reperias. Inde *istitium* & *institium* pro eodem. sic a *pinsendo Pisones*, sic qui *pinsitores* fuerant, facti *pistores*. Sic *formonsus*, *aquonsus*, *glorionsus*, multi veterum: & qui haec a Graecis primum fluxisse ajunt, nugantur. Fuit quidem & Graecis in usu, ut Ὁρτήνσιος ab eis diceretur Hortensius, & Οὐάλης, Valens, & Κλήμης, Clemens. Sed idem veteres quoque Latini factitarant. O aridâ & infelicia studia nostra, si propter has minutias minus dormiendum est. Equidem nucibus ludere mihi videor, cum ista curiosius tracto. *Tum exuto justitio*. Notatu dignum est, quam saepe, quam vario, quam eleganter *exuendi* verbo utatur Tacitus.

Reditum ad munia] Reditum ad res, apertae tabernae, aperta templa, judicia exerceri coepta. *Illyricos ad exercitus*, quibus etiam praefuerat aestate superiori, ut priori libro dictum est. *Erectis*. intentis.

Et magno questu] Multum querente universo populo. *Arroganti & [illegible]*] Qui tanti facinoris reus, vix dignaretur ad se purgandum venire, & innocentia subverteret probationes. ut dixi. libro superiore.

Fa-

Famosam veneficiis Martinam] Ut hic Martina operam Tiberio navavit in tollendo Germanico: sic Neroni in tollendo Britannico Locusta. de qua & apud hunc, & apud Suetonium, & apud Juvenalem. & certe *veneficium* videtur mulierum peculiare vitium esse. Celebres sunt venenis, ex ultima illa antiquitate, Circe, Medea, aliaeque ejusmodi, & totum genus Aegyptiarum mulierum, Helena quoque ab Homero venenorum perita inducitur. Neque cuiquam vestrum ignotae sunt Theocriti & Virgilii *Pharmaceutriae*. *Canidiam* autem Horatii quis ignorat? & fere ubicunque veneficiorum aut superstitionum magicarum, ibi & mulierum mentio. Ut apud Tibullum:

Pollicita est magico saga ministerio. &:
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi. &:
Haec se carminibus promisit solvere mentem.

& apud Euripidem Hermione queritur, venenis Andromaches fieri, ut ipsa sterilis sit, & minus ametur a viro. ubi etiam universe pronuntiat, Epiroticas omnes mulieres, venenis solere grassari. Adducuntur autem ad haec praecipue libidine, & zelotypia, aut erga conjuges, aut erga amatores. Unde tam crebra in omnibus libris, *poculorum amatoriorum* mentio, quibus alii extincti sunt, alii in furorem acti. Quanquam lepide Afranius, vetus comicus, ait, talia venena propria esse vetularum & deformium: adolescentulas enim, & formosas, alia potentiora venena habere, quibus sibi virorum amorem concilient. Ejus versus hi sunt, apud Nonium:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas & corpus tenerum, & morigeratio
Haec sunt venena formosarum mulierum.
Mala aetas nulla delinimenta invenit.

Nos olim ludentes sic Graece reddebamus:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Ita

parentem laudat. Et Valerius Maximus omnia se illi honorum incrementa debere profitetur.

M. Lepidus] Lepidi triumviri filius. De hoc dicta quaedam sunt lib. 1. & lib. 4. plura dicentur.

L. Piso] Rei frater.

Livinejus] Puto primam litteram geminandam, ut sit: *L. Livinejus*. ita enim in veteribus numis scribitur.

Quae fiducia reo] Imitatum ex illo Virgilii, *quae sit fiducia capto*.

Premeret, an promeret] Elegantia orationi ex similitudine vocum quaesita.

Legatum] In Hispania.

Odero, seponamque a domo mea] Amicitiam ei, more majorum, renuntiabo.

Novi principis] Legendum, *non vi principis*. sic lib. 5. *Paratos ad ultionem vi principis impediri*.

Defferrique] Legendum, *differrique*, id est, spargi ac disseminari.

Exin biduum] Semper plus temporis reo, quam accusatori, tribui solebat, nec immerito. Longiori tempore opus est ad sananda vulnera, quam ad infligenda.

Cum super eum] Discumbebat videlicet Germanicus, in imo loco medii lecti, qui locus erat Romanis honoratissimus, & consularis. vide Plutarchum problem. tertio, lib. 1. Symposiacon.

Arguentes] Statim subjicio: *Quod haud minus Tiberius, quam Piso abnuere*, quae verba paulo post non suo loco posita sunt.

Scripsissent, expostulantes] Delenda.

Gemonias] Per has damnatorum corpora deorsum projiciebantur. Sed & statuae. Juvenalis: *Descendunt statuae, restimque sequuntur*.

Divellebant] Replumbabant a basibus, quibus affixae atque applumbatae erant.

Solita cur. corp. exsequitur] Lavat, ungitur, fricatur, extergitur, cenat.

Flexo in moest. ore] Bene *flexo*. gaudebat enim potius, si quis intimos sensus perspicere potuisset, nullum amplius periculum esse, ne tota res patefieret, sublato indice. ac mihi quidem, pro cetero Tiberii ingenio verisimile fit, immissum ab eo percussorem fuisse.

Exquirit] Vetus liber, *ex... quirit*. lego, *ex filio quaerit*.

Atque

Atque illo] Filio.

Codicillos] Ita vocabant, quae non in tabulis scripta, sed in charta, aut membranis, quasi memoriae caussa notata essent.

Quatenus] Legendum, *Quatinus*. Haec autem quid inter se differant, ita exponit Cornelius Fronto: *Quatenus, qua fini, Quatinus, quoniam.*

Innocentiae meae] Quam verum est illud Demosthenis, neminem unquam, ita ullius sceleris manifestum fuisse, ut non se innocentem esse contenderet.

Liberis meis consulatis] Eam unam caussam fuisse puto Pisoni, cur ne moriens quidem scelus Tiberii detexerit, quod metueret liberis suis.

Collegium consulatus] Utriusque collega fuerat, & Augusti, & Tiberii.

Nec quidquam posthac rogaturus] Ultimae morientium preces efficaciores esse consueverant.

De Plancina nihil addidit] Neque quo eam sublevaret: quam jam oderat, ut perfidam, quae in communi caussa defensionem divisisset. neque ut premeret, cum sciret, frustra fore, quicquid adversus eam diceretur, in tanta gratia Augustae.

Post quae] Sic supra: *Post quae reo*, &c.

Patris quippe jussa] Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris aut domini.

Nobilitatem domus] Calpurniae.

Etiam ipsius] Graves enim a semetipso poenas exegerat, quod ad misericordiam plurimum posse monet Aristoteles in Rhetoricis.

Matris preces] Nihil interdum muliebri misericordia crudelius esse, nostra quoque aetas experta est. Dum paucos noxios protegant, quin omnia caedibus innocentum compleantur, non recusant.

Expertas] πεπειραμένας, ut in illo Propertii: *Expertae metuens jurgia saevitiae.*

Imagine cognitionis] Inani & assimulata specie.

Miseratio, quam invidia] De hoc dicendi genere supra monui.

Referente Caesare] Quidam notant, hoc eo notatum a Tacito, quod more prisco magistratus a judicandi munere immunes essent. idque ex prima actione in Verrem satis intelligi. Verum est, quod notatur, sed ad hunc Taciti locum nihil pertinet. Non poterant quidem ii,

qui magistratum gerebant, operam dare praetori exercenti publicum aliquod judicium: & si qui forte ducti essent antequam magistratum inirent, simul atque ineundi tempus venerat, amplius non erant in judicibus, sed alios in eorum locum subsortiri necesse erat. Ne poterant quidem ab eo praetore cui jurisdictio obvenerat, judices dari: sed hic nihil tale agitur. Neque enim agebatur haec caussa apud praetorem, & judices, qui forte ducti, ut moris erat, ei in consilio adessent: sed apud Tiberium & apud Senatum. & hoc est, quod antea dixit Tiberius: *Id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro: apud Senatum, quam apud judices, de morte ejus anquiritur.* Sed quod notat Tacitus, tale est: Consules, ceterique magistratus, cum quid referebatur ad Senatum, non solebant sententiam dicere, sed sententias aliorum exquirere. Id vel ex eo constat, quod consul designatus, primus sententiam rogabatur. Inde consulares, praetorii, aedilicii, ceteri ordine. Quomodo autem ii, qui jam in magistratu erant, cessissent, aut designatis tantum, aut iis, qui honore aliquo perfuncti, jamque privati essent? Et cum qui rogat superior sit, qui rogatur, ac dicere jubetur, inferior: quis, quaeso, consulem rogare poterat? Qui aut non aderat (quo enim imperante venisset?) aut ipse Senatum habebat. Formula rogandi haec erat: *Dic M. Tulli, Dic C. Juli.* Quis hoc modo consulem compellare ausus esset? At Caesare referente, qui super omnes magistratus erat, quique eis omnibus imperare poterat, etiam magistratus eo munere fungebantur.

Radendum fastis] Ut memoria ejus prorsus aboleretur. Cicero pro Sextio de Pisone & Gabinio: *Iidem consules, si appellandi sunt*, &c. Valerius de Mario: *cujus septem in fastis consulatus leguntur.* Idem de Bruto, primo consule: *Quod tam vafre*, &c. Lucanus: *Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis.* Idem: *& laetos fecit se consule fastos.* Idem: *Menstruus in fastis distinguit nomina Consul.* Plinius in Panegyrico: *Nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse perscriberis.* Seneca epist. 105. *Honores judicas*, &c. Tales sunt, qui e foro R. eruti, hodie in Capitolio omnium oculis patent.

Praenomen mutaret] Sic, M. Antonio mortuo, decretum est, ne quis ex eadem gente *Marci* praenomine uteretur.

retur. Sic M. Manlio Capitolino dejecto, ne cui Manliorum *Marco* praenomen esset. Plutarchus, Livius. Sic lib. superiori, ne quis Scriboniorum *Drusi* cognomentum adsumeret.

Quinquagies sestertio] Puto, vocem *sestertio* vacare. *quinquagies centena millia sestertium*, efficiunt more Romano ducenta millia scutorum monetae.

Relegatur] Lege, *relegaretur*.

M. Antonii] E fastis tamen Capitolinis erasum, & postea restitutum fuisse constat. & ita factum significat & Cicero his verbis: *Cujus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus*.

Juli Antonii] Ita legendum, non *Julii*. de eo supra dictum est.

Pudore abs Pl.] Pudebat enim in alios minus culpae affines severiorem esse, cum in Plancinam mitis fuisset.

Valerius Messalinus] Alter consul.

Aram ultioni] Sic supra: *aram adoptioni*. Sic lib. sequenti: *aram clementiae*, *aram amicitiae*. Sic lib. 15. *Post natam ex Poppaea prolem*, *aram fecunditati*. Sic Suetonius in Caligula: *Addit etiam pro argumento*, &c.

Domestica mala] Sic ob victorias civiles non triumphabant. Sic nostra aetate monumenta insignium victoriarum, ex civilibus bellis; primum posita, deinde sublata esse scimus: cum veterum inimicitiarum memoriam; quam oblivione sepeliri satius foret, renovatura viderentur.

Egressus repetendis auspiciis] τῇ ἀνανεώσει τῆς ἀρχῆς οἰωνῶν. Forsitan legendum, *repetitis*.

Vipsania mater ejus excessit] Ex Pomponia Attici filia, hanc Vipsaniam susceperat. Ex Marcella, aut nihil, aut non vitale. Ex Julia, Cajum, Lucium, Agrippinam, Agrippam Postumum, Juliam: quae post exilium viginti annorum mortua est, ut lib. 4 refert Tacitus.

Cum militari custodia] Vetus Juvenalis interpres triplicem in urbe ipsa carcerem fuisse tradit; *Urbanum*, *rusticum*, *& castrensem*. Erat & ipsa Urbe triplex carcer, militaris; apud magistratus; apud fidejussores: quae & *libera custodia* dicebatur. In militari reus dextera, miles sinistra manu alligari eadem catena solebat. Seneca de Tranquillitate vitae: *Alligati sunt etiam*, &c. Idem epist. 5. *Eadem catena custodiam & militem copulat*.

lat. *Custodiam* autem vocabant & militem, & reum. *Apud magistratus*, ut in conjuratione Catilinae. *Apud fidejussores*, Ulpianus l. 1. D. de custodia reorum.

Ne bona publicarentur] Eorum enim quibus interdictum erat aqua & igni, bona publicabantur.

Inlustrium domuum adversa] Sic lib. 4. *paternis adversis*. & in eodem, *adversis casuum*.

In remp. fortuna] Cajo ipse optavit εὔνοιαν Πομπηΐου, τόλμαν Ἀλεξάνδρου, τύχην ἑαυτοῦ, ἀνδρείαν Σκιπίωνος. Plutarch. in Apophthegmatis, & in libro de Fortuna Rom.

Ob impudicitiam filiae, ac neptis] Vide Suetonium in Augusto cap. 65. Macrobium lib. 5. Saturnal. cap. 5. Plinius lib. 21. cap. 3. *Apud nos exemplum licentiae hujus non est aliud quam filia D. Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam litterae illius Dei gemunt.* Sic enim lego, non, ut amicus noster, *litterae illius describunt*.

Adulterosque eorum morte, aut fuga] Hi fuerunt, Julus Antonius, Quinctius Crispinus, Appius Claudius, Sempronius Gracchus, Scipio, aliique minoris nominis. De poena adulterorum legendus Cujacius lib. 6. Observationum cap. 11

De moderanda Papia Poppaea] Observatum a doctis est, magnam Romanis semper conjugiorum curam fuisse. Hinc illa Censoris vox: *Ex animi tui sententia, uxorem habes?* De qua formula M. Tullius 2. de Oratore, & Gellius lib. 10. cap 20. Inde quoque ficta lex ab ipso Cicerone, 3. de Legibus: *Caelibes esse prohibento.* Poena tamen pecuniaria erat. Val. Maximus lib. 2. cap. 9. *Camillus, & Postumius Censores*, &c. Multa hac de re sunt apud Xenophontem. D. Julius post bellum Africanum exhausta juventute, praemia proposuit τῇ πολυπαιδίᾳ, ut narrat Dio lib. 44. Primus Augustus legem tulit, & praemia poenasque distinxit anno DCCXXXVI. ab V. C. Ea dicta *Lex Julia de maritandis ordinibus*. non perlata, prae multitudine recusantium. Eam significavit Horatius in carmine saeculari: *Diva producas sobolem*, &c. ad quem locum vide veterem interpretem. Capita autem legis Juliae erant, ut cuilibet praeter Senatores, & filios eorum, libertinas ducere liceret: ut sponsiones, pactionesque nuptiales, ne ultra biennium differrentur. Ut divortiorum certus esset modus: & alia quae postea

in

in legem Papiam translata sunt. vide Suetonii Augustum cap. 34 *Lex vero Papia*, lata anno DCCII. Papio Mutilo, Q. Poppaeo II. Coss. lata autem per Senatum, multa capita habuit: Ut libertinas ducere liceret omnibus praeter Senatorios Antea Decemvirali lege, neque Patricio plebejam, neque ingenuo libertinam ducere fas erat. Sed prius illud multo ante abrogatum fuerat: posterius Julia primum, deinde Papia lege sublatum. Ut patrono libertam ducere liceret. De tempore sponsalium contrahendorum & differendorum. Ne mulier quinquaginta annis minor, sexagenario nuberet, neu vir minor sexaginta quinquagenariam duceret. Ut ne liberas ducere vel nubere, injuria prohiberent. De intervallo a morte conjugis, vel a divortio. Lex Julia, a morte annum unum, a divortio sex menses, lex Papia a morte biennium, a divortio annum & sex menses. De praemiis maritorum & patrum. Praemia duum generum; honores, & commoda. Honores, honestior in spectaculis locus: prior locus in magistratibus: ut in petitione praeferrentur qui plures liberos procreassent: ut praeferrentur in sorte provinciarum: ut diutius obtinerent; ut primi sententiam rogarentur: ut gratia iis fieret in petendo magistratu, &c. Quae capita & alii annotarunt: quos doctrina, atque judicio I Lipsius noster superavit.

Nobis Romulus] Hoc est quod scribit Pomponius in l. 2. de origine juris: *Initio civitatis nostrae*, &c. Idem testatur Halicarnasseus lib. 2. Tulit tamen Romulus quoque leges quasdam, sed perquam paucas.

Dein Numa] Instituit enim Collegium Pontificum, Virgines Vestales, fetiales, flamines. multa templa condidit, multa sacra, multos ritus, ac caeremonias instituit.

Repertaque quaedam] Deleo prius illud, *que*.

A Tullo & Anco] Legum ab eis latarum nullam extare memoriam puto; nisi quod jura belli Ancus instituisse dicitur.

Servius Tullius] Ut divini juris Numa, ita humani praecipuus auctor Servius fuit. Censum instituit, populum divisit in classes, multas leges aequissimas, & utilissimas tulit.

Patrum factiones] Qui plebem oppressam tenebant.

Tuendae libert.] Ut lex de provocatione a magistrati-

bus ad populum, quam tulit Valerius Poplicola. ut *lex Servilia*, ne quis civem Rom. aeris alieni caussa vinctum aut clausum teneret: ne quis militis, donec in castris esset bona possideret, aut venderet: quae tamen neglectae ab Appio Claudio, Servilii collega, nullam vim habuerunt. leges sacratae.

Creatique decemviri] Anno CCXCIX. missi erant tres legati in Graeciam ad petendas leges. anno CCCII. creati decemviri ad leges ferendas. Unde primo decem, postea duodecim tabulae, quas veteres mirifice commendarunt. Crassus apud Ciceronem lib. 1. de Oratore: *Fremant omnes licet*, &c. Eas ediscebant pueri, ut carmen necessarium. Idem primo de legibus. Livius lib. 3. ait, eas *nunc quoque in immenso*, &c. Phavorinus apud Gellium ait, se non minus diligenter illas legisse, quam Platonis libros de legibus.

Saturnini] L. Appulejum Saturninum significat, qui fuit occisus a populo, cum poenitentiae faceret fidem. De cujus morte Cicero in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, prima in Catilinam, octava in Antonium. Livius lib. 69. Vellejus posteriori volumine. Plutarchus in Mario. Appianus lib. 1. de bellis civilibus, alii.

Drusus] De quo Livius lib. 70. & 71. fuit defensor senatus adversus Servilium Caepionem. Repertus domi mortuus. Extat ejus vox apud Florum, *nihil se ad largitionem*, &c.

Italico] Quod & *sociale* dictum est. Florus lib. 3.

Mox civili] Inter Marium & Sullam.

L. Sulla dictator] Reip. constituendae caussa.

Lepidi rogationibus] *Qui consul cum Q. Catulo DCLXXV. acta Sullae rescindere parabat*, &c. Florus. extat oratio Lepidi hac de re in fragmentis Sallustii, & oratio Philippi adversus Lepidum.

Tribunus red. lic.] Cn. Pompejo, M. Crasso consulibus. Asconius.

In singulos homines] Cum tamen & sacratis legibus, & XII. tabulis sancitum esset, ut neve privilegium irrogari liceret, neve de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari Cicero pro Sextio. Unde lex Ciceronis 3. de legibus: *Privilegia ne irroganto.* Idem pro domo: *Vetant leges sacratae, vetant leges XII. tabularum, leges pri-*

privatis hominibus irrogari. id enim privilegium est. est eadem lex & apud Platonem.

Reddita licentia] Primo Pompeji consulatu.

Corrupt. republ. plur. leges.] Platonicum.

Cn. Pomp. III. cos.] Anno DCCI. petebant consulatum T. Annius Milo, P. Plautius Hypsaeus, Q. Metellus Scipio, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Cum autem diu tracta comitia consularia essent, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mense Januario nulli dum neque consules, neque praetores essent, ac Milo quam primum comitia confici, competitores ejus trahi vellent, ideoque Q. Pompejus, gener Scipionis, & T. Munatius Plancus, tribb. pleb. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi: Milo Lanuvium, ubi Dictator erat, proficiscens, Clodium occidit. Magni tumultus, aliique ex aliis interreges secuti. Tandem Cn. Pompejus sine collega Consul creatus est. ipse in V. menses extremos Q. Metellum Scipionem, socerum, sibi collegam cooptavit.

Auctor idem ac sub.] Ut illius, ne absentium ratio in comitiis haberetur.

Exin continua per XX. annos] Per XXIV.

Abolevit] Uno edicto omnia sustulit.

Pace & principe uteremur] Corruptus & mutilus locus.

Inditi custodes] *Custodes* sunt observatores, & delatores. Ovid. *Dure vir imp. t. c. rem.* Martialis: *Custodes das. P. v. n. a. ipsa*, &c. Juvenalis: *Sed quis c. i. custodes? c. e. & ab*, &c. Seneca ad Polybium: *custodes animi tui sunt.* Suetonius in Tib. *non cessavit efflagitare*, &c. Deleo autem *inditi*, & lego: *Custodes etiam L. P. P. p. inducti*, & pro *visi*, *ut si.*

Vacantia] Deficientia, caduca Erant autem praemia delatorum ultra quartas. Sueton. in Nerone cap. 10. *praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegit.*

V. Consf.] Viginti viri lecti a Tiberio ad nexus legis Papiae exolvendos.

Vigintiviratus] III. viri capitales. III. viri A. A. A. F. F. IIII. viri curatores viarum. decemviri hastae C. viralis. Dio lib. 54.

Quinquennio maturius] Idem de Caligula Suet. fuit annus legitimus XXIV.

Sibi] Dio lib. 53.

Druso] Dio lib. 54.

Forum ing. est] Die tirocinii, die togae virilis. Suetonius in Nerone cap. 7. in Caligula cap. 10.

Filio Claudii] Druso. Suet. in Claudio.

Quod initium Sex. Pompejus] Sexti, ejus qui in Sicilia victus est, filius.

M. Lepidum] Triumviri filium.

Ut socordem] Ἀβέλτερον.

Asiae sorte] Quae ipsi obtigerat.

Uxor comitaretur] Proficisci autem Proconsulem melius quidem est sine uxore: sed & cum uxore potest, &c. L. *Observare*. D. de offic. Procos.

Quadraginta stipendia] *Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat*. lib. 1.

Ad similitudinem barbari incessus] Germani, Galli, Persae, uxores, & concubinas secum in bella ducebant, ut Caesar, Tacitus, & alii referunt.

Per feminam] Plancinam, de qua supra.

Quae Oppiis quondam] Livius lib. 34.

Libertique etiam ac servi] L. 2. D. de his qui sui vel alieni juris sunt.

Diem aedificationibus] Recte alii legunt, *editionibus*.

E primoribus Macedoniae] Forsitan scriptum erat, *e pr. Macedoniae*, hoc est, *e provincia Macedoniae*.

Cotye fratre] Scriptum erat FR. F. id est, fratris filio. Putarunt librarii, esse *fratre* legendum.

In Rhemetalcen] Defuncto Rhemetalce Thracia divisa est inter Rhescuporim, fratrem ejus, & inter filium Cotyn. Hunc interfecit Rhescuporis, qui postea Romam adductus, & damnatus est: Thracia divisa inter Rhemetalcem, filium, & liberos Cotyis.

Odrusaeque & alii] Legendum, *Odrusaeque sit alii*. aut, *Odrusaeque & Astii*. aut, *& Dii*.

Urbemque Philippopolim] Quae antea *Poneropolis* dicta. Plinius lib. 4. Δούλων πόλις Straboni lib. 7.

Andecavi] Legendum est, *Andegavi*.

Acilius Aviola] Is qui elatus, in rogo revixit: sed cum subveniri non potuisset, vivus exustus est. Plinius, & Valerius.

Quanto civitas opulentior] Hirtius ad finem librorum de

de bello Gallico, ait, Aeduorum inter Gallos summam esse auctoritatem. Idem Caesar lib. 6.

Cruppellarios vocant] Forsitan leg. *clibanarios*, ut & alii annotarunt. Ammianus Marcellinus lib. 16. *Sparsique cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant.* Vide & Nazarium in laudatione Constantini. Talium mentio & apud Plutarchum in Lucullo.

Neque auribus satis competebant] Sallustius apud Nonium: *Quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.* Id aliter expresiit Livius lib. 5. *Romani ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.*

Et fugientibus consilire] Livius lib. 24. *Jussi & duces ordinum praefectique auxiliorum simul consilire.* Vulgo legitur, *consulere.* Putatur ea vox legi etiam lib. 5. *Aliosque occultos consilit.* sed male.

Se consiliis superfuisse] Vide Gellium lib. 1. cap. 22. Noct. Atticar.

Ciliciam Homonadensium castellis] Vide Strabonem lib. 12.

Ante diem in aerarium deferrentur] Vide Suetonium, Dionem lib. 57. Senecam lib. 1. de Tranquillitate. Theodosius produxit ad triginta. Sidonius Apollinaris epist. 7. lib. 1.

Sperni sumptuariam legem] Vide Gellium lib. 2. cap. 24. Macrobium lib. 3 cap. 17.

Villarumne infinita spatia] Adversum leges agrarias. Horatius:

— *agri quantum nec miluus oberret.*

Lex Licinia plus quingenta jugera agri habere civem Romanum vetabat. Varro 1. de re rustica: *Ipse sua lege damnatus, cum substituta filii persona amplius possideret.* Plinius lib. 18. cap. 2. *Verum confitentibus Italiam latifundia perdidere.* Idem ejusdem libri cap. 6.

Familiarum numerum & nationes] Tacitus noster lib. 14. Pedaneo Costae quadringentos fuisse servos scribit. Plinius Caecilio Isidoro quinque millia. Athenaeus lib 6. quosdam Romanos decem millia, alios viginti millia habere ait.

Argenti & auri pondus] Cornelius Rufinus Senatu motus est a Fabricio, quod X. pondo vasa argentea comparasset. Valerius Maximus lib. 2. Livius lib. 14. Gellius

lib. 4. cap. 8. ubi male legitur *factitaret*, pro *facti haberet*. Idem lib. 17. cap. 25. Plutarchus in Sulla.

Promiscuas viris & feminis vestes] Vide Senecam epist. 123. & Clementem lib. 3. Paedagogi.

Nemo refert, quod Italia externae opis indiget] Virgilius 2. Georgic. de Italiae laudibus: *Sed neque Medorum silvae*, &c. Legendus & Plinius cap. 5. lib. 3. & cap. ult. lib. 37. *Caesar Vopiscus, cum caussam*, &c. Varro lib. 1. de re rustica, & Plinius lib. 17. cap. 4. Idem cap. ult. lib. ult. *Quicquid est, quo carere vita non debeat*, &c. Turpe igitur erat, eam externae opis indigere.

Per incerta maria] Nam e Sicilia, ex Africa, ex Aegypto, frumentum advehebatur. Columella lib. 1. *Itaque in hac Latia & Saturnia terra*, &c.

Nemora, nostraeque villae] Horatius lib. 2. Oda 15. *Jam pauca aratro jugera*, &c. Et lib. 3. Carm. Od. 6. *Non his juventus orta*, &c.

Ser. Galba rerum adeptus est] *Galba oblatam a Tarraconensibus*, &c Suetonius in Galba cap. 12. vide quae scripsimus lib. 15. Variarum lect. cap. 11.

Astricti moris auctor Vespasianus] Vide in ejus vita Suetonium cap. 23.

Non licere Dialibus egredi Italia] Flamini Diali noctem unam extra Urbem manere nefas est. Livius lib. 5.

Quirinaliumque] Ne iis quidem licebat. vide Valerium Max. lib. 1. cap. 1. ut & alii annotarunt.

Quanquam Sertorii atque Mithridatis] Sertorianum bellum excitatum erat anno DCLXXIII. Confectum est a Pompejo, anno DCLXXXII. Bellum autem adversus Mithridatem coepit anno DCLXV. post R. C. Confectum anno DCXC.

Asinius Saloninus] Gallus Asinius Saloninus duxit Vipsaniam a Tiberio dimissam. Ejus hic filius fuit. Multos fratres habuit.

Caesarique progener destinatus] Ut aliquam Germanici filiam duceret.

Consulatum ei acceleraverat Augustus] Anno DCCLIX. 10. Kalend. Julii cum C. Vibio Postumo.

Et Junia sexagesimo quarto] Decimus Junius Silanus, qui Cos. cum L. Licinio Murena fuit, uxorem habuit Serviliam, sororem Catonis. Ex eis Junia Tertia, vel Tertulla.

Ne Spartaco quidem] Spartacus, Oenomaus, & Eryxus, effracto Capuae Lentuli ludo, in quo alebantur, cum LXXIV. gladiatoribus, bellum servile in Italia concitarunt, & vocatis ad vexillum servis, occuparunt montem Vesuvium. Vicerunt P. Vatinium Praetorem, & Claudium Pulcrum Legatum, anno DCLXXX. Anno sequenti vicerunt Cn. Lentulum Consulem, Anno DCLXXXII. confecti sunt a M. Crasso Praetore, qui de eis triumphavit.

IN LIBRUM IV.

Hoc libro continentur res gestae per sex annos, quibus consules fuerunt C. Asinius C. F. Pollio, C Antistius, C. F. Vetus. Ser. Cornelius Cethegus, L. Visellius Varro. Cornelius Cossus, M. Asinius Agrippa. Cn. Cornelius Lentulus, C. Calvisius Sabinus, M. Licinius Crassus, L. Calpurnius Piso. Ap. Junius Silanus, P. Silius. Nerva.

Nonus] Nam quatuor illi menses ejus anni, quo duo Sexti Pompejus & Appulejus consules fuerunt, non numerantur in annis Tiberii. Fuit autem hic annus ab urbe condita DCCLXXV. ut auctor est Plinius cap. 2. lib. 33.

Compositae reipub] Nam in urbe pacata erant omnia, & externa bella virtute Germanici composita erant.

Florentis domus] Nihil enim ipsi, quod nollet, acciderat. *Florere* dicuntur, qui vigent. Lucretius: *Tum laetas urbes pueris florere videmus.* Hesiodus: θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές.

Nam Ger. mor.] Ne quis miretur, cur florentem dicat Tiberii domum, cum Germanici mors felicitatem illius contaminasse videretur, ait, eam a Tiberio inter prospera numeratam. Unde cognoscamus licet immane & ferinum ingenium Tiberii, qui viri virtute praestantis, qui sibi natura fratris filius, adoptione filius foret, morte sit gavisus. Sed tamen hoc mirum videri non debet. nam semper suspecta & formidolosa tyrannis est aliena virtus. Regibus boni quam mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est. Sallust. in Catil. Aristoteles 5. Politic. unum praeceptum tyrannidis conservandae,

dae, ait esse tollere τὴν φρόνησιν. Itaque multi contemptu vitarunt periculum. Brutus erat stulti, &c.

Turbare] Turbida esse. Hic notanda rerum humanarum instabilitas & inconstantia, quae cum prosperrime fluere videntur, tum periculi plenissimae sunt. Cum enim eodem in statu manere non queant: ubi ad summum venere, in deterius mutentur necesse est. Hippocrates ait, τὰς ἀθλητικὰς εὐεξίας ἐπ' ἄκρον ἐούσας, ἐπισφαλέας εἶναι. Ita est & in Fortuna. Ac profiteor me, cum Fortunam dico, eam intelligere, de qua Catilinar. 1. copiose disserui. Hesiodus: Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, &c. Aesopus apud Laërtium interrogatus quid ageret Jupiter? respondit, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Ac tum maxime metuenda mutatio est, cum maxime omnia ex sententia succedere videntur. Bias apud eundem Laërtium interrogatus, quid grave perpessu esset, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἔφη μεταβολὴν εὐγενῶς ἐνεγκεῖν. Menelaus apud Sophoclem: Ἀλλ' οὐ γὰρ αἰεὶ πότμος ἐν ταὐτῷ θεοῦ, &c. Plutarch. in Demetrio. Historia de Polycrate rege Samiorum & Amaside rege Aegypti ex Herodoti lib. 3. Philippus rex dicebat: ὦ τύχη μικρόν τι μοι νέμεσιν ἀντὶ τοσούτων καὶ τηλικούτων ἀγαθῶν ποίησον. Horat. lib. 2. Od. *Sperat angustis*, &c. Sophocles in Ajace μαστιγοφ. Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. Ad. Τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, &c.

Saevire ipse aut] Utrumque aeque noxium populis.

Initium & caussa] Non sunt omnino idem, etsi in posterioribus videatur 1. Arist. utrumque confudisse, sed in principio quarti τῶν μετὰ τὰ φυσικά (ut quidem Graeci dividunt) haec duo distinguuntur. Legendus Simplicius principio φυσικῆς ἀκροάσεως.

Aelium Sejanum] L. Aelius Sejanus, Seji Strabonis filius fuit, sed adoptatus ab Aelio quodam, Aelius Sejanus dictus est. de adoptionibus res nota, ex Jurisconsultis, Gellio, & aliis.

I. Omnes prope Principes solent e familiaribus suis unum, aut alterum deligere, cui quibusve se totos penitus tradant; cum quibus arcana omnia communicent, quibus se detegant, & aperiant, quorum arbitratu, & rem familiarem, & rempublicam administrent, ut non tantam potestatem ipsi Principes in ceteros, quam hi in ipsos Principes obtinere videantur.

II. Atque hi si tales fuerint, quales oportet, incredibilem

bilem utilitatem, & privatim & publice adferent. Nam & freti gratia illa sua multa monent, quae alii non auderent, & reprimunt Principis naturam, si ipse ad aliquod vitium propenderet. Tales habuit Augustus Agrippam, & Maecenatem, quorum ille in rebus bellicis, & consilio, & manu praestitit: hic saevitiam Augusti aliquando coërcuit, misso libello: ἀνάστηθι δήμιε. Dio. vide & Senecam libro 6. de beneficiis cap. 32.

III. Sed plerumque evenit, ut illa tanta potentia detur hominibus improbis, avaris, ambitiosis, fraudulentis.

IV. Nam viri fortes, boni, simplices, aperti, adulari nesciunt, omnes autem potentes adulatoribus gaudent. Subeunt igitur principum animos, & in illorum intimam amicitiam irrepunt homines callidi, malitiosi, versipelles: qui eos semel occupatos, & infessos, dominatione perpetua premunt, ut nusquam miseris oculos flectere liceat, nisi quo istorum libido aurigatur. Ac quoniam liberam, ac masculam vocem veritatis tenerae, ac delicatae Principum aures non ferunt, saepe fit, ut viris bonis, ac prudentibus rejectis, ac repudiatis, solae talium pestium voces audiantur, quae nimium credulos principes in maximas redigunt calamitates, quibus oppressi sero agnoscunt errorem suum, tum demum, cum remedio nullus amplius superest locus. Coguntur igitur emittere cjusmodi voces, quales apud Aristophanem ὁ δῆμος· τί φῄς; τοιαῦτα μ' ἔδρων, ἐγὼ δ' οὐκ ᾐσθόμην, &c.

V. Item si possunt, atrocissima supplicia sumunt de iis, quorum improbitate in eas se miserias redactos vident, comprobantque re, ac factis illud Hesiodi: Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. sed non semper principibus id faciendi potestas datur.

VI. In sacris litteris legimus, Roboamum, sapientissimi regis Salomonis filium, cum rectis consiliis credere noluisset, juvenibus autem ad superbiam, & ad crudelitatem hortantibus credidisset, a maxima parte populi desertum, angustis admodum finibus imperasse.

Amanus ab Artaxerxe rege in summo honore habitus, & regni adjutor ab eo vocatus, dum universae Judaeorum genti perniciem molitur, in ea ipsa cruce, quam quinquaginta cubitos altam, Mardocheo statuerat, ipse regis jussu suffigitur.

Croe-

Croesus, Lydorum rex, dum nimia felicitate ebrius, Solonis quidem sapientissimi viri monita negligit, adulatoribus autem potentiam ipsius extollentibus, lentum se, ac facilem praebet, dum Cyri imperium perdere conatur, suum perdidit. Itaque sublatus in pyram, ut illic vivus cremaretur, inclamato Solonis nomine, & re tota detecta, singularem victoris regis clementiam expertus est. Herodot. lib. 1. Plutarch. in Solone.

Si Artabani fratris Darius, si ejusdem Artabani patrui Xerxes, prudentia consilia, quam Mardonii adulationes audire maluisset, neque ille a Scythis turpiter fugatus, maxima accepta plaga discessisset, neque hic e Graecia, quam innumerabili quadam hominum multitudine fretus lacessiverat, summa cum infamia fugere coactus esset. Herodotus lib. 7.

Dionysius junior si Dionis propinqui sui, si Platonis consiliis obtemperasset, acceptum a patre imperium liberis suis firmius ac stabilius reliquisset. nunc dum severis illorum monitionibus confictas ad gratiam adulantium voces anteponit, e tyranno ludimagister effectus, inter insignia commutatae sortis exempla numeratur.

Claudio, qui post Caligulam imperavit, non tantum naturalis stupor infamiae attulit, quam quod se improbissimis, & abjectissimis hominibus, Posidi spadoni, Felici, Harpocrati, Narcisso, Polybio, Pallanti, libertis suis, ita regendum permiserat, ut non tam Princeps, quam libertorum suorum minister videretur.

Feliciter imperasset Nero, si Senecae, & Burrhi consiliis perpetuo, ut coeperat, paruisset. Dum eis primo rejectis, deinde interfectis, adulantium voces sequitur, sibi & acceleravit exitium, & apud posteros nomen sola flagitiorum, ac facinorum turpitudine memorabile comparavit.

Commodus, M. F. dum Pompejani recta suadentis sententiam aspernatur, Perennio se primum, deinde ejusdem generis aliis tractandum, regendumque permittit, & illis, & sibi exitiosus fuit.

Neque finis, neque modus ullus sit, si talia exempla congerere libeat. sed nullum nobilius, quam Sejani, de quo hoc loco Tacitus.

Genitus Vulsiniis] Juvenalis Satyra 10. *Idem populus si Nurscia Tusco favisset, si oppressa foret secura senectus*

Prin-

Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora Augustum. De Nurscia dea Etrusca meminit Livius lib. 7. Tertull. in apolog. *Unicuique etiam provinciae, & civitati*, &c.

Apicio] Seneca 14. epistolarum: *Mullum ingentis famae*, &c. Idem de vita beata: *Aspice Nomentanum, & Apicium*, &c. Plinius lib 10. cap. 48. *Phoenicopteri linguam praecipui saporis esse, docuit Apicius, nepotum omnium altissimus gurges.* Idem lib. 9. cap. 17. *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus*, &c. Idem sues feminas ficubus caricis *saginabat, ac satie enecabat, multo repente mulso dato, ut eorum jecora delicatiora fierent.* Idem lib. 8. cap. 51. Seneca de consolatione ad Helviam: *M. Apicius nostra memoria*, &c. Idem narrat Dio lib. 57. Fuit & alius Apicius eodem ingenio praeditus, quem usque in Parthos ostrea misisse ad Trajanum Athenaeus refert: cum artem quandam eorum recentium conservandorum in longitudinem excogitasset. Extant & tertii cujusdam Apicii libri aliquot de re coquinaria.

Diviti & prodigo] Ἀσώτῳ. [illegible] Hic ipse libro 11. *ob magnitudinem infamiae, cujus apud prodigos novissima voluptas est.*

Non tam solertia] Ἀγχινοίᾳ.

Quippe] Argumentum ab effectu.

Quam Deum ira] Recte judicabant, irato Deo maxima mala & publice, & privatim evenire. *Memini relinqui me Deo irato meo.* Virgil. 2. Aeneid. *Hic mihi nescio quod*, &c. Catull. *Quis Deus tibi non bene advocatus vaecordem parat excitare rixam?* Virgil. 10. Aeneid. *Quis Deus in fraudem, quae dira potentia nostra Egit?* Homer. Τίς δ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; Non desunt recentia exempla.

Antea intendit] Ἐπέτεινε.

Dispersas per urbem cohortes] Suetonius in Tiberio cap. 37. *Romae castra constituit*, &c.

Una in castra] Inter portas Viminalem & Tiburtinam.

Fiducia ipsis] Xenophon libro 2. Κῦρος [illegible].

Crederetur] Legendum, *cresceret*.

Praetendebat lascivire] Προεφασίζετο ἀτακτεῖν.

Interque principia legionum fineret] Inter militaria signa. Sueton. cap. 48.

Et

Et quia vi tot simul corr.] Et hoc quoque moram adferebat.

Orto forte jurgio intenderat] Tacitus libro 1. *Ut quis praetorianorum militum, amicorumve Caesaris occurrerat*, &c.

Os verberaverat] Contra Dio, & Zonaras. Non credendum, Tribuniciae potestatis, & imperii consortem, Principis filium a Sejano verberatum. At Drusum vocabant *Castorem*. Dio lib. 57.

Ad uxorem ejus Liviam] Alio nomine Livillam.

Quae soror Germanici] Filia Drusi ex Antonia minore.

Cui avunculus Augustus] Id est, major avunculus. nam Octavia, soror Augusti, ex Antonio genuit Antoniam. Antoniae filia Livilla.

Sumitur in conscientiam Eudemus] Plinius lib. 29. cap. 1. *Jam vero & adulteria, etiam in Principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Caesaris.* Juvenalis Sat.

— accedunt medici, medicaeque recedunt.

Prolationes] Fort. *prolatio.*

Quaeque fratri ejus Neroni decreverat Senatus] Biennio ante, lib. 3.

Quanquam arduum sit eodem loci] Lucanus lib. 1. *Rara fides regni sociis*, &c.

Quanto sit angustius imperitatum] Laus obliqua Trajani.

Misenum apud] Promontorium inter Cumas & Puteolos.

Rostratae naves] χαλκέμβολοι, *aeratae.* Virgilius, Horatius, Caesar, Hirtius.

Praesidebant] Sic supra de Vellejo: *Is proximum exercitum praesidebat.*

In oppidum Forojuliense] In Carnis: *Cividal d' Austria*, Lazio, & Leandro.

Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur] Imo una. Tacitus lib. 4. ab excessu Neronis: *Legio in Africa*, &c. Et supra lib. 2. *Furius Camillus legionem, & quod sub signis sociorum ad hostem duxit.* Sed una abducta erat e Pannonia, & in Africam missa erat propter bellum Tacfarinatis. Supra libro tertio. Eo in Pannonia hic collocantur duae tantum, cum tres essent.

Accolis Ibero Albanoque] *Planitiem omnem a Cyro us-*

que Albanorum gens tenet, mox Iberum. Plinius cap. 10. lib. 6. Pertinent ad Caucasios montes. *Iberiam & Albaniam* Ptolemaeus, & Strabo *Caucasios* appellant. Plinius & Mela, *Georgos*. Hodie *Georgiani* vocantur.

Et colonis antiquitus Romani] *Coloniis antiquis Romanis.*

Rari per Italiam Caesaris agri] Non ut postea, Emphiteuticarii patrimoniales, tum rei privatae, tum divinae domus, tum fisci, qui impediunt agriculturam, diminuunt vectigalia, pauperant populos.

Modesta servitia] Id est, pauca, intra modum. Lib. 3. *Simul modestiae Neronis fidebat.* Et lib. 1. *Et ille varia disserebat de sua modestia.* Et lib. 12. *modestia hiemis* Vide Varias nostras.

Communes illi cum familia Drusorum fore nepotes] Suetonius in Claudio cap. 27. & noster libro tertio. Porro quod notarunt doctissimi viri μνηστευτικῶς ἀμφίσημον in Tacito, assentiri non possum. Longe enim aliud est *destinare*, aliud *despondere*.

Deligit venenum, quo paulatim inrepente] Tale venenum sibi Carthaginenses dedisse dixit Regulus, non praesentaneum, sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret: eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno, cor tabesceret. lego *contabesceret.* Gellius cap. 4. lib. 6. Theophrastus lib. 9. περὶ φυτῶν ἱστ. de aconito: συντίθεται δ', ὥστε ποιεῖ χρόνους, &c. Mihi tamen hoc verosimile non fit: caussae non sunt obscurae.

Ut octo post annos cognitum est] Eo ipso anno quo interfectus est Sejanus, cum Apicata ejus uxor haec scelera prodidit. Dio lib. 58.

Vix propinquorum alloquia] Vide cap. 4. lib. 2. variar. lectionum.

Appius Clausus] Ita vocabatur, qui postea Appius Claudius.

Ea fraude tum senem] Alibi legitur, *ea fraude captum senem.*

Juveniliter hauriente] Νεανικῶς.

Facinorum omnium repertor] Sic Virgil. 2. Aeneid.

— *Scelerumque inventor Ulysses.*

Et immania credebantur] Alii libri, *inania.*

Per Apicatam Sejani proditus]. Sic dictum, ut ab eodem Virgilio, *Hectoris Andromache*.

Falsas auditiones] Ἀκροάσεις.

Quorum in manus cura nostra venerit] Antiqui libri, *quorum in manus scripta nostra venerint*.

Divulgata] Lege, *ne divulgata*.

Avide excepta] Libri veteres, *unde*. Forte, *unde unde*.

Laudante filium pro rostris Tiberio] Interposito velo. Seneca consolatione ad Marciam.

Ut superbiam fecunditate] Lege, *superbam*.

In insulam Amorgum deportatur] Ἀμοργὸς, ἡ καὶ Ἀμόργιον, μία τῶν Κυκλάδων, ἡ καὶ Παγκάλη. vide Stephanum περὶ πόλεων.

Et paternis adversis] Δυστυχίαις.

Samiis Junonis] Virg. 1. Aeneid. *Quam Juno fertur terris*, &c *Posthabita coluisse Samo*.

Samii decreto Amphictyonum] Publicum Graeciae concilium Quinctil. & Plinius. Bis quotannis, vere, & autumno mittebantur Pylagorae e duodecim populis Graeciae. Harpocration.

Cum jussu regis Mithridatis] Uno die centum quinquaginta millia civium Romanorum Mithridatis jussu trucidata sunt. Cicero pro lege Manilia, Livius lib. 78. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico.

Oscum quendam ludicrum] Osci. Strabo lib. 5. Cicero in epist. ad Marium.

Censorium funus] Funus publicum, sive indictivum, Consulare, Censorium, Triumphale. Polybius lib. 6.

Ne se jus] Leg. puto, *non se ei jus*.

In C. Silanum vindicatum erat] Qui relegatus erat in insulam Cytheram.

Egitque Nero grates] Nerò, Germanici filius.

Forma principe viro digna] Euripides: εἶδος ἄξιον τυραννίδος. vide nostras Varias.

Nam Patricios confarreatis parentibus] Tribus modis nuptiae fiebant, usu, farre, coëmptione, Boëthius in Topica, Ulpianus tit 9. *Farre convenitur*, &c.

Et quando exiret e jure patrio] Qui patria potestate liberantur, aliquando capite minuuntur, ut qui emancipantur: venduntur enim: aliquando non: ut olim qui fie-

fiebant Flamines Diales, hodie qui Episcopi. Ne ii quidem capite minuebantur, qui morte patris fiebant juris sui. Liberabantur & Flaminicae, fiebantque in viri potestate dum convenirent in manum. Quanquam alioqui nuptiae non liberent a potestate patria: nam & filius qui uxorem duxit, manet in potestate patris, & filiafamilias quae nupsit. Ulpianus tit. 10. *In potestate parentum esse desinunt, & hi qui Flamines Diales inaugurantur, & quae virgines Vestae capiuntur.* Vide & Gellium lib. 10. cap. 15.

Sacrorum caussa] Quod quaedam sacra obiri oporteret a Flaminica, quae obiri nefas putaretur ab ea, quae alia potestate, quam viri contineretur.

Capiebatur] De hoc ritu Gellius lib. 1. cap. 12.

HS vicies] Octo millia scutatorum monetae.

Cum pro incolumitate Principis vota susciperent] Prima decennalia Tiberii. Lege quae narrat Dio lib. 53. Sic antiquitus 3. Nonas Januar. fiebant vota pro salute imp. Plutarch. in Cicerone. Solvebantur autem quinquennalia, aut decennalia, pro quinquennio, decenniove praeterito. Suscipiebantur; scribebantur in tabulis, & signabantur pro futuro.

C. Silium, & Titium Sabinum] Legendum est, *Titurium Sabinum.*

Exercitus septem per annos moderator] Apud ripam Rheni, ut dictum est lib. 1.

Majore mole procederet] Lege, *procideret*, per tertiam vocalem.

Pro gratia odium redditur] Sic Tiberius matrem oderat, quod ejus opera ad imperium pervenisse videretur. Sic & Nero, &c.

Fuisse comperior] Sallustii verbum in Jugurthino, cujus studiosus imitator hic noster.

Nam pleraque] τὸ πολὺ, *plerumque.*

Flexit in melius] Absolute positum. Sic lib. 1. *Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias, triumphosque Tiberii.* Sic in hoc ipso libro, *in ambitionem flexisse.* Ductum a curribus, aut a navibus.

An sit aliquid in nostris consiliis] τὸ ἐφ' ἡμῖν.

At Messalinus Cotta] Hunc libro sequenti saevissimae cujusque sententiae auctorem vocat.

Sed animo diversus] A Lepido.

Per Apicatam Sejani proditus] Sic dictum, ut ab eodem Virgilio, *Hectoris Andromache.*

Falsas auditiones] 'Ακροάσεις.

Quorum in manus cura nostra venerit] Antiqui libri, *quorum in manus scripta nostra venerint.*

Divulgata] Lege, *ne divulgata.*

Avide excepta] Libri veteres, *unde.* Forte, *unde unde.*

Laudante filium pro rostris Tiberio] Interposito velo. Seneca consolatione ad Marciam.

Ut superbiam fecunditate] Lege, *superbam.*

In insulam Amorgum deportatur] 'Αμοργὸς, ἡ καὶ 'Αμόργιον, μία τῶν Κυκλάδων, ἡ καὶ Παγκάλη. vide Stephanum περὶ πόλεων.

Et paternis adversis] Αὐτοχίας.

Samiis Junonis] Virg. 1. Aeneid. *Quam Juno fertur terris, &c Posthabita coluisse Samo.*

Samii decreto Amphictyonum] Publicum Graeciae concilium. Quinctil. & Plinius. Bis quotannis, vere, & autumno mittebantur Pylagorae e duodecim populis Graeciae. Harpocration.

Cum jussu regis Mithridatis] Uno die centum quinquaginta millia civium Romanorum Mithridatis jussu trucidata sunt. Cicero pro lege Manilia, Livius lib. 78. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico.

Oscum quendam ludicrum] Osci. Strabo lib. 5. Cicero in epist. ad Marium.

Censorium funus] Funus publicum, sive indictivum, Consulare, Censorium, Triumphale. Polybius lib. 6.

Ne se jus] Leg. puto, *non se ei jus.*

In C. Silanum vindicatum erat] Qui relegatus erat in insulam Cytheram.

Egitque Nero grates] Nero, Germanici filius.

Forma principe viro digna] Euripides: εἶδος ἄξιον τυραννίδος. vide nostras Varias.

Nam Patricios confarreatis parentibus] Tribus modis nuptiae fiebant, usu, farre, coëmptione, Boëthius in Topica, Ulpianus tit 9. *Farre convenitur*, &c.

Et quando exiret e jure patrio] Qui patria potestate liberantur, aliquando capite minuuntur, ut qui emancipantur: venduntur enim: aliquando non: ut olim qui fie-

fiebant Flamines Diales, hodie qui Episcopi. Ne ii quidem capite minuebantur, qui morte patris fiebant juris sui. Liberabantur & Flaminicae, fiebantque in viri potestate dum convenirent in manum. Quanquam alioqui nuptiae non liberent a potestate patria: nam & filius qui uxorem duxit, manet in potestate patris, & filiafamilias quae nupsit. Ulpianus tit. 10. *In potestate parentum esse desinunt, & hi qui Flamines Diales inaugurantur, & quae virgines Vestae capiuntur.* Vide & Gellium lib. 10. cap. 15.

Sacrorum caussa] Quod quaedam sacra obiri oporteret a Flaminica, quae obiri nefas putaretur ab ea, quae alia potestate, quam viri contineretur.

Capiebatur] De hoc ritu Gellius lib. 1. cap. 12.

HS vicies] Octo millia scutatorum monetae.

Cum pro incolumitate Principis vota susciperent] Prima decennalia Tiberii. Lege quae narrat Dio lib. 53. Sic antiquitus 3. Nonas Januar. fiebant vota pro salute imp. Plutarch. in Cicerone. Solvebantur autem quinquennalia, aut decennalia, pro quinquennio, decenniove praeterito. Suscipiebantur; scribebantur in tabulis, & signabantur pro futuro.

C. Silium, & Titium Sabinum] Legendum est, *Titurium Sabinum.*

Exercitus septem per annos moderator] Apud ripam Rheni, ut dictum est lib. 1.

Majore mole procederet] Lege, *procideret*, per tertiam vocalem.

Pro gratia odium redditur] Sic Tiberius matrem oderat, quod ejus opera ad imperium pervenisse videretur. Sic & Nero, &c.

Fuisse comperior] Sallustii verbum in Jugurthino, cujus studiosus imitator hic noster.

Nam pleraque] τὰ πολλά, *plerumque.*

Flexit in melius] Absolute positum. Sic lib. 1. *Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias, triumphosque Tiberii.* Sic in hoc ipso libro, *in ambitionem flexisse.* Ductum a curribus, aut a navibus.

An sit aliquid in nostris consiliis] τὸ ἐφ' ἡμῖν.

At Messalinus Cotta] Hunc libro sequenti saevissimae cujusque sententiae auctorem vocat.

Sed animo diversus] A Lepido.

Cavendum S. C.] Lapsus igitur memoria Ulpianus in L. *Observare* D. De officio Procos. & Legati, qui hoc Senatum censuisse dicit, *Messalla & Cotta Coss.* id est, quadriennio ante, nisi apud eum legendum sit, *Cotta Messalino consulente*, ut Jac. Cujacius cap. 30. lib. 6. Observationum. nam, ut quidem ait ipse, etiam Senatores *consulere* dicuntur, L. 2. D. ad Vellejanum. sed indubitate ibi legendum est *censuerunt*. Itaque fortassis ibi quoque *censente* legendum.

Is namque, ut retuli] Lib. 2.

Tiberius civiliter habuit] Ovidius:

Exercet memores plus, quam civiliter iras.

vide quae ad lib. 1. adnotavimus.

Etiamsi impetus offensionis languerat] In eandem sententiam Homer. Iliad. α. θυμὸς δὲ μέγας ἐνὶ διοτρεφέων &c. id est, *Nam quanquam in praesens violentam concoquit iram. Conceptam tamen illam alta sub mente recondit.*

Pisonemque gravius] Legendum est, *Pisonem Q. Gravius.*

Neque peractas ob mortem opportunam] Vide L. *Defuncto* D. de publ. judic. & L. *in Senatuscons.* D. ad S. C. Turpilianum. Fallit tamen in majestate. sed hic tantum de sermone agebatur.

Relatum & de Cassio Severo] De ejus ingenio videndus Seneca in praefat. lib 3. Controvers. *Hunc primum affirmant flexisse ab illa vetere, atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii, sed judicii.* Hic noster, seu Fabius in Dialogo de Oratorib. Scripsit & Historias. Tertullianus in Apologetico, Suetonius in Vitellio.

Judicio jurati Senatus] Ita mos erat in rebus gravioribus. περὶ συμβολῆς apud Xenophontem lib. 5. ἀναβάσεως.

Cretam amoveretur] Quia viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. Supra lib. 1. Ejus scripta S. C. abolita, Caligula requiri, & esse in manibus, lectitarique permisit. Suetonius in Caligula.

Saxo Seriphio] Fabulam de Perseo lege apud Strabonem ad finem lib. 10. quae hunc locum mirifice illustrat.

Sub impetrandae] Lego, *ubi impetrando.*

Jamque tres laureatae statuae] Furii Camilli, Lucii Apronii & Junii Blaesi.

Pto-

Ptolemaeo Jubae filio] Qui postea, jussu Caligulae, interfectus est. Suetonius in Caligula, cap. 26.

Ipse consultor aderat omnibus] Sic lib. 5. *Sua exempla in consultores recidisse.* &, *Malum consilium consultori pessimum.*

Et culpae nescia] *Conscia*, legunt alii.

Ex vetusto more] Libri veteres, *mose*. Legendum, *mos est*. Livius lib. 30. *Ibi Masinissam primum regem appellatum*, &c.

Coitiones evenerat] Vide Suetonium in Julio, cap. 19. Turnebum lib. 3. Adversarior cap. 9. & 22.

Cum maxime conjurationem disjecit] Legendum, *Cum maxime*. ut lib. 3. *Littora, & lacus Campaniae cum maxime peragrantem.*

Nomen viri Q. Vibius Serenus] Legendum, *Nomen utrique Vibius Serenus.*

Sed hi autem flatum exempti] Ac dixit Tiberius se ipsi sibi vita indignum videri, si etiam Lentulo invisus esset. Dion.

Robur & saxum] Barathrum. *Robur*, in carcere is locus, quo praecipitatur maleficorum genus: quod ante arcis robusteis includebatur. Festus. Valerius Max. lib. 6. cap. 3. *Quin etiam familiares Gracchorum, ne quis reip. inimicis amicus esse vellet, de robore praecipitati sunt.*

Gallus Asinius Gyaro] Legendum forte, *Cum Gallus Asinius.*

Casus, ut retuli] Lib. 2.

Ad interna praeverterent] Accederent, venirent....

Nobis in arto, & inglorius labor.] Virg. 4. Georgic.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Saepe rerum motus oriuntur] Quidam legunt, *monitus*. sed non assentior.

Neque alia rerum, quam si unus imperitet] Fort. *atque alia rerum, quam si u.*

Obvia rerum similitudine] Ubique lectoribus occurrente.

Ut animus ex propinquo] Fort. *ut nimis.*

Quod editis Annalibus] Legendus Seneca in Consolatione ad Marciam.

C. Cassium Romanorum ultimum] Imo Brutum, & Cassium dixerat *Romanorum ultimos*. Suetonius in Tibe-

 rio

dae, ait esse tollere τὴν φρονηματίας. Itaque multi contemptu vitarunt periculum. Brutus erat stulti, &c.

Turbare] Turbida esse. Hic notanda rerum humanarum instabilitas & inconstantia, quae cum prosperrime fluere videntur, tum periculi plenissimae sunt. Cum enim eodem in statu manere non queant: ubi ad summum venere, in deterius mutentur necesse est. Hippocrates ait, τὴν ἀθλητικὴν εὐεξίην ἐπ' ἄκρον ἥκη, ἐπικινδυνωτάτην εἶναι. Ita est & in Fortuna. Ac profiteor me, cum Fortunam dico, eam intelligere, de qua Catilinar. 1. copiose disserui. Hesiodus: Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, &c. Aesopus apud Laërtium interrogatus quid ageret Jupiter? respondit, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Ac tum maxime metuenda mutatio est, cum maxime omnia ex sententia succedere videntur. Bias apud eundem Laërtium interrogatus, quid grave perpessu esset, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἔφη μεταβολὴν εὐγενῶς ἐνεγκεῖν. Menelaus apud Sophoclem: Ἀλλ' οὐ γὰρ αἰεὶ πότμος ἐν πυκνῷ θεῶν, &c. Plutarch. in Demetrio. Historia de Polycrate rege Samiorum & Amaside rege Aegypti ex Herodoti lib. 3. Philippus rex dicebat: ὦ τύχη μικρόν τι μοι κακὸν ἀντὶ πολλῶν καὶ τηλικούτων ἀγαθῶν ποίησον. Horat. lib. 2. Od. *Sperat angustis*, &c. Sophocles in Ajace μονῳδ. Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν Εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. Ad. Τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, &c.

Saevire ipse aut] Utrumque aeque noxium populis.

Initium & caussa] Non sunt omnino idem, etsi in posterioribus videatur 1. Arist. utrumque confudisse, sed in principio quarti τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ (ut quidem Graeci dividunt) haec duo distinguuntur. Legendus Simplicius principio φυσικῆς ἀκροάσεως.

Aelium Sejanum] L. Aelius Sejanus, Seji Strabonis filius fuit, sed adoptatus ab Aelio quodam, Aelius Sejanus dictus est. de adoptionibus res nota, ex Jurisconsultis, Gellio, & aliis.

I. Omnes prope Principes solent e familiaribus suis unum, aut alterum deligere, cui quibusve se totos penitus tradant; cum quibus arcana omnia communicent, quibus se detegant, & aperiant, quorum arbitratu, & rem familiarem, & rempublicam administrent, ut non tantam potestatem ipsi Principes in ceteros, quam hi in ipsos Principes obtinere videantur.

II. Atque hi si tales fuerint, quales oportet, incredibilem

bilem utilitatem, & privatim & publice adferent. Nam & freti gratia illa sua multa monent, quae alii non auderent, & reprimunt Principis naturam, si ipse ad aliquod vitium propenderet. Tales habuit Augustus Agrippam, & Maecenatem, quorum ille in rebus bellicis, & consilio, & manu praestitit: hic saevitiam Augusti aliquando coërcuit, misso libello: ἀνάστηθι δήμιε. Dio. vide & Senecam libro 6. de beneficiis cap. 32.

III. Sed plerumque evenit, ut illa tanta potentia detur hominibus improbis, avaris, ambitiosis, fraudulentis.

IV. Nam viri fortes, boni, simplices, aperti, adulari nesciunt, omnes autem potentes adulatoribus gaudent. Subeunt igitur principum animos, & in illorum intimam amicitiam irrepunt homines callidi, malitiosi, versipelles: qui eos semel occupatos, & infessos, dominatione perpetua premunt, ut nusquam miseris oculos flectere liceat, nisi quo istorum libido aurigatur. Ac quoniam liberam, ac masculam vocem veritatis tenerae, ac delicatae Principum aures non ferunt, saepe fit, ut viris bonis, ac prudentibus rejectis, ac repudiatis, solae talium pestium voces audiantur, quae nimium credulos principes in maximas redigunt calamitates, quibus oppressi sero agnoscunt errorem suum, tum demum, cum remedio nullus amplius superest locus. Coguntur igitur emittere ejusmodi voces, quales apud Aristophanem ὁ Δῆμος· τί φῄς; τοιαῦτα μ' ἔδρων; ἐγὼ δ' οὐκ ᾐσθόμην, &c.

V. Item si possunt, atrocissima supplicia sumunt de iis, quorum improbitate in eas se miserias redactos vident, comprobantque re, ac factis illud Hesiodi: Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. sed non semper principibus id faciendi potestas datur.

VI. In sacris litteris legimus, Roboamum, sapientissimi regis Salomonis filium, cum rectis consiliis credere noluisset, juvenibus autem ad superbiam, & ad crudelitatem hortantibus credidisset, a maxima parte populi desertum, angustis admodum finibus imperasse.

Amanus ab Artaxerxe rege in summo honore habitus, & regni adjutor ab eo vocatus, dum universae Judaeorum genti perniciem molitur, in ea ipsa cruce, quam quinquaginta cubitos altam, Mardocheo statuerat, ipse regis jussu suffigitur.

Croe-

Esse in civitate Germanici conjugem] Malim, *esse in civitate qui Germanici conjugem.*

Agrippinae filiae] Plinius lib. 7.

Quae Neronis principis mater] Suetonius cap. 53. Tiberii.

Per bella Pers.] Quem vicit L. Aemilius Paullus. Plutarch in ejus vita.

Et Aristonici, aliorumque regum] Filii Eumenis ex pellice, qui a Perperna domitus, a M. Aquilio, anno DCXXIV. post R. C. captus, & in carcere, jussu Senatus, strangulatus est. Livius in Epitoma 59. Justinus lib. 37. Strabo lib. 14. Cicero Philipp. 11.

Verum Hypaepeni] Ὕπαιπα, πόλις Λυδίας, ὑπὸ τὸ Αἴπῳ, μάλιστα ἔχει γυναῖκας, δῶρον Ἀφροδίτης. Stephan. περὶ πόλεων. Ovid de Arachne:

Orta domo parva, parvis habitabat Hypaepis.

Meminit & Strabo lib. 13.

Trallianique] De Trallibus multa idem Strabo lib. 14.

Laodicenis ac Magnetibus] De his idem Strabo lib. 12. Synesius in Epistolis: Λαοδίκα, φρεῖαι, &c.

Ac Magnetib. simul] *Simul*, constructum a Tacito, ut ἅμα apud Graecos.

Nullo motu terrae] Cum tamen crebri ibi sint terraemotus. Strabo, σχεδὸν δὲ εὔσειστός ἐστι, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μαίανδρον χώρα.

Nam Tyrrhenum] Strabo lib. 5.

Atye rege genitos] Qui erat e posteris Herculis.

Sive una Amazonum] *Smyrna* nomine. Straboni lib. 14. *Zmyrna* est, ut notavi pridem in Philippicas M. Tullii.

M. Porcio Cos.] Cum L. Valerio Flacco, anno U. C. DLIX.

Apud Capuam Jovi] Jovi Capitolino.

Corporis habitum pudori fuisse] Suetonius cap. 68. *Corpore fuit amplo atque robusto. Statura quae justam excederet.* Et paulo post: *Facie honesta, in qua tamen crebri, & subitilli* (sic enim lego) *tumores.* Sed mutata erant pleraque, ut solet, in senectute.

Curtius Atticus] De quo dicetur libro sequenti.

Liberalibus studiis praediti] Quibus ille valde oblectabatur, ut & Graeca poëmata faceret, & summe curiosus esset historiae fabularis: *quae mater Hecubae: quod*

Achilli

Achilli nomen inter virgines: quid Sirenes cantare solitae. Suetonius Tiberio cap. 70.

Ferme Graeci] Convictores Graeculi, quibus maxime acquiescebat. Zeno Dorice loquens, Seleucus Grammaticus. Suetonius cap. 56.

Vescebantur in villa] *Praetorium* vocat Suetonius cap. 30.

Mare Amyclanum] *Amyclae*, sunt inter Cajetam, & Tarracinam.

Cum uxor vigilias] Julia, Drusi filia, Tiberii neptis.

Claris majorib. quam vetustis] Gentem enim illam primus extulerat Augustus.

Sic Haterii canorum illud] Talis Hortensio & Callistrato: λέξις γραφική, καὶ λέξις ἀγωνιστική. & Aristoteli lib 3. Rhetoric. Hanc λιτικάν vocat Demosthenes in Erotico.

Apud Fidenam amphitheatro] Licebat igitur in municipiis, quod Romae sine speciali permissu non licebat; ut colligitur ex Suetonio in Claudio.

Quinquaginta hominum millia] Tranquillus, *XX. hominum millia* habet, cap. 40. sed hic etiam debilitatos & obtritos numerat.

Cui minor quadringentorum millium res] qui census erat equester. Nota res vel pueris.

Deusto monte Coelio] Ubi hodie est basilica Lateranensis.

Tribuendo pecunias ex modo detrimenti] Restituto pretio dominis insularum. Tranquillus.

Ut mons Coelius in posterum Augustus] Hoc fieri ipse Tiberius jussit Sueton.

Id olim Claudiae Quinctae] Valerius Max. lib. 1. cap. 8. scriptor de viris illustr. Rom. & alii.

A Coele Vibenna] In vetere tabula *Vivenna.* alii *Coelium* vocant.

Nam scriptores in eo dissentiunt] Varro, *Romulum*: Dionysius, & Livius *Tullum*; Strabo *Arcum* nominat.

Ac foro propinqua habitavisse] Aut postea cum in locis tam munitis suspectae forent, in planum deductas esse, ut Varro scribit.

Unde Tuscum vicum] Horatius: — *Tusci turba impia vici.* Ibi colebatur Vertumnus, Deus Etruriae.

Adversum casum solatium tulerat] Puto leg. *adversis casuum.*

Caesari propinquum] Germanici enim filiam duxerat. Seneca lib. I. Controversiarum.

Capreas se in insulam abdidit] Imo jam Capreis erat, cum amphitheatrum Fidenis collapsum est. Suetonius.

Antequam Vesuvius mons] *Vesuvius*, mons Campaniae amoenissimus, multos habet subterraneos ignis fontes: itaque saepe conflagravit, sed maximum incendium sub Tito Vesp. quod copiose describitur a Xiphilino, tangitur a Suetonio: disertissime exponitur a Plinio minore, lib. 6. Epistolarum, ubi narrat mortem avunculi sui, qui ea conflagratione absorptus est. Hodie, *Monte Somma*.

Telebois habitatas fama tradit] Vulgo, *Cephalleniam* per quartum vocalem; Κεφαληνίαν Strabo, & Eustathius appellant cum secunda vocali.

Duodecim villarum] In eis villa Jovis. Fortasse ceterae, a Diis majorum gentium cognominatae.

Egenes adversum proximos] Amicus noster *tegens*. veteres libri, *etiam*. Lego, *egit etiam*.

Calendis Januariis epistola precatus] Ut feliciter annare, & perennare liceret. Plinius: *Primum incipientis anni diem laetis precationibus invicem faustum ominamur*.

Principis aperirent]. Lego, *operiretur*.

Julia mortem obiit] Agrippinae soror.

In insulam Trimerum] Unam ex quinque Diomedeis.

Postquam non subveniebat] Fort. *subveniebatur*.

Donec, idque vetitum] Lege, *donec id quoque vetitum*.

Neptem Agrippinam] Quae mater Neronis Imperatoris fuit.

Nam is aviam Octaviam] Erat enim filius majoris Antoniae.

IN LIBRUM V.

Dividendus hic liber in duos, ut recte viri docti monuerunt. Continet historiam novem annorum.

Rubellio, & Fusio coss.] C. Rubellio Gemino, & C. Fufio Gemino, (sic enim leg. est, non *Fusio*) Coss. His Coss. observavi baptizatum a Joanne Christum Dominum.

Ju-

Julia Augusta mortem obiit] Livia, quae postea *Julia*, mater Drusi, qui fuit pater Germanici. Agrippina autem matrem habuit Juliam, Augusti filiam.

Aetate extrema] Octoginta sex annorum. Dio. Male apud Plinium est 82, lib 14. cap. 16. ubi & male puto legi *Pictanon*, & legendum *Picinon*. ut sit vinum *Picinum*, quod nascitur in colle saxeo, in quo positum est Tergeste, hodie *Ribollam* vocant. Hic disserendum esset, cur mulieres minus diu vivere soleant, quam viri. Longaevarum mulierum exempla leges apud Plinium libro septimo, capite 48.

Nobilitatis per Claudiam familiam] Mater Tiberii *Claudia* erat, prima origine. Suetonius: *Ex hac stirpe* (*Claudia*) *Tib. Caesar*, &c. Avus Tiberii maternus vocatur a Vellejo *Livius Drusus Claudianus*. a Dione lib. 48. *Livius Drusus*. Maternus igitur avus ipsius in gentem Liviam adoptatus est. Vide Valerium Max. cap. 4. lib. 2. & hunc nostrum ad finem hujus libri.

Cum Tib. Nerone] Hic Caesaris Dictatoris Quaestor fuerat. Alexandrino bello classi praepositus, plurimum ad victoriam contulerat. Mortuo tamen Caesare censuit referendum de praemiis τυραννοκτόνων. L. Antonium Perusiam secutus, deditione facta, solus in partibus mansit. Profectus ad Sext. Pompejum, deinde ad M. Antonium transiit, cum quo Romam rediit. Suetonius.

Comis ultra quam antiquis feminis probatum] Fuit haec Livia insigni prudentia, & animo maximo. vide Senecam lib. 1. de Clementia cap. 9. & Consolatione ad Marciam, Macrob. lib. 11. Saturnal.

A C. Caesare pronepote] Suetonius in Caligula: *Comitatus est patrem*, &c.

Ac Tib. quod supremis] Eam aegrotam ne inviserat quidem Dio lib. 58.

Et addito, nè caelestis religio decerneretur] Quam tamen ei postea tribuit Claudius. Dio lib. 60. & Suetonius in Claudio cap. 11.

Inridere solitus] De morte ejus & Publiae Priscae uxoris, lege Dionem: in quo male *C. Geminus Rufus*, pro quo reponendum, *C. Fusius Geminus*, ut dixi.

Ceterum ex eo praerupta jam] Aspera & imminens capitibus ac cervicib. civium dominatio. Porro legendum est *vergens*, ut alii quoque annotarunt.

Tunc

Tunc velut frenis exsoluti] Sejanus magis etiam ηὐξήθη. Decretum, ut natalis ipsius publice celebraretur. Statuae innumerabiles positae. A singulis ordinibus, ut ad Tiberium, sic seorsim ad ipsum missae legationes. Pro utriusque salute sacra faciebant. Per Genium utriusque jurabant. vide Suetonium, Senecam, aliosque.

Cottam Messallinum] Qui libro superiore cavendum censuerat, ut &c. qui hoc libro dicitur saevissimae cujusque sententiae auctor.

Brevibus momentis summa verti posse] Ut in Gallia, cum Franciscus Borbonius, princeps Condensis, ex summo vitae periculo, morte Francisci II. regis, in summam potentiam venit.

Vi principis impediri testarentur] Desiderantur reliqua actorum hujus anni; in queis, quemadmodum Agrippina in insulam Pandatariam relegata sit, Nero in Pontiam, ubi uterque eorum interfectus est jussu Tiberii. auctor Suetonius in Caligula. Desiderantur & acta insequentis anni, quo M. Vinicius, L. Cassius Coss. fuerunt: quorum uterque postea Tiberii progener fuit, ut postea dicetur. Tum ut Sejanus eousque creverit, ut Tiberius vulgo insulae Praefectus, Sejanus pro Imperatore haberetur: quem jam Tiberius metuens, neque aperte adoriri ausus, Consulem secum designavit: & ad Senatum scribens, Sejanum suum suarum curarum participem nominabat. Iniit Consulatum Tiberius absens, Cal. Januarii, sine collega. Sejanus autem collega ab eo adscitus, Calend. Febr. in urbem venit, Consulatumque auspicatus est. Consules una fuere usque ad Idus Majas. Toto illo tempore Sejanus non Consulatus, sed imperii collega habebatur Idibus Maji, suffecti in eorum locum C. Memmius Regulus, Fulsinius Trio. Hic ex Sejani clientela; ille non tam a Sejano alienus, quam ambiguus fidei, & privatis utilitatibus officium metiens. Tiberius interea explorandis Senatus in Sejanum animis, per epistolas modo eum laudibus tollere; interdum oblique perstringere; nonnunquam de eo contemptim loqui: &, ut advertit, quibus Sejani potentia minueretur, non aversis animis accipi, jamque plerosque reperiri, qui nutarent, confidentior factus, nonnullos e cultoribus ejus afflixit: quosdam quibus ille infensus erat, ornavit. Varie interea Sejani animus inter spem, & metum fluctuabat. nam

&

& tam alte subvectus, ut paulum deesse videretur ad summum, non minus se Tiberio, quam Tiberium sibi metuendum esse ducebat: & fato nunquam securae potentiae, per scelera quaesitae, terrebat simul, timebatque. Nec minus suspensa civitas Sejano, neque tanto, ut prius, studio colere, neque tamen aperte ab eo desciscere audebat: infixa penitus in plerisque omnibus opinione, nihil sincerum esse Tiberii: nunquam voluntatem ipsius ita perspici posse, ut non immineret periculum, si qui praepropere obtemperassent. Multis jam exitiosum fuisse, quod de voluntate ipsius ac sententia, ex vultu ac verbis judicassent.

Cum in Blaesum] Sejani avunculum.

Gravatus Vitellius] Vide Suetonium in Vitellio.

Puella adeo nescia] Ea ipsa, quae destinata erat sponsa filio Claudii.

Supplicio affici virginem inauditam] *Virginis* nomen interdum pro ea quae peperit. Terentius: *Virgo nihil habet.* Et paulo post: *Illinc huc transferetur virgo.* Et sermo est de ea quae pepererat. Virgilius: *Ah, virgo infelix.* ubi sermo est de Pasiphaë.

Drusum Germanici filium] Quem Tiberius in abdita palatii parte fame postea enecavit, ut post paulo dicetur: tum autem in custodia habebatur.

Dixisse se M. Silano genitum] Cujus gener fuit Caligula.

Cn. Domitius & Camillus Scribonianus] Hoc est libri sexti principium, de sententia Lipsii.

Aditis juxta Tiberim hortis] Horti Caesaris, qui prope naumachiam erant. Suetonius.

Sellariorum & spintriarum] *Sellaria*, ait Laevinus Torrentius, sunt sellae ipsae ad libidinem dispositae. Sic enim & *sellaria* domus aureae Neronis, apud Plinium lib. 34. cap. 8. & *sellariolae popinae* apud Martialem, ubi non in lectis, sed in sellis accumberent. Inde & *opifices sellularii* Livio. Ego *cellas* scio vocari meretricum casulas. Martialis: *Intrasti quoties inscriptae limina cellae* Et Juvenalis: *Ultima cellam clausit.* Et: *dubitas alta Chionem deducere cella.* Suetonius in Caligula, cap. 41. *Lupanar in palatio constituit, distinctisque, & instructis pro loci dignitate compluribus cellis*, &c. Scribo igitur, *cellario-*

lintriorum. *Spintrias* exponit Suetonius, monstrosi concubitus repertores. *Spintriam* vocatum Vitellium idem narrat: & Xiphilinus exponit πορνείδιον. Lego & hic, *sphintriarum.* Sed haec nescire praestat, ut mirer quosdam tam diligentes in foedissimo vocabulo investigando fuisse.

Cognitis Liviae flagitiis] Apicata, uxor Sejani, cognita morte filiorum, libellum scripsit, quo Livillae facinora & flagitia aperuit. Deinde se exanimavit. Tiberius, & ceteros conscios, & ipsam interfecit. Sunt tamen qui dicant, ei, propter Antoniam matrem, ignotum esse, sed eam ab Antonia inedia necatam. Dio.

Spectaculum praebebatur] Legendum, *praebebant.*

Et noxiam conscientiae] Puto emendandum, *noxae conscientiam.*

Dii me, deaeque potius perdant] *Quin & Artabani, Parthorum regis, laceratus est,* &c. Suetonius in Tiberio capite sexagesimo sexto.

Si recludantur tyrannorum mentes] Plato lib. 9. & 10. de Republ.

Quam in Arusejum & Sanquinium] Quae ea poena fuerit, obscurum est, ob jacturam factam librorum Taciti.

Sanctissimis Arruntii artibus] Lib. 1. dixit, *Arruntium fuisse divitem, promptum, artibus egregium, & pari fama publice.*

T. Minutius Thermus inducti] Plautus: *Injuriam multo induci satius est.* Appulejus lib. 3. *Ego quidem pro hospitis salute, & homicida sum, & reus capitis inducor.* νικῶμαι.

Reum destinare properat] Forsitan leg. *properabat.* aut, ut pridem conjeceram, *poterat.*

Indicibus accessere] Et ita servati sunt, ut paulo ante Paconianus.

Collegam patris sui] Seji Strabonis.

Sed Claudiae, & Juliae domus partem] Utrumque spe, non re. Sejani filia destinata erat uxor filio Claudii. Ipse Liviam ducturus putabatur: sed tamen non ut Germanicum, sic Liviam ejus sororem adoptaverat Tiberius. Fortasse igitur constituerat dare illi aliquam ex filiabus Germanici. *Generi* autem appellatio etiam e sponsalibus contrahitur. L. *Servius.* D. de gradib. & adfinitat. Et

Ge-

gener vocatur etiam neptis aut proneptis maritus. L. *generi*. D. de verb. signif.

Annius Pollio] Qui postea in Neronem conjuravit.

Vinicianus Pollioni patri adjiciebatur] Et hic postea conjuravit in Claudium.

In cohortem suam transtulerat] Amicorum. Alia cohors erat primae admissionis, alia secundae, alia tertiae. Sed tertiam non amicorum, sed gratorum vocabat Tiberius: qui tres illas classes fecerat. Suetonius cap. 46. Tale quiddam hodie in aula Imperatoris observatur.

Vitia Fusii Gemini mater] Qui Fusius accusatus majestatis, cum protulisset tabulas suas, se interfecit: quod exemplum secuta est Publia Prisca, uxor ipsius. Dio.

Curtium Atticum] Equitem ex illustribus, comitem secessus Caprensis. Supra lib. 4.

L. Piso, Pontifex] Legendum est, *L. Piso, P. V.* hoc est, Praefectus urbi. Seneca epist. 84. *L. Piso, Urbis custos, ebrius ex quo semel*, &c. Plinius lib. 14. cap. ult. *Eadem commendatione credidere* &c. Suetonius in Augusto cap. 42. *Postea princeps in ipsa publicorum morum* &c.

Dentrem Romuleum] Liber vetus, *Dentrem Remuleum* habet. Forte *Livium* leg. ex T. Livio, lib. 10.

Numam Marcium] Patrem Anci regis.

Sp. Lucretium] Hic primus habuit comitia creandis Consulibus, cum Interrex esset. Livius ad finem lib. 1. Dionysius extremo lib. 4.

Primusque Messalla Corvinus] Dio Cassius Agrippam primum facit, secundum Statilium, Corvinum omittit.

Eam potestatem] Quae ab Augusto primum facta est perpetua. Sueton. Augusto cap. 36.

Dein Piso XX. per annos] Lipsius legit, *X. per annos.* Hic erat Tiberii decimus septimus. De libro Sibyllae, vide Gellium cap. 19. lib 1.

Post exustum sociali bello Capitolium] L. Scipione, C. Norbano coss. anno DCLXXI. post R. C. anno ante Sullae Dictaturam.

Sanus repertus]. Leg. puto, *sane repertus.*

Ser. Galba, L. Sulla Coss.] His Consulibus Christus Dominus in crucem sublatus est, qui fuit annus ab U. C. DCCLXXXVI.

L. Cas-

L. Cassium] Longinum cognomento. Suetonius, & Tacitus paulo post.

M. Vinicium] Ad quem Vellejus Paterculus historiam suam scribit.

Calibus ortus] In Campania. Hodie vulgo *Calvi*.

Adversum legem Dictatoris Caesaris] De qua Suetonius in Caesare cap. 42. & Caesar ipse lib. 3. de bello civili.

Nam primo XII. Tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret] Ex fenore plurimae & gravissimae seditiones exoriri solent. nam qui fenori pecuniam accipiunt, dulcedine praesentis pecuniae illecti, neque quid postea futurum sit, cogitantes, indulgent cupiditatibus suis: neque prius de calamitate sua cogitant, quam exuti patrimonio, & omnibus fortunis eversi, novas res, si possunt, moliri, & de vertenda quoquo modo repub. consilia capere cogantur. Propterea diligentissime cavendum est, ne crescat aes alienum in civitate. Plato lib. 8. de Legibus, non censet permittendum, ex puteo vicini aquam ad usum quotidianum sumere, nisi qui prius in solo suo foderit usque eo, dum ad argillam pervenerit. Hoc enim argumento utuntur aquileges, aquam inveniri non posse. Ita non esse permittendum, pecuniam ab alio utendam petere, nisi ei qui prius tentasset omnes rationes subveniendi necessitatibus suis, aut ex fructibus praediorum suorum, aut labore & industria, aut parsimonia & frugalitate. Eo magis, quod nemo feneratur propter ea quae sint ad vitam tuendam necessaria.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δημητρὸς ἀκτῆς, πόματος δ' ὑδροχόου;

Id est,

Quid ad tuendam est vitam opus, praeter duo:
Cereale munus, & Acheloi pocula?

Propter haec autem, nemo se, ut Diogenes dicebat, feneratori obligat. Ut in argento, aut in auro bibatur: ut gemmis digiti, aures unionibus onerentur, ut purpura calcetur, ut ebore incrustentur laquearia, ut auro radient, ut citreae mensae petitis trans mare dapibus premantur; ut stultae, infinitae, inhonestae cupiditates delassentur potius, quam expleantur. Ob has, & harum similes caussas argentariorum tabulae implentur. Itaque Persae, ut est apud Herodotum, omnium peccatorum gra-

gravissimum esse ducebant, quidquam cuiquam debere. Et Plato lib. 11. de Legibus prohibet, ne quid ematur in diem: sed omnia praesenti pecunia: aut ne ulla sit actio ad pretium petendum. Itemque sanxit, si quis pecuniam mutuam dederit, ne eam ab invito exigere possit. Sed & a Charonda idem institutum. & apud quosdam Indorum populos olim observari solitum legimus apud Stobaeum, λόγῳ μβ'. Sed & lege XII. Tabularum, obaerati habebantur in nervo & compedibus; vendebantur: Si plures unius creditores erant, qui solvendo non esset, licebat eis corpus ejus dissecare, & inter se partiri. Quae tam horrenda, tamque atrocia lege nominatim permissa erant, ut deterrerent homines ab aere alieno contrahendo. Sed tamen in credenda pecunia aliquid humanitatis est, & natura ipsa nos monet, ut, cum amicis egentibus, quemadmodum aliarum rerum, sic pecuniae quoque numeratae usum communicemus: idque etiam Deus ipse facere nos jubet. Sed adversus naturam est poscere, ut numus numum gignat; vereque affirmat Aristoteles 1. Politicῶν, fenus naturae adversari. Is enim qui alteri fenerat, specie beneficii, eum cui gratificari videtur, evertit. Itaque eleganter S. Ambrosius ait, non multum interesse inter *fenus & funus: inter sortem & mortem.* Cumque sortem feneratores *caput* vocare soleant, eos qui illorum retibus involuti tenentur, esse capitis reos. Haec igitur de fenore πολλά: de quo videndus est liber S. Ambrosii de Tobia. S. Basilius in Psalmum 14. Plutarchus in lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Nunc quae a Tacito dicuntur, singillatim consideremus.

Vetus urbi fenebre malum] Hoc e T. Livio, & Halicarnasseo cognosci potest.

Unciario fenore] Quia numerus duodenarius commodissimus est ad partitiones. Habet enim 6. 4. 3. 2. 1. Iccirco eo antiqui in rebus dividendis saepissime utebantur. Sic hereditatem vocabant *assem*, &c. Sic cum singulis mensibus singuli numi pro centenis usurae nomine pendebantur, id est, duodeni quotannis in centenos, eam usuram *centesimam* vocabant: quae gravissima erat omnium lege permissarum; & ea ipsa quasi *as* usurarum

rarum erat: Proxima erat, cum undeni, id est, deunx. Persius:

Quid petis, ut numi quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces.

Inde dextantes usurae, dodrantes, bessales, septunces, semisses, quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, unciariae. Erat autem *unciaria*, cum pro centenis mutuo datis singuli quotannis usurae nomine pendebantur. Eam permissam fuisse hic ait Tacitus, lege XII. Tabularum; sed cum, ut verisimile est, graviores usurae postea exercerentur, lex de unciario fenore iterum lata est, centum fere annis post XII. Tabulas, a M. Duilio, L. Maevio, Tribunis pl. ut auctor est Livius lib. 7. Deinde ad semiuncias, decem annis post legem eadem de re Duilii, Tribuini pl. idque T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss.

Postremo vetita versura] Lege Genucia, sex annis post Duiliam. Livius lib. 7. Itaque saepe postea multati sunt feneratores, qui & puniebantur poena quadrupli, cum fures tantum dupli condemnarentur. M. Cato, initio rei rusticae.

Obviam itum fraudibus] Fraudem quomodo facerent, cum in socios nomina transcriberent, cognosces ex Livio lib. 35.

Duas quisque fenoris partes] Hac de re Suetonius in Tiberio cap. 48. *Per Senatusconsultum sanxit, ut feneratores*, &c. Sic Plinius lib. 6. epist. de Senatu suorum temporum: *Patrimonii tertiam partem conferri jussit in ea quae solo continerentur.* Capitolinus de M. Antonino: *Jussit ut Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.* Fortassis igitur hic quoque leg. *patrimonii*, ut *duas quisque fenoris partes solveret: duas patrimonii in agris per Italiam collocaret.*

Caesar disposito per menses] Ex aerario. Leg. autem est, *millies sestertium* ex Suetonio: qui sint MCCCC. scutata monetae.

Pater quoque illustris eques Rom.] M. Pompejus, procurator Asiae. Strabo lib. 13.

Theo-

Theophanem Mitylenaeum] In ejus gratiam Pompejus Mitylenaeis immunitatem donaverat. Plutarch. qui eum malitiosum fuisse ait. Fabrum praefectus fuit in castris Pompeji bello civili, auctorque ei victo fuit, se in Aegyptum potissimum conferendi.

Sex. Marius Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam] Quam ablegaverat, ne a Tiberio stupraretur: Dionem lege lib. 58.

Jacuit immensa strages] Viginti uno die abjecti, tractique: inter eos pueri ac feminae. Suetonius in Tiberio cap. 61. sed lego, *ducenti*, non *viginti*.

C. Caesar discedenti Capreas avo] *Undevicesimo aetatis anno accitus Capreas*, &c. Sueton. in Caligula cap. 10.

Qualem diem Tiberius induisset] Locus insigniter depravatus. Forsitan leg. *Quali Tiberium vidisset*.

Passieni Oratoris motum] Qui pessime exordiebatur: mediocriter narrabat: insigniter perorabat. Seneca lib. 3. Declamat.

Et tu Galba quandoque degustabis imperium] Καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ. Sic Turnebus apud Suetonium legit, in Galba, cap. 4. ex Dione, Xiphilino & Josepho. At Sueton. hoc dictum tribuit Augusto: Dio & Joseph. Tiberio.

Fatone res mortalium, & necessitate] Chrysippus apud Gellium cap. 2. lib. 6. *Fatum*, est sempiterna quaedam & indeclinabilis series rerum, & catena, volvens semet ipsa sese, & implicans per aeternos consequentiae ordines; ex quibus apta connexaque est. sed optime Homerus: Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται, &c. Scripserunt de fato Chrysippus, Zeno, Cicero, Plutarchus, Alexander Aphrod. omnium optime S. Thomas, & libello proprio, & in 1. part q. 116. vide & Commentarium nostrum in Catilinarias M. Tullii.

Contra alii] Stoici, & ante eos Plato lib. 10. de Repub. αἰτία ἑλομένου, θεὸς ἀναίτιος.

Non eximitur] Puto leg. *non eximias*.

Quippe a filio ejusdem Thrasylli] Est & apud Xiphilinum; & praedictum etiam, fore ut matrem interficeret; nisi quod Astrologum ipsum non nominat. Sic mors praedicta Vitellio ab Astrologis. Sic praedictum imperium Vespasiano ab Josepho. Sic mors Domitiano praedicta

ab Ascletarione, & a Proculo Longino. Innumerabiles ejus generis praedictiones in veterum libris leguntur: sed valeat dictum Diagorae.

Quam egestate cibi peremptum] Anno uno ante Liviae mortem. Eusebius. Graecus poëta ait: λιμῷ δ' οἴκτιστον θανεῖν.

Mandendo e cubili tomento] Idem Suetonius narrat.

Cocceius Nerva] Caussam mortis cognosces ex Dione.

Adsidere] Horatius: *Quod si quis casus lecto te affixit*, &c.

Quod Julia Drusi filia] Drusi, qui filius fuerat Tiberii.

Neronis uxor] Germanici filii.

Denupsit] Extra cognationem suam nupsit.

Mors Aelii Lamiae] Dio libro quinquagesimo octavo: τόν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον πολυτελεστάτῃ δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησε, καὶ Λάκιον ἀντ' αὐτοῦ τιμίως ἀνθείλετο, ὃν προσποιεῖσθαι γνώμῃ (legendum, Συρίᾳ) προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ.

Exin Flacco Pomponio] Cum quo biduum potando consumpserat, eique pro praemio Syriam administrandam dederat. Suetonius.

In prioribus libris satis conlocavi] Verbum *conlocavi* de mendo suspectum.

Post longum saeculorum avis Phoenix in Aegyptum venit] Multa & praeclara de hac ave extant apud veteres. Herod. in Euterpe. Martial. lib. 5. *Qualiter Assyrios revocant*, &c. Lactantius: *Quae postquam vitae jam mille peregerit annos*. vide Plin. lib. 10. cap. 2. Melam lib. 3. Solinum cap. 46. Ovid. lib. 15. Metamorph. Philostrat. lib. 3. de vita Apollonii. Ambrof. lib. 5. hexaëmer. cap. 23.

Paulo Fabio, L. Vitellio Cons] Dio lib. 58. biennio serius, Sex. Papinio, Q. Plautio Cosf. Idem Solinus, & Plinius. Ego Tacitum in re fabulosa non ita curiosum fuisse arbitror. Falsum autem est, quód quidam ex Dione notat, hos Consules supplicio affectos esse. non tacuisset hoc Tacitus, Dio fusius explicasset: constatque, hunc Vitellium, Auli, qui imperavit, patrem, Caligulae & Claudii temporibus superstitem fuisse. vide Suetonium in Vitellio: & hic ipse Vitellius postea praefuit Syriae, ut infra dicetur.

Sunt qui adseverent mille quadringentos 61.] Ex Plinio, DCLX.

Interici] Fort. *in terris*. alii, *interjici*.

Sesîde primum] Legendum arbitror, *prioresque alites Sesostride primum*, &c. quod alii etiam notarunt.

Dein Ptolemaeo] Hic fuit Ptolemaeus Euergetes.

Tentatoque per longum iter] Id est, cum prius tentaverit. sic saepe historici loquuntur, Sallustius, Livius, & Tacitus noster.

Quem praefuisse Moesiae] Et Macedoniae. Dio, *Mysiae*. Octo autem annos ibi fuerat.

Mamercus dein Scaurus] Dio hunc vocat *M. Aemilium Scaurum*, sed male.

Tragoediae a Scauro scriptae] Inscribebatur illa Tragoedia *Atreus*. At Tiberius, *Ego*, inquit, *illum Ajacem efficiam*. Vide Dionem.

Ac tamen accusatores, si facultas incideret] Dio: τάς τε ἐπιβουλεύοντας τῆς κατηγορίας ἐπικειμένης, ἀποθανεῖν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀπείλων.

Is metu Germanici fidus Romanis] Quia Germanicus Artaxiae regium diadema imposuerat.

Dejuncto rege Artaxia] Qui antea *Zeno* vocabatur, regis Pontici Polemonis filius. supra lib 2.

Qui gazam a Vonone] Filio Phraatis, de quo ibidem dictum est.

Non despectum id apud barbaros] Xenophon lib. ζ. παιδείας, Claudianus in Eutropium.

Recuperandaeque Armeniae] Regio est Asiae ad Caucasum. Strabo lib. 2.

L. Vitellium praefecit] Eum ipsum qui proxime Consul fuerat.

Multo auro ad scelus cogunt] Ad interficiendum veneno Arsacen.

Adjungere Albanos] Hic vicini sunt Iberis.

Accipere Sarmatas] Asiaticos Tartaros. Europaei sunt Russi. In heptarchias divisam fuisse regionem illam, testatur etiam Strabo.

Qua tempestate Jason post avectam Medeam] De Argonautarum expeditione, totaque hac fabula, Apollonius, Val. Flaccus, & Ovidius, Seneca & Euripides legendi, & Apollodorus in Bibliotheca.

Sive id animal, seu navis insigne fuit] Sic de Minotauro, sic de tauro, qui Europam avexit, sic de equo Trojano fabulantur. vide Strabonem lib. 11. & de durateo equo Servium in 2. Aeneid.

Equestris proelii more] Sallustius: *More equestris proelii, sumptis tergis atque redditis.* Et in Jugurtha: *Quibus illi freti, non uti equestri proelio*, &c.

Frontis & tergi vices] vicissitudines. Exaudiendum autem verbum, *erant*.

Fama tamen occisi falso didita] Josephus lib. 10. vere occisum tradit.

Cum hic more Romano Suovetaurilia daret] Plutarchus de Lucullo: ἔθυσε δὲ καὶ τῷ Εὐφράτῃ ταῦρον διαβατήρια. Vox usitata Xenophonti, & Thucydidi. Livius lib 1. *Censu perfecto, quem maturaverat*, &c. Dionysius lib. 4. eadem de re: καθαρμὸν αὐτῶν ἐποιήσατο ταύρῳ, καὶ κριῷ, καὶ τράγῳ. lego κάπρῳ. Et addit, durare ad suam usque aetatem. Asconius in Divinat. *Iidem completo quinquennio Urbem lustrabant, & Solitaurilia sacrificia*: (lego, *Suovetaurilia*) *de sue, ove, tauro faciebant* Tacitus lib 4. Annalium ab excessu Neronis: *Tum Helvidius Priscus Praetor, praeeunte Plauto Aeliano Pontifice, lustrata bove*, (lego, *sue, ove*) *taurisque area, & super cespitem redditis extis.*

Poppaeus Sabaeus concessit vita] Dio: ἤδη σφαγῇ ἀπήγαγε, πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν. Lipsius, *sponte, non fato.* Non sequor.

Maximisque provinciis per quatuor & XX. annos] At Tiberius XXIII. tantum annos imperavit Praeterea his ipsis provinciis Pomponius Labeo sub Tiberio octo annos praefuerat, ut paullo ante in hoc libro vidimus. Quare de hoc loco amplius cogitandum censeo. Dio ait, toto prope Tiberii principatu.

In ipsa curia depromptum] Dio: ἐν δακτυλίῳ φορήσας.

Galba tristibus Caesaris litteris] Frater Servii, qui postea imperavit.

Quam juveni Druso nuptam retuli] In iis libris, qui perierunt.

Intestabilis] Ἄτιμος.

Scytharum natio] Legendum, *Clitarum*, quae gens in Cilicia.

Arche-

Archelao subjecta] Filio ejus Archelai, qui rex Cappadocum evocatus Romam litteris Tiberii, ibi mortuus erat, C. Coelio, L. Pomponio Cosf. ut vidimus lib. 2. Ejus regnum in formam provinciae redactum erat, Tiberio Caesare III. Germanico II. Cosf.

Nicephorium] Alio nomine *Constantina*, prope Edessam urbs. Stephanus.

Anthemusida] Sic & Apollonius appellat. Est urbs Syriae.

Conditoris Seleuci retinens] Seleuci Nicanoris. prius vocabatur *Olbia*, & *Hyria*.

☞ *Spernuntur*] Puto legendum, *spernitur*. & ita habet Gryphii editio.

Nam populi imperium juxta libertatem] Thucyd. lib. 3. in orat. Theb. ἡμῶν μὲν γὰρ ἡ πόλις τότε ἐτύγχανεν, οὔτε κατ' ὀλιγαρχίαν &c. Sic & Demosthenes ait: natura inimica esse democratiam, & tyrannida.

Atque interim Ctesiphon] Apud Assyrios duae civitates maximae erant, *Seleucia*, & *Ctesiphon*, ut Procopius lib. 2. de bello Persico testatur. At Ctesiphonte reges hibernare consueverant. Strabo.

Inluvie obsitus, & *alimenta arcu expediens*] Ut Philoctetes apud poëtam, *configens tardus celeres stans volantes*.

Quantum Scytharum auxilio] *Quam dum*, puto legi oportere.

Idem annus gravi igne urbem] Prope eodem tempore Tiberis ita abundavit, ut per plana urbis navigatum sit. Dio. Frequens olim Urbi utrumque malum, inundatio, & incendium.

Exsolutis domuum, & *insularum pretiis*] Suetonius hoc factum esse ait, cum mons Coelius conflagravit, de quo dictum lib. 4.

Eaque perfecta] Suetonius imperfecta relicta esse scribit.

Cn. Domitius] Pater Neronis, qui postea imperavit, ex Agrippina, Germanici filia. Sueton.

Post mortem Claudiae] Juniae Claudillae, M. Silani, viri nobilissimi, filiae. Suetonius, & hic supra, hoc ipso libro.

Dum dominationis apisceretur] Liber vetus, *papisceretur*. Lego, *dominationis sp. apisceretur*, hoc est, spem apisceretur.

Sanguine & caritate propior] Oberat etiam matris impudicitia.

In patientia] Legendum, *impatientia*.

Qua pridem repudiata assentationibus] Vide quae in Variis scribimus lib. 1. cap. 12. & Gul. Canterum lib. 6. cap. 2.

Sic Tiberius finivit, octavo & LXX. aet. anno] Plinius vixisse illum ait annos septuaginta octo menses quatuor. Dio septuaginta septem annos, quatuor menses, & novem dies.



M. A N.

M. A. MURETI
NOTAE (*)
IN
TACITUM.

(*) Has Notas & Variantes, ex Mureti exemplo descriptas, suis in eundem scriptorem Notis inseruit Valens Acidalius.

M. A. MURETI NOTAE IN TACITUM.

IN ANNAL. I.

3. *destinare consules*] *designari consules.*
6. *quandocunque*] *quandoque.*
7. *posuit*] *proposuit.*
9. *ut interfectores*] *dum interfectores.*
10. *qui fecere*] *qui cepere.*
deterrima] *deterrimi.*
14. *in his, quae*] *in iis, quae.*
16. *aut gaudium*] Hae voces delendae.
delapsis] *dilapsis.*
20. *immitior*] *immitis.*
22. *ii sepeliant*] *hi sepeliant.*
27. *occurreret*] *occurrerat.*
28. *expostulantur*] *postulantur.*
32. *exemerat*] *exuerat.*
35. *incedentes*] *accedentes.*
36. *republica*] *respublica.*
41. *quod tam triste?*] *quod spectaculum tam triste?* Sic P. Danesius.
47. *ac ne*] *ac* delendum.
48. *caussas & merita*] *caussarum merita.*
55. *& repentino*] *&* delendum.
saepe alias] *& saepe alias.*
63. *ut opus & alii*] *ut per opus alii.*
72. *dictans*] *dictitans.*
74. *poenitentia patiens, tulit*] *tanto patientius tulit.*

IN ANNAL. II.

2. *majoribus*] *moribus.*
armorum] Haec vox delenda.
6. *augebantur*] *agebantur.*
9. *tum permissum*] *tum* dele.
14. *viditque se*] *vidit se.*
15. *tergum*] *terga.*
17. *rupturus*] *erupturus.*
20. *ex victoria*] *in victoria.*
26. *consultum est*] *consultum esset.*
32. *& Papius*] *&* dele.
40. *servum suum*] *suum* dele.
dilegit] *deligit.*
47. *Mosceni*] *Mosyeni,*
48. *nisi cum*] *nisi quam.*
50. *secus*] *sequius.*
Aréo] *Areo.*
57. *postea rarus*] *post quae rarus.*
69. *parietibus*] *parietinis.*
79. *praedixisset*] *prodixisset.*
80. *militum, inde*] *militum vis, inde.*
85. *marito, cur*] *marito ratio, cur.*

IN ANNAL. III.

6. *imperatori populoque modicis*] *imperatori, populoque, quae modicis.*
11. *postquam*] *post quae.*
12. *non principis*] *non vi principis.*
14. *arguentes*] Post hoc verbum pone: *quod haud minus Tiberius, quam Piso abnüere.*
interrogationibus exquirit] *interrogationibus ex filio quaerit.*
22. *voluerat*] *voluerant.*
24. *illustrium domuum adversa*] Sic legendum.
28. *inditi custodes, & lege P. P. praemiis inducti visi*] *indicia, custodes, etiam lege P. P. pr. inducti, ut si.*
29. *Ac tamen*] *Haec tamen.*
33. *ante repetito*] *alte repetito.*
34. *Multa duritie veterum melius*] *Multa a duritie veterum in melius.*

38. *Odrysaeque, & alii*] *Odrysae, Set alii.*
43. *aperta consensione*] *aperte consensione.*
47. *quia non metu ducatur*] Muretus e regione harum vocum stellulam adpinxerat. *Acidal.*
55. *verum R.*] *imperium.*
57. *privatisve*] *privalisque.*
58. *aemulatione*] *aemulationi.*
59. *tum maxime*] *cum maxime.*
62. *sed Aphrodis.*] *sed* delendum.
63. *rege uti*] *rege niti.*
72. *tanta vis unum intra*] *tanta vis ignium intra.*

IN ANNAL. IV.

3. *prolationis, diversa*] *prolatio diversa.*
5. *ab Syria*] *ab Syriae.*
27. *coeptantem tum maxime*] *coeptam tum maxime.*
28. *nomen viri Q. Vibius Serenus*] *nomen utrique Vibius Serenus.*
falsa exterritum] *falso exterritum.*
30. *intercessit, Gallus Asinius, Gyaro aut Donusa claud. censere*] *intercessit, cum Gall. Asin. G. a. D. claud. censeret.*
33. *neque alia rerum, quam si unus*] *atque alea rerum, cum sis unus.*
ut animus ex prop.] *ut nimis ex prop.*
34. *Namque spreta exolescunt*] *Nam quae spreta exolescunt.*
41. *non tam*] *non jam.*
vera potentia augere] *veram potentiam augere.*
42. *contantem*] *nutantem.*
51. *sponte inimicorum*] *sponte incolarum.*
52. *sed imaginem*] *se imaginem.*
53. *in civitate, Germanici*] *in civitate, qui Germanici.*
56. *Lepidus ipse*] *Lepidus* dele.
59. *judicis*] *indicis.*
65. *ductavisset*] *tulisset.*
66. *adversum casum*] *adversis casuum.*
68. *facere*] *fecêre.*
69. *quando moesta*] *quanto moesta.*
70. *quo intendisset oculos, quo verba acciderent*] *quoqua intendisset oculos, quoquo verba accid.*
71. *aperirentur*] *opperiretur.*

IN ANNAL. V.

3. *festisque*] *faustisque.*
10. *per dolumque comitantibus*] *per dolum comitantibus.*

IN ANNAL. VI.

3. *dicta*] *edicta.*
4. *acrius, juxta invisi*] *ac reus, juxta invisi.*
5. *pleraque C. Caesarem*] *pleraque in C. Caesarem.*
6. *firmare*] *adfirmare.*
7. *quid repens*] *quid recens.*
10. *Qua occup.*] *quia occup.*
11. *Dentrem Romulium*] *Dentrem Livium.*
14. *Janus*] Suspectum.
15. *coeptas*] *susceptas.*
16. *versura*] *usura.*
19. *aurariasque ejus*] *aurarias ejus.*
23. *descriptum*] *praescriptum.*
30. *severitate*] *severitatis.*
32. *tardari metu, modo*] *modo tardari metu, modo.*
34. *ac saepe, modum*] *ac saepe, in modum.*
35. *modo equestris*] *modo equites tres.*
41. *quae Macedonibus*] *quae a Maecedonibus.*
51. *intestabilis saevitia*] *inde stabilis saevitia.*

IN ANNAL. XI.

4. *addere reos*] *agere reos.*
gravitatem] *caritatem.*
8. *praeparaverat*] *properaverat.*
9. *fratri*] *patri.*
10. *& reciperare Armeniam, ni Vibio*] *& reciperarat Armeniam, ni a Vibio.*
paucos inter senum regum] *paucis inferiorum regum.*
12. *Syllanam*] *Silanam.*
16. *parentes*] *parentem.*
18. *jacta*] *jactata.*
20. *otium exueret*] *otio insuesceret.*
qui in] *quia in.*
24. *viros*] Latet nomen familiae.
27. *noctem denique*] *noctem diemque.*

29. *eo tempore*] *in tempore.*
31. *sacrificantes vel*] Has voces dele.

IN ANNAL. XII.

1. *intonanti*] *intoleranti.*
promptus] *pronus.*
2. *familiam*] *filiam.*
3. *indita*] *indicta.*
7. *rogare*] *orare.*
9. *inducunt*] *inducit.*
quis ob acc. Mess. ultio ex filio timebatur] *qui sub acc. Mess. vitrico & filio timebantur.*
11. *tanto tolerantiora*] *tanto taetriora.*
ut externis quoque gentibus &c.] *ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum posthaec C. Cassio* &c. deleto verbo *jubet.*
12. *occipiebat*] *occupata.*
25. *praescriptum*] *perscriptum.*
27. Cattorum] *Caucorum.*
delapsis] *dilapsis.*
29. *Jubillius*] Veteres libri, *Vibellius.*
31. *Antonam & Sabrinam, fluvios*] *Antona & Sabrina, fluviis.*
37. *Nam si vos*] *Non si vos.*
38. *ni cito vicis*] *ni cito e vicis.*
occidione occubuissent] *occidione occidissent.*
46. *accelerare*] *celerare.*
49. *ignavi animi*] *ignavo animi.*
52. *extinctus esset*] Haec verba dele.
56. *attamen*] *ac tantum.*
57. *ima vel*] Has voces dele.
58. *vetera facunde exsecutus*] *verum facunde exsecutus.*
62. *merita*] Dele.
65. *ac novercae*] *at novercae.*
68 *attentaret*] *adventaret.*

IN ANNAL. XIII.

1. *ad m. agitur*] *ad m. adigitur.*
6. *si ducem am. inv. egregium, quam si pecuniosum*] *& si ducem am. inv. egregium, an pecuniosum.*

7. amnem

7. *amnem Euphr.*] Dele *amnem.*
8. *cohortibus alisque, quae ap.*] *cohortibus aliis, quae ap.*
9. *ex aequo modo*] *ex aequo, ex commodo.*
Vinidio] *Vindicio.*
forte priore de caussa] *forte prior ea de caussa.*
10. *equester*] *eques R.*
11. *Senecaeque permitteret*] *seque Senecae permitteret.*
velaverat] *celaverat.*
14. *inde vilis rursus Burrhus*] *inde debilis Burrhus.*
16. *Britannicus*] Dele.
19. *conjugioque ejus etiam imperio*] *conjugioque ejus etiam petito.*
25. *acciperet ictus, & ore praeferret*] *acciperet ictus, & ferret.*
finerent] *fererent.*
inferebant] *inferrent.*
26. *vi an aeque cum patronis* &c.] *ut nec an aeque cum patronis jure agerent, sed jam coram insultarent, an verberibus manus ultro intenderent, impune, vel poena sua gaudentes.*
ac crim.] *at crim.*
27. *derogent*] *derogarent.*
28. *Comprobavere*] *Non probavere.*
30. *Aminius Rebius*] *Caninius Rebilius.*
31. *repertum*] Dele.
32. *Lusius Varius*] *L. Varius.*
nuntiavit] *pronuntiavit.*
36. *Pactio*] *P. Attio.*
Pactium] *P. Attium.*
37. *vertebantur*] *vertebant.*
saepius clade] *saepius jam clade.*
38. *in summa pacis*] *in summam*, deleto *pacis.*
intellectu] *intellecta.*
39. *Isteo*] *Atteio.*
40. *pedes sagittarius*] *pedes sagittariusque.*
45. *T. Ollio*] *T. Aelio.*
46. *Sed accepto aditu*] Muretus videtur voluisse, (nam scriptura non plane liquet) *sed hoc coepta aditu.* Acidal.
49. *Quae si summa*] *Quod si summa.*
50. *sequens*] *sequi.*
societates] *necessitates.*
etiam populi R. tum] *etiam tum populi R.*

erogationum] *irrogationum.*

53. *tres & sexaginta*] *tres & quadraginta.*
Aetius Gracilis] *A. Gracchus.*

57. *cluvie maris arescente unda, sed super*] *eluvie maris, sed unda maris super.*

IN ANNAL. XIV.

4. *pervectam*] *provectam.*
blandimentum] *blandimentis.*
explenda simulatione] *explenda e simulatione.*

5. *visum dehinc*] *jussum dehinc.*

11. *luisse eam poenam conscientia, qua sc.*] *luisse eam poenam conscientiam, quod sc.*
ac postea quam frustra oblata sint] Muretus voluisse videtur, *hinc postquam frustra habita sit*. videtur, inquam: nam scriptura mihi non liquebat in *hinc* & *sit*. Acidal.

13. *qua inced*] *quaqua inced.*

14. *evulgatus*] *vulgatus.*

15. *assistentibus familiaribus*] *assistentibus sonascis.*
accesserat cohors] *accesserat & cohors.*
in spe] Dele *in.*
hi dies] *hi* delendum.

20. *theatro*] *ne theatro.*
quoties P. R. sederet] *quoties praetores ederent.*
everti] Delendum.

22. *celebratur*] *celebrabatur.*

25. *clauserat*] *clausa erat.*

29. *testamenti*] Dele.
breve litus] Vocem *litus* dele.

32. *visamque speciem* &c.] *visamque speciem moestam subversae coloniae.*

33. *tanquam reddituri supplicium, ac praecepta*] *tanquam redemturis supplicium, ac praeterita.*

35. *sed tunc*] *sed se tunc.*

39. *tanquam d. b.*] *quanquam d. b.*

40. *ejus propinquus*] *ei propinquus.*

44. *multa sceleris* &c.] Distingue: *Multa sceleris indicia praeveniunt. Servi si pr.*

48. *quaesivit*] *quaereret.*
quin insula] *in insula.*

eo privatim miserior] eo privatim miseriorem.
50. qui multa] quod multa.
Talius] T. Allius.
51. quod in se tumescentibus] quod intumescentibus.
& adulteria] & ad ultimum.
pro gentis majoribus] pro gente & moribus.
52. illudere voces] illudere vocem.
55. attamen] ac tamen.
56. me Claudio praeponis] mihi Claudium praeponis.
inornatum] innatum.
58. Haec in ore famae, credentium otio agebantur] Haec more famae praesentium odio augebantur.
otium, suffugium] hostium suffugio.
59. maturare parat] maturare paras.
sed ad Sen.] sed & ad Sen.
60. Nero poenitentia flagitii conjugem] poenitentia flagitii Nero conjugem.
61. repetitum venerantium] Haec lineola subduxerat Muretus. Acidal.
62. eluserat] illusum erat.
64. ac puella] at puella.
communeque Germanici] communesque Germanicos.

IN ANNAL. XV.

2. haud modice] aut modice.
5. Casperius] C. Asperius.
7. patrata & magnifica extoll.] patrata magnifice extoll.
10. quo transitum] quae transitum.
12. comitabantur] comitabatur.
15. experientis] expedientis.
decederet] excederet.
18. frumentum plebis] frumentum publicum.
23. Atticae rel.] Antilanae rel.
34. in contumelias] inter contumelias.
35. appellet, nomina] appellaret, omnia.
36. imaginationibus] machinationibus.
necessitudinibus] necessitatibus.
37. quas Tigellino] quas a Tigellino.
40. redibat Levis rursum grassatus] satis credebatur, cum rursum gr.
44. humani generis] Dele humani.

45. *ardente domo*] *aurea e domo.*
52. *a libertate*] *ad libertatem.*
55 *se pariter indicem* &c.] His Muretus ſtellulam appinxerat. *Acidal.*
57 *carissima quaeque*] *carissima quisque.*
62. *tum constantis*] *tum constantis.*
63. *mollitus*] *molitus.*
64. *amicitiae*] *& amicitiae.*
69. *celebrat*] *celebrabat.*
72. *ap. palatium effig. eorum quoque*] *ap. palatium quoque effig. eorum s.*
74. *venerationem hominum*] *venerationem numinum.*

IN ANNAL. XVI.

2. *asſererentur*] *afferrentur,*
5. *longas prov.*] *longinquas prov.*
7. *recordantibus*] *recondentibus.*
9. *ſed non permittere*] *ſe vero permittere,*
21. *egresſus eſt*] *egresſus esſet.*
28. *ſummam reip.*] *ſummam remp.*

IN HISTORIAR. I.

Ex vetere libro conſtat, principio hujus libri quaedam deſiderari.
1. *adverſeris*] *adverſeris.*
profesſis nec amore] *profesſo nec cum amore.*
2. *cohorte in Sarmatarum*] *coorte in nos Sarmatarum.*
agerent, ferrent cuncta &c.] Diſtingue: *agerent, ferrent cuncta odio & terrore.* Corrupti in dom.
5. *coaſpernantes*] *aſpernantes.*
6. *tanquam innocentes*] *tanquam nocentes.*
8. *pacis artibus*] His vocibus Muretus ſtellulam appoſuerat. *Acidal.*
etiam qui queri] *etiamſi queri.*
12. *eodem actu*] Hae voces delendae.
13. *rebus minoribus*] Muretus *in* addi voluerat, ceterum vocem *minoribus* ſtigmate notaverat. *Acidal.*
14. *arcerſiri*] *accesſi.*
tradiderunt] *crediderunt.*
20. *erga aliena*] Dele *erga.*

27. *gladiis*] *gaudiis.*

34. *mixtis jam Oth.*] *mixtis etiam Oth.*

36. *caveri*] *cavere.*

complecti armis] *complecti artius.*

37. *aperire*] *aperiri.*

41 *agerent*] *hoc agerent.*

43. *insignem illa die virum* &c.] *insignem illa die virum & senem trucidare pergunt, disjecta plebe Sempronium Densum, quem aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohorti ac Galbae custodiae a Pisone additus.*

44. *munimentum ad praesens, in posterum ultionem*] *munimentum in posterum, ad praesens ultionem.*

47 *tot offensas*] *tot* delendum.

strages] *stragem.*

51. *diuque infructuosam*] *diu infructuosam.*

52. *ita comitatem*] Dele *ita.*

& profusa] *sed profusa.*

57. *quibus praesentia ex affluentia*] *quibus ex praesenti affluentia.*

63. *tendebantur*] *tendebant.*

64. *solitis ibi*] *solitis sibi.*

66. *& stupris*] Dele *&.*

71. *intra intimos*] *inter intimos.*

72. *quia velocius*] *qua velocius.*

unde nulla inn. cura, sed vitae] Delendae voces *unde & vitae.*

78. *vetandi metu vel cognoscendi*] *vitandi metum, & agnoscendi.*

79. *ex ferocia & successu*] *& ferocia, & successu.*

ibi saevitia, hic miseria valuerum] *ibi saevitia hyemis, & vi vulnerum.*

80. *colonia*] *e colonia.*

83. *sed veni postulaturus*] *veni, sed postulaturus.*

85. *& oratio*] *ea oratio.*

animum vultumque conversi] *animo vultuque conversi.*

ac parum] *aut parum.*

86 *immoto die*] Dele *die.*

87. *invitatus*] Delendum.

90. *festinatu exactione*] *festinata jam pridem exactione.*

IN HISTORIAR. II.

1. *omnium*] *ominum.*
4. *Titus aucto* &c.] *Titus aucto animo ad patrem pervectus. Suspensis provinciarum.*
7. *placuit exspectari* &c.] *placuit exspectari, in victores victosque n. s. f. coalescere*, deleta voce *bellum.*
12. *victus*] *vinctus.*
12. *Tungrorum*] *Turingorum.*
15. *Tungrarum*] *Turingarum.*
17. *quem contra Plac.*] *quem repente contra Plac.*
18. *providentiam ducis laudantibus.*] Haec verba Muretus subduxerat. *Acidal.*
qui pro Oth.] *quin pro Oth.*
21. *a quibusdam vicinis* &c.] *a quibusdam e vicinis coloniis, invidia & aemulatione.*
26. *perculsis n. r. s. foret*] *& perculsis n. r. f. fore.*
27. *perinde damnum*] *perinde id damnum.*
41. *accurrentium, clamantium*] *acuentium, volantium.*
42. *an ipsa*] *an in ipsa.*
46. *praemissi Moesia*] *praemissi e Moesia.*
47. *Ne tempus* &c.] *Nec tempus computaveritis. Difficilius est.*
51. *domus portam*] *domus partem.*
54. *jussu Vitellii*] Has voces dele.
60. *& fidem absolvit*] *& ideo absolvit.*
62. *luxuriam*] *luxuriae.*
64. *evicta*] *evecta.*
73. *speculatores Syria*] *speculatores e Syria.*
74. *Alexander*] *Ti. Alexander.*
omnes exercitus insl. arrogantia] *omnis exercitus insl. ad arrogantiam.*
80. *laeta omnia*] *laeta omina.*
82. *donativa*] *donativum.*
84. *quod avidius*] *quo avidius.*
94. *convulsum*] *convulsumque.*
95. *faces*] *facem.*
98. *Mare quoque etesiae flabant. harum flatu*] *mare quoque etesiarum flatu.*

IN HISTORIAR. III.

2. *Vires*] Hanc vocem Muretus subduxerat lineola. *Acidal.*

4. *Ceterum ut transmitteret* &c.] *ceterum ut transmitteret in Italiam, inprimis ex usu id fore, scriptum Aponio, & una cum Moesico exercitu celeraret.*

7. *gens fidei commissae patientior*] *gens fidei commissi parentior.*

10. *rapiuntur arma* &c.] *rapiuntur arma, & ira militum in T. Ampium Flavianum ut proditorem incubuit.*

11. *fornacibus*] *fornicibus.*

12. *Vespasiano*] *a Vespasiano.*
Hadriam] *Acriam.*

13. *iisdem campis illis*] *iisdem illis campis.*

15. *belli luem*] *belli molem.*

19. *plano sitam*] *in plano sitam.*
clementiam & gloriam inania &c.] *clementiae gloriam inanem.*

22. *his, rursus illis*] *his, rursusque illis.*
pugnae signum] Dele *pugnae.*

25. *precabatur piatos patris*] *precabatur patris manes, ne se ut parricidam aversarentur.*

29. *balistam*] *molem.*
resisterent] *restiterant.*

31. *reverteretur*] *verteretur.*

32. *majorum opum specie*] *majore opum specie.*

33. *dominorum abdita*] *domorum abdita.*

37. *Rosfius*] *Rosius.*

38. *animadvertit*] *advertit.*

41. *ne in tanto discrimine quidem*] *ne in tanto quidem discrimine.*
deceris] *dedecoris.*
& paucis] Dele *&.*

50. *propinqua*] *propinquante.*

54. *perpulit ad*] *perpulit, ut ad.*
referret] *adferret.*

55. *secuta e classicis legio*] *secutae classicae legiones.*

56. *longe necubi feriri*] *longe quam ubi feriri.*

62. *dedecore*] *decore.*
lictorum] *locorum.*

64. *cruore foedare*] *cruore foedas*

IN HISTORIAR. IV.

2. *adversis abstractus*] *adversis in Gemonias abstractus.*
3. *& republica*] *de republica.*
22. *utramque*] Delendum.
33. *in suos*] Has voces dele.
39. *proponebatur*] *praeponebatur.*
42. *illa scientia*] *ista scientia.*
46. *lectus in eandem sp.*] *erectus in eandem sp.*
48. *petiero*] *repetiero.*
49. *in pace*] Dele *in.*
56. *Marsacosque*] *Morsaticosque.*
61. *arbitrentur*] *arbitrantur.*
68. *nequaquam egr.*] *nec quanquam egr.*
summam belli parum tolerare] *summa belli poterant tolerare.*
72. *qui vocem*] *qui* delendum.

IN HISTORIAR. V.

2. *ac mox*] Dele *ac.*
16. *attamen*] *ac tamen.*
17. *silentem*] *silentio.*
ut elicerent] *ut eluderent.*
20. *operatum*] *occupatum.*
22. *& quo plus*] *&* delendum.
25. *virtutes &*] Has voces dele.

IN GERMANIAM.

11. *pertractentur*] *protractentur.*
13. *vel principum aliquis* &c.] *vel principum aliquis, vel propinqui.*
principis] Delendum.
15. *ipsi habent miram diversitatem naturae*] *miram diversitatem naturae!* deletis illis, *ipsi habent.*
16. *abdita autem*] Dele *autem.*
17. *proximi ripae negligenter*] *proximi ripae, exquisitius; ulteriores, negligenter, ut qu.*
20. *donec aetas separet* &c.] *donec separat ingenuos virtus,* reliquis deletis.
32. *ferox bello & melior*] *ferox & bello melior.*

38. *innoxiae*] *innoxia.*
40. *Longobardos paucitas nobilitat*] *Longobardis paucitas nobilitas.*
42. *Quadisve*] *Quantisque.*
46 *procerum*] *ceterum.*

IN VITAM AGRICOLAE.

6. *nisi quod*] Dele *nisi.*
11. *positu contra Hispaniam*] *posita contra Hispania.*
19. *administrationibus potius*] *administrationibus praeponere potius.*
aequalitate] *aequitate.*
vendere pretio] *pendere pretium.*
24. *differunt: melius aditus portusque*] *differunt in melius. Aditus portusque.*
30. *famae*] *fama.*
atque omne ignotum pro magnifico est] Haec verba delenda.
31. *libertatem non in praesentiam laturi*] *in libertatem, non in P. R servitium nati.*
32. *discessionibus*] *dissensionibus.*
vitia hostium] *vitia nostra.*
33. *& vota virtusque*] *en vota virtusque.*
36. *tolerabant*] *tolerant.*
tractis] *fractis.*
hostium agminibus] *nostrorum agminibus.*
40. *addique*] *additque.*
42. *in nullum rei post usum*] *in nullum reip. usum.*
43. *oblitus est*] Dele *est.*
principatus] *principis.*
46. *militum decoramus*] *imitatione virtutum colamus*, deleta voce *temporalibus.*
famamque ac fig.] *formamque ac fig.*

IN DIALOG. DE ORATORIBUS.

1. *vel easdem*] Has voces dele.
3. *ut agnosces quae audisti*] *ut agnosces quid Maternus sibi debuerit*, deletis verbis, *quae audisti.*
aggregares] *aggregare.*
4. *cui desidiam advocamur*] *qui desii jam advocari.*

5. quo-

5. *quatenus arbitrium*] *quando te nunc arbitrum.*
sed & ipsum solum apud vos arguam] *sed ipsum solum apud te eo arguam.*
amittit] *omittit.*
vel in judicio] *sive in judicio.*
7. *tum abire*] *tum habere.*
- *quibus morum indoles est*] *quibus modo & indoles est.*
8. *spectanda haberemus*] *spectanda habemus.*
quam fastidiat] *quam qui fastidiat.*
10. *ingentes ex his assensus*] *ingentes existere assensus.*
11. *commoda*] *commendata.*
abundat] *abundabat.*
14. *viri optimi & temporum*] *viri optimi, & optimi temporum.*
15. *& pugnae*] *ei pugnae.*
18. *& quos utinam* &c.] *& quos utinam ne in illa parte imitatus esset Calvus vester.*
num dubit.] *numnam dubit.*
19. *dicendi via directa*] *directa dicendi via.*
aurium] *auditorum.*
imperitissimarum] *impeditissimarum.*
in cortina quisquam assistat, qui] *in corona quisquam assistat, quin.*
20. *sive in suis aliquis*] *sive sensus aliquis.*
21. *quique alios in eodem*] *quique alii in eodem.*
Asitium] *Ascitium.*
ipsos quoque nervos] *ipsosque nervos.*
viderimus, inquam, judicio] *viderimus, an judicio.*
22. *locosque laetiores*] *locos quoque laetiores.*
23. *in omnibus*] *in omnibus orationibus.*
24. *aliis vestris*] Dele *vestris.*
25. *ante C. annos*] *intra C. annos.*
sumseris, quamvis] *sumseris, sentias, quamvis.*
esse debeat] *esse debebat.*
28. *ab ista*] *ab illa.*
ac non studia] *haec non studia.*
31. *in deliberationibus* &c.] *in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.*
32. *etiam fateatur*] *esse fateatur.*
id se] *ait se.*
33. *tot reconditas*] *tot tam reconditas.*

35. *etsi tanquam*] Dele *etsi*.
36. *praemia magna etiam* &c.] *praemia & commoda, magna etiam necessitas accedebat.*
38. *quae etsi nunc aptior est* &c.] *quae etsi nunc aptior est, at certe eloquentia: tamen illud forum magis* &c.
39. *videtur*] *videbitur*.
40. *non de otiosa*] *non enim de otiosa.*
sed est magna] Dele *sed*.
formam eloquentiae.] *famam eloquentiae.*
41. *non queri, quam judicari*] *non fieri, quam vindicari.*



M. AN-

M. A. MURETI

IN

SALLUSTIUM

NOTAE,

ET

IN PROOEMIUM CONJURATIONIS

CATILINARIAE SCHOLIA.

M. A. MURETI IN SALLUSTIUM NOTAE, ET IN PROOEMIUM CONJURATIONIS CATILINARIAE SCHOLIA.

DE HISTORIA PROLEGOMENA.

Librum de conjuratione Catilinae explicare ingressus, quinque mihi capita initio tractanda suscepi.

Unum, quid Historia:
Alterum, quae historiae leges.
III. De suavitate & fructu historiarum.
IV. Quae praecipue observanda in Historiis legendis, & quomodo in eo a plerisque peccetur.

Postremo de Sallustio pauca dicam, nisi temporis angustiis exclusus, vela colligere cogar.

Primum itaque dicam de historiae legibus: tum de ipsius pulchritudine, suavitate, & fructu: deinde quae potissimum observare debeant, qui historias legunt. Addam de Sallustio quaedam: quibus expositis, librum de conjuratione Catilinae explicare ingrediar.

Historiae leges Cicero lib. 2. de oratore sub persona Antonii hisce verbis complexus est: *Nam quis nescit primam esse historiae legem*, &c. Haec Cicero. Prima igitur lex, ne mentiatur. ea bimembris est. Secunda, ut servetur ordo temporum. Tertia, ut adhibeantur, cum opus est, regionum descriptiones. Quarta, ut consilia, acta, eventa. Quinta, ut de consiliis, &c. Sexta, ut non tantum res gestae, sed etiam, &c. Septima, de genere dicendi. Nunc de singulis breviter explicabo.

De

De prima. Plato lib. 2. de Rep. duo genera narrationum facit; *historiam*, & *poësim*, *sive fabulam*. Cic. 1. de legibus, *in poëmate ad voluptatem pleraque referri*, ait, *in historia ad veritatem omnia*. & alibi, *veritatem, historiae animam esse.* Polybius quoque: *si quis*, inquit, *veritatem ex historia tollat, pulcherrimi eum corporis oculos effodere atque eruere, nervos succidere, ossa confringere; ipsam animam eripere, & solem quodam modo de mundo tollere.*

Hac in parte plerique Graecorum paulo liberiores fuere. Neque sine caussa dictum est a Juven. & *quidquid Graecia mendax Audet in historia.* Cic. quidem ait 1. de leg. apud Herodotum & apud Theopompum esse innumerabiles fabulas. sed & Ctesiae, & aliorum vanitas eodem modo culpatur. Plutarchus quidem de Herodoto ita scribit: τὰ ψεύσματα καὶ τὰ πλάσματα αὐτοῦ βουλομένοις διεξιέναι, πολλῶν ἂν βιβλίων δεήσειν. Thucydides quoque eum, etsi non nominet, acerbe tamen perstringit, ut λογογράφον, qui sectetur magis τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει, ἢ τὸ ἀληθέστερον. & scripta sua nonnullis ἀτερπέστερα visum iri διὰ τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν, sed sibi satis esse, si gravibus, & cordatis viris utilia judicentur. se enim instituere κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν. At de ipso Thucyd. Josephus lib. 1. adversus Apionem: πολλὰ δὲ καὶ Θουκυδίδης ὡς ψευδόμενος ὑπό τινων κατηγορεῖται· καίτοι δοκῶν ἀκριβέστατα τὴν καθ' αὑτὸν ἱστορίαν συγγράφειν. Seneca lib. 7. natur. quaest. cum quiddam de cometa ex Ephoro retulisset, idque refutare instituerer, ita scribit: *Nec magna molitione detrahenda est auctoritas Ephoro.* &c. Haec Seneca non tantum adversus Ephorum, sed adversus omnes historicos Graecos, ac quodammodo in omne historicorum genus. Sed ut idem urbanissime in ἀποκολοκυντώσει scribit: *Haec ita vera si quis quaesierit*, &c. Sunt qui Herodotum defendant, quod utatur verbis, φασὶ, λέγουσι, & similibus, & fidem penes auctores esse velit. sed hoc quoque defensionis genus eleganter illudit idem ille non gravis tantum, & severus, sed etiam, quoties collibuit, salsus, & aculeatus scriptor, Seneca lib. 4. natur. quaest. his verbis: *Quod Historici faciunt, & ipse faciam*, &c.

Latini majore quadam fide ac religione usi putantur, ut Sallustius, Livius, Tacitus. Flavius tamen Vopiscus non dubitanter affirmat, neminem scriptorem, quantum

ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum; ac gloriatur, ſe multa prodidiſſe, in quibus Livius, Salluſtius, Cornelius Tacitus, Trogus manifeſtis teſtibus convincerentur. Tertullianus quoque Cornelium Tacitum *mendaciorum loquacisſimum* vocat. Cauſſam, quae etiam communis eſt Tacito cum Plutarcho in Sympoſiacis, nos in oratione in Tacitum habita expoſuimus.

Sed tamen ſummo ſtudio vitandum eſt mendacium hiſtoriam ſcribenti. Ut enim medici ajunt arteriam aſperam nihil deglutire poſſe, ſed omnia rejicere quae in ipſam inciderunt, ita hiſtoria omne mendacium a ſe reſpuit ac repellit. Quare praeclare Lucianus ait bonum hiſtoriae ſcriptorem nihil a quoquam metuere, nihil ſperare debere, ſed plane liberum eſſe non tantum ab omni ſpe metuque, ſed etiam a gratia atque odio. alioqui enim faciet quod improbi judices ſolent, qui ſe gratia, aut muneribus corrumpi ſinunt: & tum ſpe praemii falſa confinget, tum vera metu periculi ſubticebit. Difficile tamen id eſſe, auctor eſt Plutarchus in Pericle: οὕτως ἔοικε πάντη χαλεπὸν εἶναι, &c. & Thucydides: ἐπιπόνως δὲ εὑρίσκετο, &c.

Ergo vetera ſcribentibus ſequendi optimi auctores. recentia, diligenter audiendi ii, qui & interfuerunt, & fide dignisſimi ſunt, & adhibendum judicium. Non tamen ſi quid falſi exciderit, tota hiſtoria rejicienda eſt. non enim cyathus unus aquae marinae totum Tiberim reddere amarum poteſt.

Saepe autem audivi multos quaerentes de concionibus directis, num quid eae corrumperent hiſtoriam. quidam eas in totum damnant: Pompejus Trogus, ut eſt ap[illegible] Juſtinum lib. 38. eas in Livio & Salluſtio reprehendebat. ſed eas ſi damnamus, eadem ſententia omnes propemodum hiſtoriae ſcriptores damnandi erunt, Herodotus, Thucydides. Xenophon, Halicarnaſſ. Livius, Salluſtius, Caeſar. Denique haud facile quemquam nobiliorem ſcriptorem hiſtoriae, qui ab illis perpetuo abſtinuerit, nominarim. Immo vero illa praecipue in parte ſe eorum nobilisſimus quisque jactat, & ingenium, judicium, eloquentiam oſtentat. & eis ſublatis non erit, cur hiſtoria Ciceroni opus maxime oratorium eſſe videatur. Immo vero delebitur omnis ex hiſtoria pulchritudo. Mihi praeclare munere ſuo fungi videtur hiſtoriae ſcriptor,

qui

qui hac in re praestat id quod Thucydides se praestitisse dicit. Cujus haec verba sunt: ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον, ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν, &c.

Atque haec dicta sint de veritate, cujus prima cura historiam scribenti esse debet.

II. Lex est, ut servetur ordo temporum. non enim historicis, & poëtis idem permittitur.

III. Ut adhibeantur, cum opus est, regionum descriptiones. quales multae apud Caesarem, Livium, Polybium, ceteros: Africae apud Sallustium in bello Jugurt. sine illis caeca quodammodo historia est.

IV. Ut consilia, acta, eventa exponantur.

V. Ut de consiliis interponat scriptor judicium suum. quod saepissime Thucydides, Xenophon, & Polybius faciunt, & propterea Lucianus ait in historiarum scriptore requiri non tantum δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, sed etiam σύνεσιν πολιτικήν Qui hoc adimunt historico, actuarium quendam aut scribam esse historicum volunt.

VI. Ut notet historicus in eventis quid casu, quid sapientia, quid temeritate evenerit. Multa enim stulte cogitata casus in melius vertit. unde dictum est, ταὐτόματον ἡμῶν καλλίω βουλεύεται, id est, *fortuna quam nos, saepe melius consulit.* Cic. lib. 1. Att. ep. 9. & Victor. lib. 35. Variar. cap. 24. & quando brevitati consulendum est, quid hoc valeat, optime intelligetis e tribus libellis Plutarchi, uno περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης, duobus autem περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς.

VII. Ut non tantum res gestae, sed etiam forma, atque natura. Sic Thucyd. Periclis, sic Xenophon Clearchi, & aliorum, sic Sallustius Catilinae, Catonis, Caesaris.

VIII. Ut genere dicendi utatur tracto & fluenti, id est, ut Aristoteles loquitur, εἰρομένῃ, non κατεστραμμένῃ. Hac de re vix quidquam crediderim certo statui posse, ita sunt inter se dissimiles, ac diversi, qui historiis scribendis excelluerunt. Quid enim tam dissimile, quam Sallustius, aut Tacitus Livio? aut apud Graecos Herodotus, ac Xenophon Thucydidi, aut Polybio? sed hac de re paucis disputari non potest. & erit aliud tempus de ea copiosius disserendi.

Tria supersunt, de quibus me dicturum esse promisi. Unum de laudibus historiae. Alterum de iis quae praeci-

pue observanda putarem in historiae lectione versantibus; Tertium de Sallustio ipso. nunc, ut quod promiseram praestem, tria reliqua breviter, ac perspicue tractare conabor.

I. Quanta igitur sit in historiarum lectione suavitas; vel ex eo cognosci potest, quod nihil suavius est, quam citissime, & sine labore discere: ut ait Aristoteles 3. Rhetor. Id autem ex omni genere scriptorum maxime praestat historia. (Ostendi hoc breviter potest aliorum comparatione scriptorum) Atque hoc naturale esse vel e puerulis cognoscitur, qui nulla re magis, quam fabellarum auditione capiuntur. Neque vero haec cupiditas, ut pleraeque aliae eorum, quibus pueriles animi commoventur, aetate minuitur, sed aetatis progressu magis magisque confirmari solet. Cumque aliis rebus adolescentia, aliis senectus oblectari soleat: alia viros, alia mulieres studia teneant: cum, quae vulgo placent, eruditis fere displiceant: quae gravibus, & severis probantur, ea hilares, ac remissi fere aversentur, ac fugiant: neminem reperias, nisi plane stupidum & sensus communis expertem, quin se legendis, audiendis, cognoscendis historiis eximiam quandam voluptatem percipere fateatur. Ita quod summus poëtarum Latinorum dixit: *trahit sua quemque voluptas*, cum aliis in rebus verissimum sit, in hac nutare quodammodo videtur: cum & sexus, & aetas, & ingeniorum varietas omnis in historiae suavitate, ac jucunditate consentiat. Vidit hoc Homerus, qui, cum Sirenas quasdam fecisset in freto Siculo, quae ad se vel invitos traherent omnes eos, qui praeternavigarent, non tam blando vocis sono, & modulatis numerosisque cantiunculis id fieri solitum ostendit, quam quod illae omnem se historiam tenere, eamque iis, qui cursum ad se convertissent, tradituras esse profiterentur. Versus certe, quibus Ulixem ad se allicere conantur, hoc indicant: quos ita Cicero expressit (lib. 5. de finibus.) O *decus Argolicum*, &c.

Quod igitur philtrum habere poterant, in quo inesset tanta vis ac potestas ad homines inescandos, nemo ut effugeret? Nam si nihil aliud fuisset, nisi mollis, & sonora vox: certe multos graves viros reperiemus, qui omnem ejus generis voluptatem facile contemnant ac respuant. Aliud quippiam fuisse oportet, quo omnes sine

nullo discrimine caperentur. Quid igitur est? *Nos grave certamen belli*, &c.

Videtis, ut sapientissimus poëta nullam esse ad homines retinendos majorem aut efficaciorem historia illecebram senserit? Quanta cum voluptate audire solemus eos, qui multas regiones lustrarunt, multorum populorum mores & instituta cognoverunt, multis magnisque negotiis interfuerunt, de rebus a se visis, auditis, cognitis, verba facientes? Ut interdum nos ab eorum ore pendentes cibi potionisque capiat oblivio. Quomodo apud Homerum Ulixes, apud Virgil. Aeneas in Didonis convivio audiuntur? At ejusmodi voluptates omnis historiae pars copiosissime abundantissimeque suppeditat. Cumque reliqui scriptores, nisi aliquo orationis lenocinio blandiantur, aut ne attingi quidem, aut cito de manibus deponi soleant, certe quidem satietatem, & languorem, ac lassitudinem afferant: historia, praecipue illa quidem, si ornate ac luculenter scripta sit: sed tamen, ut verissime ait Plinius Junior, *quoquo modo scripta delectat*. Tenentur manibus studiosorum hominum, & leguntur avidissime ex Graecis quidem non illi modo principes, Herodotus, Thucydides, Xenophon, quos praeter rerum gravitatem, summa sapientia, & summa eloquentia commendat: aut illi primis proximi, Dionysius Halicarnasseus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus, (quem alterum Xenophontem esse dixerunt) Josephus, qui Graecae orationis cultu & elegantia, homo Judaeus, Graecorum praestantissimos provocat: sed & alii multo deterioris notae, Appianus, Dio Coccejus, & horum suppares: etiamque alii, qui nihil ornatus ad rerum explicationem adhibuerunt, Joannes Zonaras, Nicephorus Callistus, Nicephorus Gregoras, Laonicus Chalcondylas, Georgius Cedrenus, aliique his ipsis, quos modo nominavi, minus etiam eruditi, & minus ornati. Ex Latinis autem florent quidem maxime Sallustius, Livius, Caesar, & is, quem ego Latinum Thucydidem vocare soleo, Tacitus: legimus tamen & Suetonium, & Curtium, & Justinum, & ferreum scriptorem, Ammianum Marcellinum, & inquinatos plane, ac sordidos narratores, Capitolinum, Lampridium, Vopiscum, Trebellium Pollionem, & alios, quos, si quid aliud, quam historiam scripsissent, nemo prorsus attingeret. Nunc tantum pot-

est

est historiae suavitas, ut eorum quoque ineptias devoremus ac concoquamus. Ut enim aliorum quorundam vitiorum semina in omnibus hominibus innata & ingenerata sunt, ita & curiositatis. Neque fere quenquam videas, qui non ita cupidus sit cognoscendi aliena consilia, ac negotia, ut interdum etiam suorum obliviscatur. Vitiosa res, fateor, & molesta, & odiosa. sed tamen, quando evelli radicitus ex animo vix potest, ineamus aliquam rationem, qua, & huic cupiditati indulgeamus, & id sine cujusquam querela, aut reprehensione faciamus. Inquiramus anxie ac sollicite in omnia, & dicta, & facta veterum: demus operam, ut omnia eorum consilia penitus pernoscamus: ita & explebimus, atque exsatiabimus illud πολυπραγμοσύνης ἐξύπνιον, & id non modo sine injuria, verum etiam maxima nostra cum voluptate, & aliorum laude ac commendatione faciemus.

De voluptate, quae ex historia capitur, satis multa dicta sunt: nunc de utilitate dicendum est. In quo illud primum considerandum est: eos qui historiae cognitione destituti sunt, puerorum similes videri. Praeclare enim Cicero: *Nescire quid gestum sit, antequam tu nascereris, hoc est, semper puerum esse.* Narrat Plato in Timaeo Solonem, cum multa audivisset de sacerdotum Aegyptiorum sapientia, ad eos discendi caussa profectum esse. cum autem de rebus antiquis cum uno eorum colloqui exorsus esset; & animadvertisset senex Aegyptius ea pro vetustissimis a Solone haberi, quibus alia longe antiquiora ipsi tenerent, ita eum alloquutus dicitur: Ὦ Σόλων, Σόλων. Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε· γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. & paulo post: Νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες. οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι᾽ ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. Ut ergo, si quis triginta aut quadraginta annos natus, puerili esset aspectu, ac figura corporis, deformis ac ridiculus haberetur: ita nihil turpius, aut ad res gerendas inutilius, quam cum aetate processeris, animo tamen atque ingenio semper esse puerili. Contra vero in senibus commendatur prudentia. Illa vero historiis legendis aeque bene comparatur, melius etiam, quam libris, ac praeceptis philosophorum. nam prudentia exemplis magis, quam praeceptis continetur. Itaque Panaetius Scipionem hortabatur, & ipse Scipio nunquam fere Cyri Paediam de manibus deponebat.

35. *etsi tanquam*] Dele *etsi*.
36. *praemia magna etiam* &c.] *praemia & commoda, magna etiam necessitas accedebat.*
38. *quae etsi nunc aptior est* &c.] *quae etsi nunc aptior est, ut certe eloquentia: tamen illud forum magis* &c.
39. *videtur*] *videbitur.*
40. *non de otiosa*] *non enim de otiosa.*
sed est magna] Dele *sed.*
formam eloquentiae] *famam eloquentiae.*
41. *non queri, quam judicari*] *non fieri, quam vindicari.*



M. AN-

M. A. MURETI

IN

SALLUSTIUM

NOTAE,

ET

IN PROOEMIUM CONJURATIONIS CATILINARIAE SCHOLIA.

ram, at in Aeneid. *Centum Urbes habitant magnas.* Idem: *Turrim in praecipiti stantem.* Idem: *& incertam excussit cervice securim.* Idem lib. 10. *Tris quoque Threicios Boreae de gente suprema, Et tris quos Idas pater, & patria Ismara mittit.* Talia sunt: *Haec finis Priami fatorum.* & alio loco: *Quem das finem rex magne laborum?* Ennius: *Capitibus nutantes pinos, rectosque cupressos.* Idem: *aere fulva.* Pindarus, ἐρήμας δι' αἰθέρος. Sed & ἀὴρ & αἰθὴρ Homerus innumerabilibus locis feminino genere extulit. Quae exempla ego quoque imitatus olim, ausus sum *vastam aethera* dicere in ode quadam ad Fr. Turnonium Cardinalem:

An tanta me vate in tenebras eat
Indicta Virtus? non ita me pater
Argenteo praesignis arcu
Edocuit Patareus Apollo.
Ventura non te saecula nescient:
Nec fama circum limitibus tua
Scribetur angustis: sed udam
Linquet humum fugiente penna:
Vastamque findens aethera, praepeti
Sese volatu conspicuam feret,
Quacunque terras ambit ingens
Oceanus genitor Deorum.

Sic Catullus *aridam pumicem*, adversus auctoritatem Plauti: Propertius *aridam pulverem.* Sic Lucretius *auream funem.*

Haud (ut opinor) enim mortalia saecla superne
Aurea de caelo demisit funis in arva.

cum in promptu esset: *Aureus e caelo.* Sic in Verrem Cic. *Ita in manifesto peccatu tenebatur, ut cum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si negaret.* Sic idem, *Perangusto fretu divisa.* Illi enim teretes, & delicatas aures habebant, omnia non vocum modo, sed & litterarum momenta, ac pondera subtiliter examinantes, nos ad has delicias obtusiore, & hebetiore palato sumus.

Qui sese stud.] Nam cum ὁ λόγος a ceteris hominibus distinguat hominem, qui nihil gerunt ἄξιον λόγου, videntur abjicere ac deprimere id quo excellunt, & se cum jis, quae eo bono carent, exaequare. Plutarch. in libello de fortuna: εἰ μὴ νοῦ, μηδὲ λόγου ὁ ἄνθρωπος ἴσχει, οὐδὲν ἂν δι-

ἀείδειν τὸ βίῳ τοῦ ϑηρίων. De *studii* & *studendi* varia significatione consulendi Grammatici apud Macrobium.

Summa ope niti] Ennius: *summa nituntur opum vi.*

Silentio] Id est, ut peraeque de ipsorum, & vita, & morte sileatur. quemadmodum ipse infra loquetur. Neque enim probanda est vox Epicuri, λάϑε βιώσας. Neque illud Ovidii, *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit.* aut illud Horatii: *Nec vixit male, qui vivens moriensque fefellit.* Immo vero optimus quisque, ut ait Cicero, *honoris, & gloriae studio maxime ducitur*, & maxime laborat, qui de se apud posteros sermo, quae opinio futura sit. Itaque recte Homerica Pallas ita Telemachum cohortatur: Καὶ σὺ, φίλος, μάλα γάρ σ' ὁρόω καλόν τε μέγαν τε, Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα, &c.

Veluti pecora] Ipsa corporis humani conformatio nos admonet, hominem non terrestria & caduca, sed caelestia & immortalia spectare debere. *Natura enim*, ait Cic. 1. de legibus, *cum ceteras animantes abjecisset* &c. Nota sunt & illa Ovidii: *Pronaque cum spectent animalia cetera terras*, &c.

Sed nostra omnis vis] Hominis vis duplex (animi, & corporis) Animus cum diis communis, &c. ergo animi potius, quam corporis viribus, gloriam quaerere debemus.

Animi imperio, &c.] Legendus Plato in Clitophonte. Arist. 1. πολιτ.

Et quia vita ipsa qua fruimur brevis est] Virgil. *Breve, & irreparabile tempus*, &c. Ovid. *Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis hujus*, &c. Et Horatius: *Non totus moriar, magnaque pars mei Vitabit Libitinam.* & ante eos Ennius apud Ciceronem: *Nemo me lacrymis decoret*, &c. τὸ δ' ἐμὸν κλέος ἔσσετ' ὀλεῖται.

Nam divitiarum] Solon: Ἀλλ' ἡμεῖς τούτοις οὐ διαμειψόμεθα Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον. ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί. Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει. *Virtus nec dari, nec eripi potest.* Seneca.

Sed diu] Dixerat rectius sibi videri, *ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere.* At objicere poterat aliquis, maximam gloriam, & maximam nominis celebritatem rebus bellicis comparari. Bella autem magis corporis, quam ingenii viribus geri. ex quo effici, ut non minor corporis quam animi viribus, aut major etiam gloria quaereretur. Ac rerum quidem bellicarum maximam

gloriam esse, testatur Cicero, cujus haec sunt in oratione pro Murena: *Ac nimirum, (dicam enim quod sentio) rei militaris virtus* &c. & certe Marathona, Thermopylas, Salamina, Plataeas non eruditi homines, & in bibliothecis suis abditi, sed fortes, & ad bellica munera diuturnis sub dio laboribus exercitati nobiles reddiderunt. Quodsi & bellicae virtutis maxima gloria est: & bella corporis magis viribus, quam consilio, & prudentia administrantur: periculum est, ne non satis vere dixerit Sallustius, *rectius esse, ingenii quam virum opibus gloriam quaerere*, &c. Sed Sallustius huic rei obviam iens, ait, *diu quidem dubitatum fuisse, utrum res millitaris*, &c. Sed tandem constitisse, in bello plurimum ingenium posse. Certe enim exercitus quamlibet magnus, si ei consilium desit, similis est Polyphemo excaecato. & vere Horatius: *Vis consilii expers mole ruit sua.* Neque Ajacem aut Diomedem, qui robore valebant, sed Ulyxem vocavit Homerus πτολίπορθον. & vere Xenophon: Αἱ μάχαι κρίνονται μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς, ἢ ταῖς τῶν σωμάτων ῥώμαις. & Euripides: ἓν σοφὸν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ. Agamemnon 2. Iliad. optat sibi decem similes Nestoris, &c. Itaque Pallas eadem praeest consiliis & bello. Ἠμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν. quod apud Ciceronem sic redditur: *Consilio cujus laus est attonsa Laconum.* Fabius Maximus consilio vim Annibalis vicit, Romanus sedendo vincit.

Inter mortales] Gellius cap. 27. lib. 13.

Nam & priusquam incipias] Isocrates: Βουλεύου μὲν βραδέως. ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Demost. Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. *Semper nocuit differre paratis.* ὁ καιρὸς ὀξὺς, Hipp. Pericles apud Thucyd. τὰ τοῦ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί. Hesiodus: Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄταισι παλαίει. Alexander ex Homero μηδὲν ἀναβαλλόμενος.

Ita utrumque] Horatius: *alterius sic Altera poscit opem res, & conjurat amice.* Sic apud Homerum: σὺν δὲ δύ' ἐρχομένω. & propterea Jupiter: Ταύτην δ' Ἄρει θοῷ καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.

Nam in terris] Idem testatur Herodotus lib. 1. Justinus, Cicero 2. de off. 3 de legibus. Aristot. 1. πολιτ.

Cyrus] Cyrum superiorem dicit, Astyagis nepotem, Cambysis filium, qui a Medis ad Persas imperium transtu-

stulit: de quo vide Herodotum lib. 1. Xenophont. in Paedia Cyri. Lacedaemonii terra, Athenienses mari, totius Graeciae ἡγεμόνες erant. Vide Thucydidem.

Sed nunquid ante haec omnia, nulla alia bella fuerunt? multa enim narrantur de Nino, de Sesostride, rege Aegypti, de Tanai, rege Scythiae. Sed antiquiores historiae, ut recte ait Aristoteles, pro fabulis haberi solent. supra Cyri majoris tempora, Sallustii temporibus, prope omnia fabulis involuta erant.

Quodsi regum, &c. *Ac misceri omnia cerneres*] Reges atque imperatores belli tempore solent esse vigilantes, industrii, patientes laboris: neque exquisitos cibos, aut pretiosa stragula, aut talia instrumenta luxuriae requirunt, sed frugalitatem, ac parsimoniam colunt: pernoctant interdum sub dio, humi, si opus est, cubant, vigilias obeunt: omnibus sibi voluptatibus corporis interdicunt. Milites quoque suos in officio continent: praemiis, poenisque propositis fortes excitant, ignavos perterrefaciunt. Easdem artes si in pace retinerent, melius & facilius imperia sua conservarent. sed plerumque victoria insolentes facit: & qui bellicis laboribus frangi non potuerant, pacis commodis molliuntur: subit pro comitate superbia, pro severitate crudelitas, pro continentia libido: qui prius cibario pane, & aqua facile se tolerare consueverant, esurire sibi videntur, nisi quidquid deliciatum terra marique conquiri potest, quotidie ipsis in mensam congeratur. Ita, quae per virtutem pepererant, saepe per ignaviam amittunt. Aut enim rebellant populi, &, contempta talsum dominorum ignavia, jugum servitutis a cervicibus suis excutiunt: aut veniunt alii fortiores, qui hos molles & effeminatos e regali solio dejiciant; ipsi nihilo postea meliores futuri: & inde aliquando in praeceps ituri, unde alios detruserunt sic in orbem aguntur humana. sic ab aliis ad alios imperia transferuntur.

Nam imperium, &c. *Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent*] Id est, quicquid agunt terra, & mari.

Dediti ventri] Aegyptiorum mos. anima in pistrino inclusa.

Somno, indocti, incultique vitam] Ἀνὴρ ἀπαίδευτος οὐδενὸς ἄξιος. & illud Homeri, Οὐ χρὴ παννύχιον, non de

 impe-

imperatore tantum, sed de quolibet magno viro dici potest.

Sicuti peregrin.] Non tantum ut peregrinantes: sed ut navigantes, qui, qua transierunt, nullum sui vestigium relinquunt.

Anima oneri fuit] Horatius: *non corpus onustum Hesternis*, &c.

Haud absurdum est] Sua laude non caret.

Ac mihi quidem tametsi haudquaquam par gloria] Legendus Plutarchus, πότερον οἱ Ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον, ἢ κατὰ σοφίαν ἐνδοξότεροι. bellone, an pace clariores fuerint Athenienses.

In primis arduum] χαλεπὸν Thucyd.

Res gestas scribere] Gellius cap. 15. lib. 4.

Agrum colendo] At M. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, in hac vita consumplit extremum tempus aetatis. In agris tunc erant senatores: siquidem L. Quintio Cincinnato in agro aranti nunciatum est, eum dictatorem esse factum. Cic. de Senect. Xenophon in Oeconomico. & Cato, *Virum*, inquit, *bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur*. & Varro lib. 2. *Viri magni, nostri majores, non sine caussa praeponebant rusticos Romanos urbanis*. sed videlicet tempora illa erant, cum *Jura dabat populis posito modo Praetor aratro, Pascebatque suas ipse senator oves*. &, *Centum illi in prato saepe senatus erat*. Mutata facie rerum, si Q. Maximus, aut M. Marcellus, aut Appius Claudius, aut Q. Metellus, aut Gn. Pompejus, aut C. Caesar in agro excolendo aetatem consumpsisset, &c. Ut πάρεργον, non ut ἔργον, ista laudantur a Sallustio. Idem dicendum *de venatione*, quae mirifice laudatur a Xenophonte & proprio libello ei rei dicato, & l. παιδίας. sed laudatur ut meditatio, & exercitatio belli. Sic eam & Sallust. laudat in Jugurtha: *Pleraque tempora in venando agere: leonem atque alias feras primus aut in primis ferire*, &c.

Carptim] Talia sunt adverbia, *cursim, properatim, celatim, vellicatim, saltuatim*, quae notat Gellius in Sisenna cap. ult. lib. 12.

A spe metuque animus liber] Lucianus legendus Commentario de historia, & Corn. Tacitus. De perturbationibus vero M. Tullius III. Tuscul.

No-

Nobili genere] *P. Cornelius Dolabella & nobilis*, ut Cic. 2. Philippica. ubi vide quae olim annotavimus. In Miloniana: *Homo enim nobilis in suis monumentis equitem Rom. occiderat*. & pro Coelio: *Vis, o nobilis mulier* &c. & in eadem: *Res est omnis in hac caussa* &c. & in epist. ad App. Claudium: *liberalitas tua, ut hominis nobilissimi*, &c. & ad Lentulum: *In te enim homine omnium nobilissimo similia invidorum vitia perspexi*. & Sallust. in Jugurtha: *Sylla patriciae gentis nobilis fuit*. & in l. 2. de orig. juris extat dictum Q. Mucii ad Ser. Sulpitium: *Turpe esse patricio, & ei nobili, & caussas oranti jus, in quo versaretur, ignorare.*

Vastus] Πολύτροπος.

Satis loquentiae] Alii *eloquentiae* legunt. vide Gellium cap. 15. lib. 1.



M. AN.

M. A. MURETI,

JCTI AC CIVIS ROMANI,

COMMENTARIUS

DE ORIGINE ET PROGRESSU

JURIS ROMANI:

UT ET

De Legibus, SCtis, Responsis Prudentum, & Constitutionibus Principum:

ITEM

In Titt. D. de Jurisdictione, & de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio.

M. A. MURETUS

S. D.

PAULO SACRATO

SUO.



x omnibus veterum ſcriptorum monumentis, Paule Sacrate, nulla pejus ab hominibus imperitis ac temerariis, flagitioſiusque tractata ſunt, quam ea, quibus jus civile populi Romani continebatur. Nam cum extitisſet antiquitus magna quaedam vis hominum eruditorum, qui Leges, SCta, Plebiſcita, Edicta Magiſtratuum & urbana & provincialia tum copioſis & uberibus, tum mundisſimo ac nitidisſimo orationis genere ſcriptis commentariis illuſtrasſent; jamque immenſi operis videretur, eorum omnium ſcripta pervolvere; arduum etiam & difficile in crebris, ut fit, eorum disſenſionibus, quid optimum ac verisſimum esſet, judicare: ei malo mederi cupiens Imperator Juſtinianus, negotium Triboniano & aliquot aliis dedit, ut ex eorum ſcriptis ea tantum excerperent, quae utilia esſent, quaeque in judiciis obtinerent: quae cum in unum corpus, reſectis ceteris, ordine digesſisſent, ſola tererentur ſtudioſorum manibus, eisque laborem minuerent ac levarent. At illi, hac poteſtate accepta, non ut ille Horatianus agricola, qui inutiles ramos falce amputans, feliciores inſerit, ſed ut milites, accepto ſigno ad oppidum aliquod diripiendum ac depraedandum, per medium jus civile grasſantes, &, ut quidque obvium erat, lacerantes

rantes, mutilantes, trucidantes, brevi tempore exhibuerunt nobis veteres ICtos, instar Deiphobi,

laceros crudeliter ora;
Ora manusque ambas:

quamque disciplinam perpurgandam ac perpoliendam susceperant, eam ita deformarunt, ut vix ulla amplius ejus imago superesset. Quam enim hanc infelicitatem esse dicemus, quod, cum hoc jus ex Legibus, SCtis, Plebiscitis, Edictis Magistratuum, Constitutionibus Principum, Responsis Prudentûm constare dicatur, hodie in libris juris nulla lex extat, nullum SCtum, integrum saltem & ὁλόκληρον, nullum Plebiscitum: Edicti perpetui paucae quaedam, ut ex naufragio, tabulae; ipsae Principum constitutiones multis locis decurtatae, & ἠκρωτηριασμέναι; Prudentum autem scripta ita distracta, dilacerata, divulsa, ut in eis vetus illa Hippolyti fabula renovata videatur. Itaque hodie non aliter jus civile discere cogimur, quam si, sublatis & extinctis omnibus Aristotelis, & Aristoteleorum interpretum scriptis, fragmenta tantum quaedam reperirentur, e variis Alexandri, Themistii, Simplicii, Philoponi, & aliorum decerpta commentariis, ex quibus utcunque in communes locos digestis Aristoteleam philosophiam discere juberemur. Accessit aliud multo etiam perniciosius & exitiosius malum. Nam, cum superioribus saeculis, Dei permissu, densissima quadam caligine animis hominum offusa, omnes propemodum bonae artes oppressae ac sepultae jacerent: extiterunt in illis tenebris homines audaces ac praefidentes, qui nulla Latini sermonis intelligentia, nulla veteris reipublicae Romanae cognitione, cum Dialecticam, sine qua nihil recte atque ordine tractari potest, aut non attigissent, aut ita attigissent, ut non attigisse praestaret; Politicen autem, unde omnia juris principia ducuntur, ne per somnium quidem aspexissent: erre-

arrepta, ut inter caecos juris interpretandi provincia, verbosissimis & insulsissimis commentariis illas qualescunque veterum Prudentum reliquias onerarunt, & ita imposuerunt humano generi, ut hoc quoque politissimo & eruditissimo saeculo judicia tamen plerisque omnibus in locis ad eorum somnia dirigantur, & ex eorum indocta doctrina exerceantur. En, quo magnifica illa Justiniani promissa ceciderunt! ut quos ille, ad exemplum Diomedis Homerici, aurum pro aere accepturos esse dicebat, ii pro illo obryzo veterum auro scoriam, & si quid ipsa fece magis feculentum est acceperint: quosque in illis floridissimis pratis Africani, Papiniani, Ulpiani, & talium pasci oportebat, ii nunc in Bartoli, Baldi, & aliorum etiam sequioris (*) notae sordibus ac sterquiliniis volutentur. Quos quod quidam inelegantes quidem & incultos, sed magno tamen ingenio & acri judicio praeditos vixisse ajunt; de istoc videbimus. nam ne ego quidem eis ingenium adimo: nimis potius ingeniosos fuisse fateor: illud quidem certe negari non potest; cujus quis civitatis neque linguam teneat, neque formam, leges, mores, instituta cognoverit, ejus ius civile non posse ab eo, quamlibet ingeniosus sit, commode intelligenterque tractari. Satis igitur magna gratia iis haberi non potest, qui hanc caliginem discutere, & istis impostoribus personam, sub qua tam diu hominibus illuserunt, detrahere conantur, ac perficere, ut quemadmodum ceterae omnes disciplinae a teterrimo barbarorum dominatu liberatae, nitorem ac splendorem suum his temporibus receperunt, ita disciplina juris tandem aliquando in pristinam restituatur dignitatem. Tales & nonnullos Italia protulit, & longe plurimos Gallia. Quorum ego vestigia pro virium mearum modulo persequens, totum illud quadrien-

(*) *Sequior*, cadentis Latinitatis vocabulum. In promptu erat *deterioris*.

driennium, quo libros Digestorum in hac urbe interpretatus sum, dedi equidem operam, ut quotidie plurima istorum, qui tanti in vulgus fierent, ac foedissima errata detegerem: & ingeniosorum adolescentum animos ad meliora converterem: effecissemque omnino aliquid, nisi hominum nudari subsellia sua, & cornicum oculos configi dolentium conquestiones obstitissent. Cogito autem, si & vita supererit, & otii aliquid contigerit, ea, quae tunc e superiore loco dixi, colligere, &, quoniam multos id cupere video, in publicum emittere. Ideoque nunc exiguam quandam ad te eorum particulam mitto: quam tu, si tanti videbitur, istic edendam curabis, & tuo multis mihi nominibus carissimo nomini dicatam in vulgus exire patieris. Cupio enim, Socrate, vir optime & humanissime, & magno illo Jacobo Sadoleto, avunculo tuo, dignissime, pro plurimis ac suavissimis officiis erga me tuis, aliquid tibi vicissim rependere, ac perficere, ut amicitiae, quae mihi tecum viginti jam annos & eo amplius, sine ulla offensione intercessit, &, ut spero, ad extremum usque spiritum duratura est, monumentum aliquod apud posteros exstet. Tu, ut soles, munusculum hoc non ex sua, sed ex animi mei magnitudine metieris. Vale. Romae.



M. AN-

M. A. MURETI,

JCTI AC CIVIS ROMANI,

COMMENTARIUS

DE ORIGINE JURIS,

Et omnium Magistratuum, & Successione Prudentum.

ANTEQUAM quaeratur, quibus ex caussis res aliqua orta sit; & esse eam, & quid sit, constare oportet. Idque ita traditur ab Aristotele ipso in *posterioribus Analyticis*. Esse jus, per se notum erat. Quid sit, *superiori titulo* dictum est: consequens est, ut de illius origine disseratur. Jus autem hic accipere oportet, non simpliciter, sed jus civile populi Romani, atque adeo ipsam qualemcunque artem juris, quae his libris continetur.

Addit, & *omnium magistratuum*: nam utilitas juris sine magistratibus nulla est. *Quantum est*, ait Pomponius, infra §. 13. *hoc tit. esse jus in civitate, nisi sint, qui jura reddere possint?*

Et successione Prudentum.] Successio est διαδοχή. Prudentes autem vocantur JCti, in *constitutione de conceptione Digestorum* §. 4. *Jubemus igitur vobis antiquorum Prudentum libros legere & elimare &c.* & in *constitutione de confirmatione Digestorum* §. 10. *Nomina prudentum taciturnitati tradere nullo modo patimur*: & eorum ars, prudentia, aut jurisprudentia; dicitur & sapientia. Ennius:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.
Non doctis dictis certantes, sed maledictis.
Non ex jure manus consertum, sed mage ferro,
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Horatius de Art. Poët. vs. 396.

— Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis.

Quae sunt omnia JCtorum. Vocantur & juris conditores. Ita Eutropius Ulpianum vocat. Et Justinianus Sex. Caecilium *l.* 1. *C. de comm. serv. manum.* ubi vulgo male legitur *Aelium.* Et Julianum legum conditorem, *l.* 2. §. 18. *C. de vet. jur. enucl.* Et juris interpretes, ut Tertullianum vocat *l. ult. C. de curat. furiosi.* Sed Florentiae hoc loco scriptum est *eorum.* Unde eruditissimus vir conjecturam facit, legendum *auctorum:* & certe ita scriptum est *l.* 2. §. 13. *hoc tit. Post hoc dein, de auctorum successione dicemus.* Sic Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 26. Domitium Scaevolam divini humanique juris auctorem celeberrimum vocat. Sic dicuntur juris auctores in *l. mora* 32. *D. de usuris.* Sic Aggenus *de Limitibus agrorum*, Cassium Longinum vocat juris auctorem.

L X X I.

GAJUS LIB. I. AD LEG. XII. TABB.

Facturus legum vetustarum interpretationem, necessario prius ab urbis initiis repetendum existimavi: non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animadverto id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret. Et certe cujusque rei potissima pars principium est. Deinde si in foro causas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur esse, nulla praefatione facta judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus, inconveniens erit, omissis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare? Namque, nisi fallor, istae praefationes, & libentius nos ad lectionem propositae materiae producunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem praestant intellectum

Gajus] Inepte Hieronymus Cagnolus ait, a Cicerone dici, hunc Gajum maxime studuisse Graecis litteris & re-

li-

liquis rebus ornatum atque elegantem fuisse. Aeque inepte addit, esse potius unum ex auditoribus Q. Mutii. de quo *l.* 2. *infra hoc tit.* Vixisse Gajum sub Hadriano, constat ex *l. utrum* 7. *D. de reb. dub.*

Legum vetustarum] Legis duodecim.

Interpretationem] Multa enim propter antiquitatem erant obscura in legibus, ut Lessum, ut Rupitias, Retare, Assiduus, Obnoxius, Proletarius, alia, de quibus apud Gellium & alios. Male autem Accursius interpretationem exponit correctionem, arctationem, prorogationem. Non fuit ea auctoritas Gajo.

Necessario] Sic infra *necessarium*, [illegible], conveniens.

Verbosos] Utinam idem institutum tenuissent Accursiani.

Perfectum] Ἡ [illegible] Arist. *lib.* 4. [illegible]. Paulo tamen aliter in *l. aedificia* 139. *D. de verb. sign.*

Potissima pars] Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός, & inde apud Virgilium *Aeneid. lib.* 9. *vs* 156. *Melior pars acta diei*. neque quicquam apud Platonem, aut Aristotelem saepius legas.

In foro] Ariopagitae aliter, apud quos edicebatur [illegible].

Illotis manibus] A conviviis ductum. Dicitur & [illegible].

LEX II.

POMPONIUS LIBRO SINGULARI ENCHIRIDII.

Necessarium itaque nobis videtur, ipsius juris originem atque processum demonstrare.

Pomponiana haec disputatio tribus partibus continetur. Prima est de Origine juris: Secunda de Magistratibus: Tertia de Successione Prudentum.

Ipsius juris] Juris civilis populi Romani.

§. 1. *Et quidem initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.*

Hoc est, quod ait Halicarnasseus *lib.* 2. usque ad XII.

 ta-

Ipse in *hac ipsa lege* eum Publium Papirium vocat. Certe igitur in alterutro erravit. At Halicarnasseus *lib.* 3. *p.* 178. aperte vocat eum Gajum, & *lib.* 5. *pag.* 278. eundem Manium. In tanta varietate fatendum est, praenomen illius ignorari. Nam Corasii quidem commentum, qui putat fieri posse, ut dictus sit Gajus Sextus Papirius, risu, non reprehensione dignum est. Hunc quidem Papirium Pontificem max: fuisse constat. Illud animadversione dignius, quod Pomponius Tarquinium Superbum Demarati Corinthii filium vocat. Falso. fuit enim pronepos, ut ex Dionysio constat. Referatur igitur & hoc inter μνημονικά. Demarati filius Lucumo, qui idem postea dictus est L. Tarquinius Priscus, quintus rex in hac urbe Lucumonis filius, cujus nomen proditum non est, filios reliquit Aruntem & Lucium, qui postea dictus est Superbus.

Livius *lib.* 1. *cap.* 46. *parum liquere*, ait, *Superbus Prisci filius, an nepos fuerit.* Sed extat adversus illud Livii dictum accuratissima disputatio Laurentii Vallae ad Alfonsum, Siciliae regem. Neque tamen ferendus Haloander & alii quidam, qui, Superbi cognomine expuncto, hoc loco substituunt Tarquinium Priscum. Quod ratio temporum ipsa repudiat. Regnavit Priscus annos 37. aut 38. Si temporibus illius hic Papirius fuit ex principalibus viris, fieri non potest, quin quo tempore Priscus mortuus est, hic noster habuerit saltem 50. annos.

Regnavit Serv. Tullius annos 44. Superbus 25. Hic autem jam ejectis regibus collegit regias leges. Habuit igitur saltem 120. annos: quod neque verisimile est, &, si verum esset, omissum non foret. Simplicius est agnoscere memoriae lapsum. *Omnium memoriam habere, & in nullo penitus peccare*, ait alicubi Justinianus, *divinitatis est potius, quam humanitatis.* Talia etiam alia quaedam in *hac ipsa lege* reperiemus. Sic aut Neratium aut Ulpianum memoria lapsum, cum Domitiam Neronis filiam dixit, quae amita erat, in *l.* 3. §. *si liber.* 5. *D. de condict. caus. dot.* notat Alciatus *lib.* 4. παρέργ. *cap.* 27.

Is liber, ut diximus, vocatur jus civile Papirianum: non quia Papirius de suo quidquam ibi adje-

jecit; sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.

Ubi autem hoc dixit? sed perinde est, ac si dixisset: Is liber, quem ab eo confectum modo diximus.

Papirianum] Paullus libro Memorialium de verb. signif. citat Granii Flacci librum de jure Papiriano. Est ejus & apud Macrobium mentio.

§. 3. *Exactis deinde regibus lege tribunicia omnes leges hae exoleverunt.*

Exactis deinde regibus] Ita loquuntur, quamvis unus rex ejectus sit: idque propter jusjurandum quo populum adegit Brutus, neminem unquam Romae passuros regnare; quod Accursius recte animadvertit.

Lege tribunicia] A L. Junio Bruto, qui tum tribunus Celerum erat, lata. Eam Festus primam tribuniciam appellat.

Omnes leges hae exoleverunt] Imo non omnes, sed illae tantum, quae ad regiam potestatem pertinebant. Nam alias mansisse constat.

Iterumque coepit populus Romanus incerto magis jure & consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope viginti annis passus est.

Ali] Lego, agi.

Prope viginti annis] Magnus error aut librarii, aut Pomponii ipsius. Nam inter ejectos reges & eum annum, quo leges e Graecia petitae sunt, intercesserunt prope 60. anni. Balduinus suspicatur, e 60. factum esse 20. idque non absimile vero videtur.

§. 4. *Postea ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, & civitas fundaretur legibus.*

Anno ab urbe condita 299. Sp. Tarpejo, A. Aterio Coss. tres legati in Graeciam missi sunt, ad leges & instituta Graecorum cognoscenda, Sp. Postumius Albus, A. Manlius, Serv. Sulpicius Camerinus. Tertio anno post cum legibus reversi sunt, T. Menenio, P. Sestio Coss. Designati jam erant in annum sequentem consules Ap. Claudius, T. Genucius: qui cum ex S. C. abdicassent, creati sunt decemviri cum imperio consulari ac regio, sine provocatione, legum ferendarum caussa. Eorum nomina haec, P. Sestius, consul prioris anni, Consules ipsi, qui abdicarant, tres legati, & praeterea T. Romilius,

C. Julius, P. Curatius, Sp. Veturius. Ergo hic quoque peccatum a Pomponio est.

Quas in tabulas eboreas perscriptas pro rostris composuerunt, ut possint leges apertius percipi.

Quas in tabulas eboreas] Aereas fuisse, ajunt omnes historici: & certe in aes incidebantur leges. Ovid. *lib.* 1. *Met. vs.* 91. *Nec verba minantia fixo aere ligabantur.* Plinius *lib.* 34. *c.* 9. *Usus aeris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est, tabulis aereis, in quibus publicae constitutiones inciduntur.* Et eo respexit Horatius *lib.* 3. *Ode* 30. *Exegi monumentum aere perennius.* Sed quid in re aperta testibus opus est? probat id & Venulejus *l. qui tabulam* 8. *D. ad l. Jul. pecul.* Forsitan librarii erratum fuerit.

Composuerunt] Ferri potest: sed malim, *proposuerunt.* Ulpianus, *Si quis id, quod jurisdictionis perpetuae caussa propositum erit, dolo malo corruperit,* &c. *l.* 7. *D de jurisd.* Sic apud Ciceronem *Epist.* 1. *l.* 6. *ad Atticum:* ubi vulgo legitur, *actionesque composuisse,* Andreas Patricius legendum putat, *proposuisse*, cui adsentior.

Ut possint] Constat legendum *possent:* & earum litterarum commutatio in his libris frequentissima est.

Datumque est eis jus eo anno in civitate summum, uti leges & corrigerent, si opus esset, & interpretarentur: neque provocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus, fieret.

Ab aliis omnibus magistratibus provocatio erat lege Valeria. Sed pro *fieret* lego *foret.*

Qui ipsi animadverterunt aliquid deesse istis primis legibus, ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt.

Qui ipsi] Imo non iidem, sed decemviri sequentis anni. Nam ex prioribus soli Ap. Claudio magistratus continuatus est.

Aliquid deesse istis primis legibus] *Vulgatus,* ait Livius *lib.* 3. *cap.* 34. *rumor erat, deesse duas tabulas; quibus adjectis absolvi posset velut corpus omnis Romani juris.*

Duas ad easdem tabulas adjecerunt] Quarum unius hoc caput fuit, Ut ne patribus cum plebe connubium esset. Sed id septimo post anno a Canulejo tribuno plebis abrogatum est.

Et

Et ita ex accidentia appellatae sunt leges XII. tabularum: quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.

Ex accidentia] Lego, *ex accidenti.*

Quidam retulerunt] Cicero quinta *Tusculana cap.* 36. Laertius *in Heracleto*; Strabo *lib.* 14. *p.* 642. Plinius *lib.* 34. *cap.* 5. *Fuit & Hermodori Ephesii statua in Comitio, legum, quas decemviri scribebant, interpretis, publice dicata.* Budaeus hic.

§. 5. *His legibus latis, coepit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret Prudentum auctoritate necessariam esse disputationem fori.*

Omne verbum Chrysippus natura ambiguum esse dicebat: propterea quod nihil ita caute ac considerate dici potest, quin in varias sententias trahi queat. Id vel maxime fieri solet in legibus, non tantum *propter illam facilitatem ad dissentiendum, quam hominibus naturalem esse*, ait Ulpianus in *l. Item si unus* 17. §. *principaliter* 6. *D. de receptis qui arb. rec. ut sent. dic.* sed multo magis, quia nemo eo animo in judicium venit, ut caussa cadat: quare modis omnibus legis verba ita interpretari studet, ut ea a se facere ostendat. Eo factum est, ut ad leges interpretandas auctoritas Prudentum, & fori disputatio necessaria fuerit. Sed cum hoc loco verba Pomponii manifesto corrupta essent, varie ea homines eruditissimi emendare tentarunt. Proferam & ipse sententiam ea de re meam non quod eorum judicio meum anteponam; *sed potest*, ait alicubi Imperator, *& deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare.* Lego igitur hoc modo: *His legibus latis coepit evenire, ut naturaliter solet; ut interpretatio desideraret Prudentum auctoritatem; necessariaque esset disputatio fori.* Atque haec emendatio proxime, nisi fallor, ad scripturam librorum veterum accedit. Ait hoc *naturaliter evenire*, quia, ut dixi, natura ambiguae sunt voces: naturaque item comparatum est, ut quisque eas, ita ut caussam suam poscere videt, interpretetur. Quod autem Bartolus in *l. omnes populi* 9. *supra tit. proximo* ex his verbis colligit, legum interpretationem esse naturalem, & ideo non posse prohiberi aut tolli ullo jure civili, pla-

ne

ne ineptum & alienum est, neque quidquam tale Pompónius cogitavit. Ait:.

Prudentum auctoritatem] Non enim quorumlibet ad leges interpretandas sententiam exquirebant: sed eorum tantum, quibus experientia & longus rerum usus prudentiam, prudentia auctoritatem comparasset. Nam quod Zasius hoc ita videtur accipere, ut neget quamlibet Prudentibus licuisse leges interpretari, nisi ejus rei faciendae auctoritatem accepissent, hominis est potius verba captantis, quam sententiam attendentis. Non dabatur eo tempore jus publice respondendi, aut interpretandi jura, neque a principe, qui tum nullus erat, neque a populo: neque creabantur Doctores juris, ut heri ac nudius tertius fieri coepit. Qui fiduciam studiorum suorum habebant, ii se ad respondendum dabant. Itaque hic non ullam talem auctoritatem accipere debemus, qualis hodie Doctoribus datur: sed eam, quam sibi quisque aut prudentia aut prudentiae opinione conciliat, quaeque spectatam multis rebus prudentiam ita sequitur, ut umbra corpus. Ait:

Necessariaque esset disputatio fori] Ut ii, qui res judicabant, in dissensione Prudentum, expenderent momenta rationum, quibus quisque niteretur; & ex earum inter se collatione, quasique conflictu veram legum interpretationem elicerent, quam deinde in judicando sequerentur.

Haec disputatio, & hoc jus, quod sine scripto venit, compositum a Prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut ceterae partes juris suis nominibus designantur (datis propriis nominibus ceteris partibus) sed communi nomine appellatur jus civile.

Quid est, quod ait, *hoc jus sine scripto venire?* Nonne hae Prudentum interpretationes litteris mandatae sunt? Nihil tam facile solvi potest. Jus consuetudine & moribus receptum, etiamsi postea scribitur, ut intelligatur ex libris, quae in quaque re consuetudo servetur, tamen semper vocatur jus non scriptum. Non enim coepit jus esse cum scriptum est: sed erat jus etiam antequam scriberetur. Sic usus feudorum recte jus sine scripto esse dicemus. Testamentum nuncupativum etiamsi forte scribatur, tamen recte dicetur factum esse sine scriptis. Notat Accursius in *l. Qui testamento* 20. §. *ult. D. qui testa-*

stament. fac. poss. & ad eam rem multa congeruntur ab Interpretibus in *l. hac consultissima* 21. §. *per nuncupationem* 2. C *de testament.* Itaque hodie cum omnia testamenta scribi soleant, rarissima tamen testamenta fiunt in scriptis. Neque enim eo valent, quia scribuntur: sed valerent, etiamsi lingua tantum nuncupata essent. Sed adhibetur manus publici tabellionis ad tollendas calumnias: & ut major fides sit: itemque ut tollantur multae aliae difficultates. Sic & hoc jus sine scripto vocatur, etiamsi postea scripto comprehensum est. Non enim scripto valet, neque habebant Prudentes eam auctoritatem, ut leges scriberent: sed cum eorum interpretatio recepta esset, postea memoriae causa litteris prodita est. Ac cum ceterae partes juris suum nomen a ceteris distinctum habeant, ut leges, SCta, Plebiscita, Edicta Praetorum, constitutiones Principum, haec pars vocatur communi nomine Jus civile. Sic saepe fit, ut pars aliqua vocetur nomine generis, ut in divisione adoptionis, manumissionis; & apud Aristotelem δυνάμεις, ἀνάγκη, δύναμις. Et cum omnis laudabilis animi affectio vocetur virtus, tamen virtutem cum dicebant, plerumque fortitudinem intelligebant: ut est apud Ciceronem *lib.* 2. *Tusculanarum cap.* 18. & Plutarchum *in Coriolano*. Non poterat ab uno aliquo vocari, ut jus civile Papirianum, jus civile Flavianum, jus civile Aelianum: neque enim ab uno aliquo; sed a pluribus fluxerat: ergo vocatum est simpliciter jus civile. Haec igitur pars vocatur communi nomine jus civile: cujus rei exemplum luculentissimum est apud Ciceronem *lib.* 3. *de Officiis cap.* 16. ubi ita scriptum est: *Ac de jure quidem praediorum sancitum est apud nos jure civili, ut in iis vendendis vitia etiam dicerentur, quae nota essent venditori. Nam cum e XII. tabulis satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret; a JCtis etiam reticentiae poena est constituta.* Et alibi: *Quorum apud nos pleraque jure civili vindicantur, nonnulla etiam legibus.* Sic apud Paulum lib. 4. *Sententiarum tit. de Intestatorum successione: Feminae ad hereditates legitimas ultra consanguineas non admittuntur: idque jure civili, vel Voconia rogatione videtur effectum: ceterum Lex XII. tabularum nulla discretione sexus cognatos admittit.* Male in eo Pauli loco vulgo legitur, con-

consanguineas successiones. Mediam jurisprudentiam vocat Imperator in §. *ceterum* 3. *Instit. de legit. agn. success.*

Datis propriis nominibus ceteris partibus] Omnia haec delenda puto, quod & Zasius vidit.

§. 6. *Deinde ex legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones, ne populus prout vellet institueret, certas solemnesque esse voluerunt. Et appellatur haec pars juris, legis actiones (id est legitimae actiones). Et ita eodem paene tempore tria haec jura nata sunt: leges XII. tabularum, ex his fluere coepit jus civile, ex iisdem legis actiones compositae sunt.*

Ubicunque & quandocunque fuerunt leges, fuerunt etiam actiones, id est, dicae, judicia. Nam lex omnis aut jubet, aut vetat, aut permittit, *l. legis virtus* 7. *D. de legibus.* Quorsus igitur leges, si eum quod jubet lex facere tu non facias, ego eo nomine tecum agere non possim? si quod lex facere vetat, id tu facias, mihi judicio experiri non liceat? quod lex permittit, id si tu me prohibeas, quomodo mihi opituler, nihil habeam? & dicit Pomponius *infra, Frustra esse leges sine magistratibus.* At frustra sunt magistratus, nisi jura reddant. Neque jura reddunt, nisi quis petat. Petit autem actione. In qualibet igitur civitate necessariae sunt actiones: ut recte alibi nobis dictum sit, esse eas quodammodo ex jure gentium. Sed iniquus est, qui in plus agit; plus autem petit aliquis pluribus modis, §. 32. *Plus autem. Institut. de action.* Item qui agit, cum actionem non habeat. Ergo, ne quis aut dolo aut per imperitiam plus peteret, aut actionem intenderet quae nulla esset, institutae sunt certae agendi formulae, quae & ipsae actiones vocantur: & hoc sensu vere dicitur, actiones esse ex jure civili: & ita defendenda est opinio Bartoli in *l. frater a fratre* 38. *D. de cond. indeb.* & in *l. ita stipulatus* 115. *D. de verb. obligat.*

Id est legitimae actiones]: Delenda. Hae formulae sublatae sunt postea, *C. de formulis & impetr. act. subl.* Et formulae ipsae optima ratione receptae erant, & optima ratione sublatae sunt; & ita jus civile mutatur, jus gentium manet.

Omnium tamen harum, & interpretandi scientia, & acti-

actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoque anno praeesset privatis. Et fere populus annis prope centum hac consuetudine usus est.

Omnium] Recte *omnium*: sunt enim tria. Aristoteles *lib.* I. *de Caelo*. Et ex tribus unum, lex XII. tabularum, patebat populo, duo reliqua erant penes Pontifices. Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* I. *Jus civile per multa saecula inter sacra ceremoniasque deorum immortalium abditum solisque Pontificibus notum* fuisse dicit.

Harum] Lego, *horum*.

Ex quibus] Pontificibus: Inepte enim Zasius. Significat autem Pontifices quotannis ex corpore suo eligere solitos aliquem, qui privatis responderet, eisque haec omnia indicaret. Nam & *dies ab eis tanquam a Chaldaeis*, ait Cicero *pro Murena cap.* II. *petebantur*.

Quoque] Lego, *quoque*.

Jam *praeesse* est προηγεῖσθαι. Et ut Antecessores dicuntur, qui jus docent, ὥσπερ προηγούμενοι τοῖς ἄλλοις, ita *praeesse* dicuntur, qui quasi viam praeeunt aliis, qui alios in judicio instruunt. Cicero *lib.* I. *de Oratore cap.* 10. *Multisque*, inquit, *praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manus consertum vocarent*. Inepte Zasius addit, *& publicis*. Publicis praeerat Senatus, praerant Fetiales, non Pontifices, praeterquam quatenus sacra quoque inter ea numerantur, quae sunt juris publici. Et his omnes Pontifices praeerant. Ait: *Prope centum*. Fuerunt 147. ex Livio. Itaque Valerius verius: saecula enim facit 30. annorum.

§. 7. *Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Gnaeus Flavius, scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Aedilis curulis.*

Appius Claudius] Is, qui postea Caecus vocatus est: in *hac lege* vocatur & Centumanus.

Proposuisset] Lego, *composuisset*.

Gnaeus Flavius] Hoc factum est P. Sempronio Longo, L. Sulpicio consulibus, anno ab urbe condita 448. aut 449. Historia notissima est; ideoque in ea non immorabor: tantum locos unde peti possit indicabo. Narrat igitur eam Cicero *pro Murena cap.* II. Livius ad finem

lib. 9.

lib. 9. Valerius *lib* 2. *cap.* 1. Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. apud quem male legitur Annii filius, pro Cnaei filius: quod idem vitium insedit apud Gellium *lib.* 6. *cap.* 9. vide Ciceronem *epist.* 1. *lib.* 6. *ad Atticum*

Scriba ejus] Scribae vocabantur qui scriptum faciebant. Hi mercede apparebant magistratibus. Honoratum munus apud Graecos: sordidum apud Romanos, ut auctor est Aemilius Probus, & manifesto colligitur ex Gellio.

Et Senator] Aediles curules hoc ipso Senatores erant: ut constat ex quodam loco Ciceronis in *Verrem*. Proprie tamen Senatores ii tantum dicebantur, qui a censoribus lecti erant. Gellius *lib.* 3. *c.* 18.

Hic liber, qui actiones continet, appellatur jus civile Flavianum; sicut ille jus civile Papirianum: nam nec Gnaeus Flavius de suo quidquam adjecit libro. Augescente civitate, quia deerant quaedam genera agendi; non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Aelianum.

De Sext. Aelio inter professores juris civilis infra dicendum erit.

§. 8. *Deinde cum esset in civitate lex* XII. *Tabularum & jus civile: essent & legis actiones: evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret, quae jura plebiscita vocantur.*

Mire confundit haec omnia. Nam sive loquatur de prima secessione plebis, ob feneratorum iniquitatem, in sacrum montem, quo tempore primum creati sunt sive duo, sive quinque tribuni plebis, ea facta est anno ab urbe condita aut 260. aut 261. id est, 187. annis, antequam Flavius fastos divulgaret. 40. annis, antequam proponeretur lex XII. Tabb. sive de secunda in Aventinum, qua refecti sunt tribuni plebis, de qua ipse in *hac lege* copiose disserit, ea facta est anno 304. aut 305. id est uno anno post XII. Tabb. propositas. Itaque neutro modo defendi potest.

Essent & legis actiones:] Quae Flavianum & Aelianum jus dicebantur.

Mox cum revocata est plebs: quia multae discordiae nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari, lege Hortensia.

Mox] Mire positum *mox:* nam inter illam discordiam, etiamsi de secunda accipias, & legem Hortensiam, intersunt anni 160. & eo amplius. Ut ut sit, plebiscita ut omnes tenerent, primus tulit M. Horatius Barbatus cos. idque in illa secunda secessione plebis. Livius *lib.* 3. *c.* 55. Idem postea confirmavit Q. Hortensius Dictator in tertia secessione, ob aes alienum, in Janiculum, anno 467. Florus in *epitom. lib.* 11. Plinius *lib.* 16. *cap.* 10. Gellius *lib.* 15. *c.* 27. S. Augustinus *de civitate Dei lib.* 3. *c.* 17. Inde multa plebiscita leges vocantur, Aquilia, Falcidia, Manilia, leges Agrariae, aliae multae. Fuit & lex Publilia, a Q. Publilio Dictatore eadem de re lata, anno U. C. 414. Sed, ut opinor, non perlata. Hanc Hotomanus *in Indice* Hortensia posteriorem facit. Falso.

Et ita factum est, ut inter plebiscita & legem species constituendi interessent, potestas autem eadem esset.

Species] Id est, forma, ratio.

Interessent] Lego, *interesset.*

§. 9. *Deinde quia difficile plebs convenire coepit, populus certe multo difficilius in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam reipublicae ad Senatum deduxit. Ita coepit Senatus se interponere, & quidquid constituisset, observabatur: idque jus appellabatur SCtum.*

Ab ipso urbis principio summa auctoritas penes Senatum fuit: & quod Senatus censuisset, omnes tenebantur. Postea introductum, ut ea demum SCta rata essent, quae etiam tribuni plebis probassent, Valerius *lib.* 2. Postremis temporibus tribuni quoque Senatores erant, & Senatum habere poterant.

§. 10. *Eodem tempore & magistratus jura reddebant: & ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset, seque praemuniret, edicta proponebant: quae edicta Praetorum jus honorarium constituerunt. Honorarium dicitur quod ab honore Praetoris venerat.*

Praemuniret] Legendum, *praemunirent*, etiam reclamantibus omnibus libris.

Quae edicta Praetorum jus honorarium constituerunt] Numerantur & Aedilium Curulium edicta in parte juris honorarii §. *Praetorum* 7. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.*

Honore Praetoris venerat] Sic & in *l. jus autem* 7. *supra tit. proximo.*

§. 11. *Novissime sicut ad pauciores juris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli. Nam Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterant.*

Per partes] Non damno eos, qui *partes* exponunt factiones: sed tamen magis placet Accursii expositio.

Per unum consuli] Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Et eum statum reipubl. maxime commendat Aristoteles. *Omnem potestatem ad unum conferri, pacis interfuit*, ait Tacitus *l. 1. Annalium ab excessu Neronis.*

Gerere poterant] Legendum, ut in aliis, *regere poterat.* Sic & infra scriptum est, *jura regere*, pro jura reddere. Recte autem Accursius huc accommodat exemplum ex *l. 3. §. apparet 6. D. de administ. tut.*

Igitur, constituto Principe, datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset. §. 12. *Ita in civitate nostra aut jure, id est, lege, constituitur, aut est proprium jus civile, quod sine scripto in sola Prudentum interpretatione consistit, aut sunt legis actiones, quae formam agendi continent; aut plebiscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutum; aut est magistratuum edictum, unde jus honorarium nascitur; aut SCtum, quod solum Senatu constituente inducitur sine lege; aut est principalis constitutio, id est, ut, quod ipse Princeps constituit, pro lege servetur.*

Haec summa quaedam est omnium, quae hactenus dixit.

Datum est ei jus] Lege regia, de qua dicetur infra, *l. 1. D. de const. princ.*

Proprium] Liber Vaticanus, *proprie.*

Solum] Liber Vaticanus, *solo.*

§. 13. *Post originem juris & processum cognitum, consequens est, ut de magistratuum nominibus & origine cognoscamus: quia ut exposuimus, per eos, qui juri dicundo praesunt, effectus rei accipitur. quantum est enim jus in civitate esse, nisi sint qui jura regere possint?*

Haec est secunda pars, de Origine magistratuum.

Ut exposuimus] In iis videlicet, quae a Triboniano omissa sunt.

Rei] Juris.
Regere] Lego, *reddere*.

PROPOSITIO TERTIAE PARTIS.

Post haec deinde de auctorum successione dicemus, quod constare non potest jus, nisi sit aliquis Jurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci, §. 14. *Quod ad magistratus attinet, initio civitatis hujus constat, Reges omnem potestatem habuisse.*

Produci] Id est, ad res singulas interpretando accommodari.

Reges omnem potestatem habuisse] Regnatum autem est in urbe annos 244. Et observa, nomine magistratus regem quoque ipsum comprehendi.

§. 15. *Iisdem temporibus & Tribunum Celerum fuisse constat; is autem erat, qui equitibus praeerat, & veluti secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi.*

Trecentos equites cum Romulo principio fuisse diximus: ii & Celeres dicebantur. Stipabant assidue latera regis; eis qui praeerat, Tribunus Celerum dicebatur. Primum in eo magistratu ajunt fuisse Fabium Celerem, a quo occisus Remus: postremum Brutum, liberatorem urbis.

§. 16. *Exactis deinde regibus Consules constituti sunt duo, penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est.*

Duo Consules in locum unius regis creati sunt: eo duo, ut si alter superbius agere vellet, ab altero, cujus par potestas esset, contineretur: tum quae perpetua potestas fuerat, annua effecta, ut modestius agerent, qui se anno post privatos fore intelligerent. Ceteroqui regium plane imperium Consulum fuit. Cicero *lib.* 3. *de Leg. c.* 3. *Regio imperio duo sunto: iique praeeundo, judicando, & consulendo Praetores, Judices, Consules appellantur.* Quaequae igitur reges potuerant, ea principio Consules omnia potuerunt. Dicti sunt autem tribus nominibus, Praetores, Judices, Consules. Lex autem, quam hic dicit, lata est a Sp. Lucretio interrege.

Dicti sunt ab eo, quod plurimum reipublicae consulerent. Qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi

vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi, solum relictum est illis, ut coërcere possent, & in vincula publica duci juberent.

Reipublicae consulerent] Ita quoque Cicero *de Legibus*. Sic & Brutus apud Attium: *Qui recte consulit, consul fuat.* Alii, quorum est Varro, quod Senatum & populum consulere deberent.

In vincula publica duci juberent] Principio poterant Consules in caput civis Romani sine jussu populi animadvertere. Argumento est Brutus, qui in filios suos aliosque nobiles adolescentes eam potestatem exercuit. Legem de provocatione ad populum L. Valerius Poplicola tulit, qui etiam secures in urbe ademit Consulibus, extra urbem reliquit. Corasius in hunc locum tradidit, etiam in urbe a T. Lartio Dictatore restitutas. Falso. nam quod est apud Livium *lib.* 2. *c.* 18. *creato Dictatore primum Romae, postquam praeferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit*, de ipso Dictatore accipiendum est, cui semper secures praelatae sunt. Citat locum Dionysii ex *lib.* 10. *in extremo*, qui ipse quoque nihil ad hanc rem facit. Item locum ex *lib.* 24. Livii, ubi Q. Fabius cos. T. Otacilium ferocius agentem admonet, sibi secures esse. Sed hic locus manifesto refutat sententiam ipsius. Haec enim Livii verba sunt *c.* 9. *Et quia in urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit cum securibus sibi fasces praeferri.* Non est igitur temere credendum, nisi inspectis locis, qui citantur. Consules post illud primum tempus nunquam habuerunt auctoritatem animadvertendi in caput civis, nisi cum in atroci aliquo discrimine mandatum eis erat a Senatu, ut viderent, ne quid detrimenti respublica caperet. Quo de SCto scripsi in *commentario in primam Catilinariam.* Plura qui volet, legat Onufrium Panvinium in *commentario in primum Fastorum*, quo nemo plura, aut veriora & exploratiora congessit. *Vincula publica* dicit, ad differentiam ergastulorum, quae privata erant. Coërcendi & in carcerem mittendi potestatem fuisse Consulibus, & alii testantur, & Ulpianus, cujus haec verba sunt infra, *lib.* 2. *D. de in jus voc. In jus vocari non oportet neque Consulem, neque Praefectum, neque Praetorem, neque Proconsulem:*

ne-

neque ceteros magistratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquem possunt, & jubere in carcerem duci.

§. 17. *Post deinde cum census jam majori tempore agendus esset, & Consules non sufficerent, huic quoque officio, Censores constituti sunt.*

Publice interest sciri, quae sint privatorum opes: ut cum tempora reipublicae postulant, quisque ad necessitates publicas, pro facultatum suarum modo, aliquid conferre cogatur. Ea de causa censum primus instituit Serv. Tullius. Edebat quisque nomen & tribum suam, numerum familiae, liberos servosque, praedia ac possessiones suas, & quantum ex eis caperet. Ea omnia in libris censualibus perscribebantur. Quae delata in censum non erant, publicabantur. Incensi publice vendebantur. Auctor Cicero *pro Caecina c.* 34. Censum agebant primo Reges ipsi, dein Consules, tum Censores. Creati sunt primum anno 310. Duo erant. Lustrabant urbem quinto quoque anno. Legebant Senatum. Locabant publica. Judicabant de moribus civium. Sed & haec ipsa, & quae de eis alia traduntur vulgo, nota sunt. Et nos ad utiliora properamus. Quod ait Pomponius:

Jam majori tempore] Ita accipiendum est. Septemdecim annos incensus erat populus, cum Consules rebus bellicis occupati huic muneri vacare non possent. Ideo creati Censores.

§. 18 *Populo deinde aucto cum crebra orirentur bella & quaedam acriora a finitimis inferrentur, interdum re exigente placuit majoris potestatis magistratum constitui. Itaque Dictatores proditi sunt: a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.*

Quoto urbis anno primum Dictator creatus sit, ambigi ait Livius *lib.* 2. *c.* 18. Dionysius id anno 256. factum fuisse dicit: certe quidem diu ante Censores. Itaque ordinem temporum hic quoque perturbat Pomponius. Magistratus erat extraordinarius. Alio nomine magister populi. Summa ei & plane regia potestas. In equum tamen ascendere, nisi permissu populi, non poterat, neque numum unum movere ex aerario, nisi aut SCto, aut populi jussu. Dictator dictus a potestate dictandi, id est, jubendi quod vellet. Dicebatur ab alte-

ro Consulum, auspicato, oriente nocte, silentio. Creatos tamen & a populo & a Senatu interdum legimus. Primo creato cessabant alii omnes magistratus, exceptis tribunis, quos & ob id Plutarchus magistratuum loco habendos negat. Durabat dictatura sex menses. Prorogabatur interdum. Primus Sylla Dictator perpetuus. Alter Caesar, cujus dictatura extinctio reipublicae fuit. Origo Dictatorum, bella finitima, & seditiones. Haec de Dictatoribus, qui *ut optima lege*. Ab aliis enim provocatio fuit. Creati leguntur & interdum aut clavi figendi, quae superstitio quaedam fuit, aut comitiorum habendorum, aut ludorum, aut feriarum Latinarum caussa. qui simulatque id, cujus rei caussa creati erant, impleverant, abdicabant.

§. 19. *Et his Dictatoribus Magistri equitum injungebantur, sic quo modo regibus tribuni Celerum, quod officium fere tale erat, quale hodie praefectorum praetorio; magistratus tamen habebantur legitimi.*

Injungebantur] Legendum, *jungebantur*.

Magistri equitum] Magistri equitum a Dictatore dicebantur; eorum potestas omnis a Dictatore pendebat, cujus jussa exsequebantur. De praefectis praetorio suo loco dicetur.

§. 20. *Iisdem temporibus cum plebs a patribus secessisset anno fere septimodecimo post reges exactos, Tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebeji magistratus; dicti tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur: vel quia tribuum suffragio creabantur.*

Secessisset] Propter iniquitatem feneratorum. Cicero secessionem illam 16. anno post reges exactos factam fuisse dicit. Duo initio creati sunt. Inde tres additi. Postremo facti decem. Sacrosancti erant. Extra Urbem pernoctare non poterant. Prehensionem habebant. Vocationem non habebant. Intercedente uno, reliqui nihil poterant. Fores eorum etiam nocte patebant. Plutarchus eos negat esse magistratus, quod neque purpuram gestent, neque jus dicant ex sella curuli: & creato Dictatore, potestatem retineant. Sed verius est, magistratus esse.

§. 21. *Itemque ut essent, qui aedibus praeessent, in-*

qui-

quibus omnia sua scita plebs deferebat; duos ex plebe constituerunt, qui etiam Aediles appellati sunt.

In quibus] Melius dixisset, *in quas*.

Omnia sua scita plebs deferebat.]. Hoc de SCto, non de Plebiscito Livius tradit *lib.* 3. *cap.* 55.

Aediles appellati sunt]. Aedilium duo genera, Curules & Plebeji: de Curulibus infra agetur. Plebeji eodem anno creati sunt, quo tribuni plebis. Curabant sacras aedes. Judicabant causfas permissu tribunorum. Decretorum, Plebiscitorum, SCtorum custodia ad eos pertinebat. Item cura annonae. Frangere poterant, quae in via publica iter impedirent, *l. lectos emptos* 12. *D. de peric. & comm. rei vend.* Item mensuras iniquas. Juvenalis *Sat.* 10. *vs.* 101.

Et de mensura jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis aedilis Ulubris.

Persius *Sat.* 1. *vs.* 129.

Sese aliquem credens Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas.

& *l. Item quaeritur* 12. §. *si quis mensuras* 8. *D. Locati*, Nota & pervulgata omnia.

§. 22. *Deinde cum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt Quaestores, qui pecuniae praeessent, dicti ab eo quod inquirendae & conservandae pecuniae caussa creati erant.*

De quaestoribus aerarii dicetur infra in *l. unica. D. de off. quaestoris.*

Qui pecuniae praeessent] Delenda.

§. 23. *Et quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum Consulibus jus dicere; propterea Quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent. Hi appellabantur Quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex* XII. *Tabularum.*

Admodum improprie posuit *jus dicere* pro eo, quod est judicare: neque enim jurisdictionis est, rei capitalis damnare aut absolvere, sed imperii meri, ut suo loco magis intelligetur. Etsi autem perdifficile est de hoc magistratu certo quippiam adfirmare, propterea quod

ejus in veterum scriptis tenuis modo quaedam memoria relicta est: tamen puto falli eos, qui etiam sumendi supplicium de civibus potestatem ei fuisse credunt. Nam cum id ne Consulibus quidem liceret, & Consulum sine controversia summum esset imperium (de ordinariis magistratibus loquor) vix est, ut alii cuiquam licuisse credamus. Puto igitur eorum munus hoc tantum fuisse, ut quaererent, & re cognita, aut absolverent, aut pronuntiarent videri fecisse: tum referri solitum ad populum. Est autem notandum, parricidam antiquitus dictum non eum modo, qui parentem, sed qui quemcunque liberum hominem sciens necasset. Quod & Plutarchus notat *in Romulo*, & constat ex lege Numae, quae apud Festum legitur: *Si quis liberum hominem morti sciens duit, parricida esto.* Quod hodie quidam *patricidam*, non *parricidam* scribi jubent, faciunt & praeter rationem, & adversus omnium librorum veterum auctoritatem.

§. 24. *Et cum placuisset leges quoque ferri: latum est ad populum, ut omnes magistratus se abdicarent.*

Budaeus legit, *ut omnes magistratu se abdicarent*. Ego, si quid mutandum sit, legerem, *ut omnes magistratus abdicarent*. Sed ferri potest vulgata: nam ut *abdicare*, ita *abdicare se*, recte dicitur, *l. penult. de offic. praesid.*

Quo decemviri constituti anno uno, cum magistratum prorogarent sibi, & cum injuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, ut ipsi & factio sua perpetuo rempublicam occupatam retineret, nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerant, ut exercitus a republica secederet. Initium fuisse secessionis dicitur Verginius quidam, qui cum animadvertisset Ap. Claudium contra jus, quod ipse ex vetere jure in XII. *Tabulas transtulerat, vindicias filiae suae ab se abdixisse, & secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse: captumque amore virginis omne fas ac nefas miscuisse: indignatus quod vetustissima juris observantia in persona filiae suae defecisset, utpote cum Brutus qui primus Romae consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis conjurationem indicio suo detexerat, & castitatem filiae vitae quoque ejus praeferendam putaret, arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit: in hoc scilicet,*

*ut morte virginis contumeliam stupri arceret; ac protinus recens a caede, madenteque adhuc filiae cruore, ad commilitones confugit; qui universi de Algido, ubi tunc belli gerendi caussa legiones erant, relictis ducibus pristinis, signa in Aventinum transtulerunt: omnisque plebs urbana mox eodem se contulit * populique consensu partim in carcere necati. Ita rursus respublica statum suum recepit.*

Et cum injuriose tractarent] Quidam veteres libri, *& pum.* Lego, *& populum.*

Sufficere magistratibus] Legendum, *magistratus.*

Secessionis] Liber Vaticanus, *secessioni.*

Verginius] Scribendum, *Virginius.*

Ex vetere jure] Id est, ex regiis legibus.

Madenteque] Lego, *madensque;* & sic habet liber Vaticanus. Longa autem haec, &, εἰ θέμις εἰπεῖν, otiosa narratio. Ad cujus finem multa, ut constat, omisere librarii; vellem etiam plura omisissent. Historia & nobilis & nota est; narrat eam Livius *lib.* 3. ita dolenter, vix ut sine lacrumis legi possit. In ea explicanda non est consilium μηκύνειν; neque enim id nunc agimus. Tantum de vindiciis quaedam breviter & perspicue dicamus. Vindicare quid sit, notum est: nam qui, quod alius possidet suum esse intendit, vindicare dicitur. Antiquitus autem si res mobilis erat, de qua controvertebatur, ea ipsa vel adferebatur vel ducebatur in jus: atque ibi coram Praetore petitor eam injecta manu vindicabat, id est, suam esse dicebat. Ovidius *Amor. lib.* 1. *el.* 4. *vs.* 40.

Et dicam, mea sunt, injiciamque manus.

Sin res soli, decerpta gleba ex fundo in jus adferebatur, & apprehensione glebae, totus ager, de quo controversia erat, vindicabatur. Deinde eundem contra vindicabat possessor. Cicero *pro Murena cap.* 12. *Fundus, qui est in agro Sabino, meus est. Immo meus. Deinde judicium.* Rem autem ipsam, quae in judicium deducebatur, vocabant *vindiciam;* ut est apud Gellium, & Festum: at *vindicias*, illam ipsam quasi velitationem & prolusionem judicii. Dabantur autem vindiciae a Praetore secundum possessorem; id est, jubebat Praetor, ut lite pendente, possideret is, qui possidebat. Cuique enim, quamlibet injusto possessori, sua conservanda pos-

fessio est; neque possessoris est docere rem suam esse, sed petitoris: ita ut etiam illa possessio, quae mere facti est, habeat tamen aliquid juris. Cum igitur Virginia esset in possessione libertatis suae, & a patre contra vindicaretur, indubitati juris erat, vindicias dandas esse secundum libertatem. At Appius libidinis suae majorem rationem habens quam juris, jussis valere legibus, vindicias dedit secundum servitutem; id est, cum M. Claudius, quem ipse supposuerat, peteret, Virginiam ancillam suam esse, nihil moratus, quod ea & semper se gessisset pro libera, & a suis contra vindicaretur, duci eam interim a M. Claudio jusserat: quod erat iniquitatis non ferendae. Vindicias erudite exponit Sosipater καρπείας ἐλευθερίας; ubi intelligendum est ἕνεκα. ut fit, cum quis alium liberali caussa asserit manu. Nam καρπεία manus injectio, sive assertio est. Κάρπος enim *vola*. Nihil est autem necesse mutare *abdixisse* in *abjudicasse*. Ex Grammatici, qui negant *observantiam* recte dici pro observatione, ineptiunt. Tale est *negantia* pro negatione, multaque ejusdem modi. Exemplum de Vindicio Vitelliorum servo parum apte huc accommodatum esse a Pomponio, notarunt & Zasius, & Corasius; idque verum est. Eam quoque ipsam historiam petetis ex *lib.* 1. Livii. Quod in extremo dicitur, quosdam ex Decemviris populi consensu in carcere necatos, Livius *lib.* 3. *c.* 58. ait, Appium sibi in carcere mortem conscivisse, Oppium ibidem mortuum esse: ceteros in exilium actos. Atque haec satis de Decemviris, cum de eis supra quoque dictum sit.

§. 24. *Deinde cum post aliquot annos, quam* XII. *Tabulae latae sunt, & plebs contenderet cum Patribus, & vellet ex suo quoque corpore Consules creare, & Patres recusarent: factum est, ut Tribuni militum crearentur partim ex plebe, partim ex Patribus consulari potestate. Hique constituti sunt vario numero, interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.*

Exponit, quando & quomodo creati sint Tribuni militum consulari potestate, qua de re ita Livius *lib.* 4 *cap.* 7. *Anno trecentesimo decimo quam Urbs Roma condita erat, primum Tribuni militum pro Consulibus magistratum ineunt, A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cloelius.* Ait:

Ex suo quoque corpore] Quoniam usque ad id tempus Consules ex solis patriciis creabantur. Ait:

Partim ex plebe, partim ex Patribus] Omnes principio patricios creavit populus, contentus eo, quod ratio habita plebejorum esset. Ait:

Vario numero] Primum tres, post quatuor, deinde sex, semel etiam octo, ut est apud Livium *principio lib. 5*. Quid ergo est quod ait *interdum viginti?* Recta & vera videtur Budaei conjectura, scriptum initio fuisse 6. ni, id est, seni: ex quo postea factum viginti. Et saepe peccatum est hoc modo, cum in aliis scriptoribus, tum praecipue in libris juris, notarum ignoratione. Locus, qui citatur a Goveano, *lib. 1. cap. 23. variarum lectionum*, nihil ad rem facit: nam ibi non agitur de tribunis militum consulari potestate. Saepe autem in describendis optimorum scriptorum libris e numerorum notis objecta librariis est erroris occasio. Sic in *hac ipsa lege* ex 60. annis facti sunt 20. in *l. Titius* 41. *§. libertatem* 10. *D. de fideicom. libert.* ex 14. annis facti sunt 10. idemque error in *l. ult. D. eodem tit.* Sed in hoc genere nullum est insignius erratum, quam in titulo *pro Socio:* quod usque huc a nemine animadversum suo loco indicabo, una cum aliis quibusdam, quae nunc recensere non libet.

§. 26. *Deinde cum placuisset creari etiam ex plebe Consules: coeperunt ex utroque corpore constitui. Tunc ut aliquo pluris Patres haberent, placuit duos ex numero Patrum constitui. Ita facti sunt Aediles curules.*

Primus ex plebe Consul L. Sextius. Primi Aediles curules Cn. Quintius, P. Cornelius. Livius *principio lib. 7*. Ad Aediles curules pertinuit cura aedium sacrarum & publicarum: item ludorum omnium praeter plebejos, & Megalesia: item rerum venalium; ut constat ex *tit. De Aedilitio edicto*.

Aliquo pluris] Sup. magistratus.

§. 27. *Cumque Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui in civitate jus reddere posset: factum est, ut Praetor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe jus redderet.*

Consules olim jus dicebant. Sed cum & rei militari administrandae & juri dicundo non sufficerent, creatus est

est Praetor urbanus. Id factum est eodem illo anno, quo creati sunt Aediles curules; id est, ab U. C. 388.

§. 28. *Post aliquot deinde annos non sufficiente eo Praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret: creatus est & alius Praetor, qui peregrinus appellatus est ab eo quod plerumque inter peregrinos jus dicebat.*

Post aliquod deinde annos] Id est, circa annum U. C. DX.

Qui peregrinus appellatus est] Hunc & Praetorem inter peregrinos vocabant; & Praetorem inter urbanos & peregrinos, ut saepe in vetustis marmoribus legitur. Ait autem, *plerumque*, quia dicebat jus etiam inter cives & peregrinos. Saepe autem idem Praetor utramque jurisdictionem exercebat: & multa ejus rei exempla sunt apud Livium. Hi ambo jurisdictionem habebant, merum imperium, id est, gladii potestatem, non habebant, neque exercebant ullam quaestionem publicam. Nam gladii quidem potestatem in urbe solus populus habebat, isve, cui eam populus, aut in aliquo magno reipublicae discrimine Senatus ad certum tempus dedisset. Itaque in urbe, ut jam diximus, secures magistratibus non praeferebantur.

§. 29. *Deinde cum esset necessarius magistratus qui hastae praeessent, Decemviri in litibus judicandis sunt constituti.*

Hastae praeessent] Legendum, *praeesset*. *Hastae subjiciebantur*, ait Festus, *ea, quae publice venundabant.* Fiebant autem hae venditiones in foro ad aedem Saturni, in qua erat aerarium: eisque antiquitus praeerant Quaestores, ad quos cura pecuniae publicae, ut dictum est, pertinebat. Plautus *Captivis*, *Act.* 1. *sc.* 2. *Advorte animum sis tu, istos captivos duos, Here quos emi de praeda de quaestoribus, His indito catenas singularias.* Hi annotabant singula quae vendebantur. Tertullianus *in Apologetico cap.* 13. *Sub eadem voce praeconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quaestoris.* Qui cum, ut opinor, distraherentur aliis occupationibus, praetereaque soli huic muneri non sufficerent, creati sunt centumviri, qui & hastae praeessent, & res judicarent. Idem Festus: *Centumviralia judicia a centumviris sunt dicta. Nam cum*

ex-

essent Romae triginta & quinque tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati sunt. Et licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti. Hoc nomen retinuerunt etiam postea, cum multo plures essent. Quo primum tempore coeperint, non reperio. Sed cum res quae ita vendebantur, & pecunia quae ex hujusmodi venditionibus cogebatur ac conficiebatur, esset publica, id est, totius populi, aequum etiam erat, ex toto populo aliquos intervenire. Interveniebant igitur principio ex singulis tribubus terni. Ac verisimile est deligi solitos homines, cum ceterarum rerum cautos ac diligentes, tum juris civilis peritos, si ob nihil aliud, certe ut scirent, quae cuique rei vendundae lex esset: praesertim cum apud eosdem agerentur etiam causae illae, quae in aliqua juris subtilitate positae erant. Nam Praetor in iis, quae erant facti, aut certi indubitatique juris, judices sive recuperatores ex numero selectorum dabat, qui inter litigatores convenissent: sin caussa requirebat aliquam subtiliorem cognitionem juris civilis, dabat potestatem experiundi apud centumviros. Itaque Cicero *lib.* 1. *de Oratore cap.* 38. ait: *In caussis centumviralibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, fluminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarum rerum innumerabilium jura versari.* Itaque hereditatis petitionem centumvirale judicium vocat Imp. in *l. ult. C. de petit. hered.* eosdem cognovisse de inofficioso, constat ex *l. ult. C. de liber. praeter. l. petitor* 30. *D. de liberat. l. Titia* 13. *l. qui repudiantis* 17. *D. de inoffic. test.* Et quod scriptum est sub *eodem tit. l.* 10. *Si pars judicantium &c.* judicantium nomine Centumviri intelliguntur. Tales autem causae exiles angustaeque sunt, si comparentur cum quaestionibus criminum publicorum. Itaque cum hae tractarentur magnifico & sublimi orationis genere, ad illas tenue, & subtile, ac limatum adhibebatur dicendi genus. Atque hoc est, quod ait Plinius *lib.* 2. *epistolarum ep.* 14. *Centumvirales caussas plerasque parvas esse.* At Fabius *lib.* 4. *cap.* 1. videtur significare, capitis judicia apud Centumviros exerceri solita: ita enim scribit: *Quibusdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud centumviros,*

viros, ipsi judices exigunt sollicitas & accuratas actiones.

Hoc non ita accipiendum est, quasi ipsi unquam publicis quaestionibus praefuerint. Sed capitales caussas vocat, in quibus de libertate agebatur: ut cum quis ex libertate in servitutem aut contra vindicabatur. Caput enim saepe pro libertate dici, omnibus notum est. Ergo plerumque homines adolescentes in agendis centumviralibus caussis exercebantur. Et hoc est, quod Plinius *eodem loco* ait, Attilium indignantem dicere solitum, *sic in foro pueros a centumviralibus caussis, ut in scholis ab Homero, auspicari.* Ovidius in eis se aliquando exercitatum fuisse significat his versibus, *lib.* 2. *Trist. vs.* 93.

Nec male commissa est nobis fortuna reorum
Usque decem decies inspicienda viris.

E centumviris decem tantum erant magistratus, qui dicebantur decemviri litibus, aut, ut veteres loquebantur, stlitibus judicandis. Hi cogebant judicia centumviralia. Lucanus in carmine *ad Pisonem vs.* 41.

Seu trepidos ad jura decem vocat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice caussas.

Cicero *in Oratore cap.* 46. *Plane duumvirorum judicium; aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum litibus judicandis dico numquam.* Erant Romae ex magistratibus minoribus ordinariis viginti sex, qui a numero vocabantur: Triumviri capitales. Triumviri monetales A. A. A. F. F. Quatuorviri, qui viarum intra urbem curam gerebant. Duumviri, qui viarum extra urbem. Quatuorviri qui in Campaniam mittebantur. Decemviri stlitibus judicandis. Auctor Dio *lib.* 54. Sed quod in his libris legitur, *Decemviri in litibus judicandis*, est adversus consuetudinem omnium Latine loquentium. Suspicor, duas litteras deletas fuisse, & in eorum locum alias duas substitutas; legendum, ut sit, *Decemviri stlitibus judicandis.* Lites judicare & res judicare, idem. Nam & *res* & *lis* idem. Unde illud in veteri formula: *Quam rem sive litem dicere oportet.* Indidem *res proferri*, & *ad res redire.*

§. 30. *Eodem tempore & quatuorviri qui curam viarum gererent: & Triumviri monetales, aeris, argenti, auri flatores.*

Cu-

Curam viarum gererent] Intra Urbem, ut paullò ante dixi ex Dione.

Aeris, argenti, auri flatores] Ita, ut opinor, exposuit Tribonianus notas A. A., A. F. F. Praestitisset hoc modo, *auro, aere, argento flando, feriundo.* Crebra hujus magistratus in numis veteribus mentio, quales ego aliquot habeo.

Et Triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent: ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.

Notus jocus Ciceronis *lib.* 7. *ep.* 13. *ad Trebatium: Treviros vites censeo. audio capitales esse. mallem, auro, argento, aere essent.* Plautus *Amphitr. Act.* 1. *sc.* 1. *vs.* 3.

Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint?
Inde quasi e promptuaria cella depromar ad flagrum?

Idem *Asinaria Act.* 1. *sc.* 2. *vs.* 4.

——— ——— ——— *Jam ex hoc loco*
Ibo ego ad Tresviros, vestraque ibi nomina
Faxo erunt capitis.

Idem *Persa Act.* 3. *sc.* 2. *vs.* 20.

Ut aequo pariter prodeant ad Tresviros.

Idem *Aulularia Act.* 3. *sc.* 2. *vs.* 2.

——— *Ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen.*

Horatius *Epod. Od.* 4. *vs.* 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus.
Praeconis ad fastidium.

Meminit eorum & Livius *lib.* 39. Sallustius *in Conjuratione cap.* 55. *Triumviros quae supplicium postulabat, parare jubet.* Cognoscebant de servis tantum & vilibus personis, ad columnam Maeniam, quae in foro erat: ut auctor est Asconius *in Divinationem c.* 16. Non autem ipsi manu sua animadvertebant in damnatos, ut quidam tradiderunt: sed eorum jussu carnifex. Tales apud Athenienses erant Undecim Viri, ut ex Platonis *Phaedone* constat.

§. 31.

§. 31. *Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim & ultra Tiberim qui possint pro magistratibus fungi.*

Inconveniens erat] Quod & parum decorum sit & periculosum, propter inimicitias, quas illi sibi necessario concilíant. Et notum est illud, *Multos timeat necesse est, quem multi timent.*

Possint] Legendum, *possent.*

Pro magistratibus fungi] Mentio horum quaedam est apud Livium *lib.* 39

§. 32. *Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem Praetores, quot provinciae in ditionem venerant, creati sunt: partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus praeessent.*

Docet quomodo paullatim auctus sit Praetorum numerus: in quo non satis ei videtur cum ceteris historicis convenire. Confundit hic quoque ordinem temporum. Nam prima provincia facta est Sicilia; ut cum ex aliis, tum praecipue ex Cicerone *in Verrem* cognoscitur. Potest tamen hac ratione defendi quod Sardinia prius Romanorum fuerit, quam tota Sicilia in provinciae formam redigeretur. Siciliam partim Syracusani reges tenebant; partim Carthaginienses occuparant. Primum subacta est a Romanis ea pars, quae Carthaginiensibus parebat viginti trium annorum bello, quod coeptum anno 489. ab Appio Claudio Caudice, perfectum est anno 512. a Q. Lutatio Catulo. Primus ad eam regendam Praetor missus, cum uno Quaestore, C. Flaminius. Auctor Solinus. Deinde ea, quae Syracusanorum fuerat, cum captis a M. Marcello Syracusis, M. Valerius Laevinus belli reliquias sustulit anno 542. aut 543. Ex eo tota Sicilia in provinciae formam redacta regi coepit ab uno Praetore, duobus Quaestoribus. Siciliam secuta est Sardinia & Corsica. Nam cum anno 515. Sardiniam Carthaginienses Romanis pacis impetrandae caussa tradidissent, & Sardi tamen quadriennio post, eorundem Carthaginiensum instinctu, arma cepissent, sub imperium redacti sunt a T. Manlio Torquato Cos. Eodem fere tempore Corsica Romanorum effecta est. Sardiniam autem & Corsicam idem Praetor regebat. Prima provin-

ciarum continentis jugum accepit Hispania Scipionum virtute anno 547. ut auctor est Livius *lib.* 28. neque tamen plane perdomita usque ad Augustum. Narbonensem Galliam Q. Fabius Maximus Scipionis Aemiliani filius Imperio adjecit, anno 633. Hic quoque negligens est Pomponius: nam amplius centum annis, ante Narbonensem Galliam captam, sex Praetores creati erant. In Hispanias enim mittebantur duo: alter qui citeriorem, alter qui ulteriorem obtineret. Auctor Livius *lib.* 32. Plenior autem harum rerum cognitio petenda est ex *Imperio Romano* Onuphrii, & ex libris *de Antiquo jure provinciarum* eruditissimi mihique amicissimi hominis, Caroli Sigonii.

Deinde Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit: veluti de falso, de parricidio, de sicariis; & praetores quatuor adjecit.

Ante Sullam quaestiones publicae, id est, criminum publicorum mandabantur a Senatu, modo Consulibus, modo Praetoribus, neque semper eaedem, sed prout tempora poscere videbantur: neque ullae erant ordinariae. Sulla Dictator eas constituit, id est, certas quasdam esse & ordinarias voluit, quas quotannis sortirentur, & exercerent Praetores. Cumque antea Praetores solerent statim inito magistratu in provincias ire: tum demum institutum est, ut prius annum unum in Urbe praeturam gererent; deinde cum imperio in provincias proficiscerentur. Auctus igitur est numerus Praetorum, qui cum prius seni crearentur, si ad eum numerum additi a Sulla sunt quatuor, decem videlicet effecti sunt. At constat, post id tempus interdum octo tantum Praetores fuisse, ut quo anno Cicero ab exilio revocatus est. Quo fit, ut cogamur eruditissimorum hominum sententiam sequi, qui ajunt interdum plures creatos esse, interdum pauciores; praesertim cum & antea alternis modo senos, modo quaternos creari juberet lex Baebia. Neque hoc quidquam probabilius aut alii usque adhuc attulerunt, aut nos excogitare potuimus. Sed & in sequentibus, quod ad Praetorum numerum attinet, tantus est error, tanta varietas, ut difficile sit verum videre. Illud quidem extra controversiam est, male in aliis libris inter publicas quaestiones numerari quaestionem de injuriis. Atque ea ne in Vaticano quidem libro, hoc loco, nomi-

natur. *Injuriarum enim actio, etsi pro publica utilitate exerceatur, tamen privata est l. licet 42 §. 1. D. de procur.* sed qui eam addiderunt, illud videlicet voluerunt efficere, ut numerus quaestionum cum Praetorum quos Sylla addiderat numero conveniret: frustra. neque enim omnes publicas quaestiones enumerat Pomponius, sed quaedam earum exempla ponit. Et alioqui quaestio de sicariis plerumque a binis Praetoribus exercebatur, ut sic quoque potuerint efficere eum numerum, quem volebant, nisi aliud obstaret. Nam quaestio de parricidio continebatur sub quaestione inter sicarios: ut constat ex *Oratione* Ciceronis *pro Sex. Roscio cap.* 14. Nonnunquam & plures quaestiones ab uno Praetore exercebantur. Traditum est & a quibusdam, Praetorem inter peregrinos solitum etiam quaerere de pecuniis repetundis; quod falsum est. Praetor urbanus & Praetor peregrinus jus dicebant tantum, non de ullo crimine quaerebant, nisi si quando id eis forte extra ordinem mandatum esset.

Deinde Gajus Julius Caesar duos Praetores & duos Aediles qui frumento praeessent & a Cerere Cereales constituit. Ita duodecim Praetores, sex Aediles sunt creati. Divus deinde Augustus sedecim Praetores constituit. Post deinde D. Claudius duos Praetores adjecit, qui de fideicommisso jus dicerent.

Et a Cerere Cereales] Fortasse deest verbum, *dicerentur.*

Ita duodecim Praetores, sex Aediles sunt creati] Caussa C. Caesari, oppressa republica, augendi magistratuum numeri haec fuit, ut eos, quorum bona ac forti opera in bellis civilibus usus erat, ornare ac remunerari facilius posset; quod & Augustum secutum puto. De quo statim addit:

Divus deinde Augustus sedecim Praetores constituit] At Tacitus ait duodecim tantum. Utri igitur credimus? Certe quidem auxit Augustus eum numerum, qui sub D. Julio fuerat. Nam id diserte Suetonius tradit, *in Aug. cap.* 37.

Post deinde D. Claudius duos Praetores adjecit, qui de fideicommisso jus dicerent] Ita locutus est & Justinianus §. 1. *Inst. de fideicomm. hered.* neque tamen hi Praetores proprie jus dicebant, sed cognoscebant ac judicabant.

Ex quibus unum D. Titus detraxit, & adjecit D. Nerva qui inter fiscum & privatos jus diceret. Ita decem & octo Praetores in civitate jus dicunt.

Certe qui exercebant quaestiones publicas, jus non dicebant; sed hic improprie loquitur.

§. 33. *Et haec omnia, quotiens in republica sunt magistratus, observantur; quotiens autem proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat; is vocatur Praefectus urbi: qui Praefectus olim tanstituebatur; postea fere Latinarum feriarum causa introductus est, & quotannis observatur.*

Quotiens in republica] In republica dixit, pro eo, quod est in urbe. Sic Sallustius in *Catil. cap.* 19. *Postea Piso in citeriorem Hispaniam pro Praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum Cn. Pompejo cognoverat. neque tamen Senatus provinciam invitus dederat, quippe foedum hominum a republica procul esse volebat.* Tacitus *lib.* 16. *Annal. cap.* 33. *Montanus patri concessus est, praedicto, ne in republica haberetur.*

Qui Praefectus] Legendum, *profectis*. Constituebatur igitur antiquitus Praefectus Urbi tunc tantum, cum magistratus proficiscerentur, & *profectis* (ita enim legendum, non *praefectus*) urbem regebat. Postea coepit quotannis constitui, propter ferias Latinas. Feriae Latinae fiebant ad renovandam memoriam antiquissimi foederis olim inter Romanos & Latinos icti. Conveniebant omnes populi Latini in montem Albanum, & hostias adducebant. Veniebant eodem omnes magistratus Romani, etiam Tribuni, quibus alioquin extra urbem pernoctare fas non erat. Ibi triduum aut quatriduum Jovi Latiari sacrificabant. Ne interea urbs esset sine magistratibus, creabatur Praefectus urbi. Tacitus *lib.* 6. *Annal. cap.* 11. *Antea profectis domo regibus, mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet ac subitis mederetur: feruntque a Romulo Dentrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Martium, & a Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos. Dein Consules mandabant. Duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas praeficitur qui consulare munus usurpet.* Sed hic Praefectus, reversis magistratibus, deponebat potestatem. Alius autem est Praefectus urbi, de cujus officio est titulus infra in hoc ipso libro. Qui magistratus, auctore Suetonio, primum institutus est ab

 Augu-

Augusto. De feriis Latinis consulendus Macrobius: de eo Praefecto, de quo hic agitur, Gellius *lib.* 14. *cap. ult.*

Nam Praefectus annonae & vigilum non sunt magistratus: sed extra ordinem utilitatis caussa constituti sunt.

Immo vero magistratus eos esse ita certum est, ut nulla sit dubitatio. Sed hoc fortasse significat, eos non esse magistratus ordinarios.

Et tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea Aediles SCto creabantur.

Significat, munus illorum Quinquevirorum cis & uls Tiberim, postea a Senatu mandatum esse Aedilibus.

§. 34. *Ergo ex his omnibus decem Tribuni plebis, Consules duo, decem & octo Praetores, sex Aediles in civitate jura reddebant.*

Jam docuimus, duos solos ex Praetoribus proprie jus dixisse, urbanum & peregrinum. Sed hic ita loquitur, quasi jus reddere aut jus dicere dicatur etiam is, qui exercet quaestionem publicam, aut de aliqua re cognoscit; quod tamen secus est. Tribunorum plebis, vulgo creditur, nullam jurisdictionem fuisse: sed tamen fuisse aliquam, colligitur ex *septimo titulo* Ulpiani.

§. 35. *Juris civilis scientiam plurimi & maximi viri professi sunt, sed qui eorum maximae dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in praesentia mentio habenda est, ut appareat, a quibus & qualibus haec jura orta & tradita sint. Et quidem ex omnibus qui scientiam nacti sunt, ante Ti. Coruncanium publice professum neminem traditur.*

Haec est tertia pars de successione auctorum.

Plurimi & maximi viri professi sunt] Cicero summos viros & principes civitatis, ait, ei studio praefuisse.

Ti. Coruncanium] De eo paulo infra dicetur.

Ceteri autem ad hunc vel in latenti jus civile retinere cogitabant: solumque consultatoribus vacare potius quam discere volentibus se praestabant.

Ceteri autem ad hunc vel in latenti] Veteres ita pronuntiabant, etiam in oratione soluta, ut dicerent, *mult' ill' & terris jactatus & alto*; ceteraque ad eundem modum; quidam etiam ita scribebant. Cum igitur hic esset, *ad hunc vel ill' attenti*, fecerunt *ad hunc vel in latenti*: cum tamen, si vulgatam scripturam sequare, illud *vel* plane redundet. Opponitur autem *ad*

hunc vel illum ei, quod paulo supra dixit *publice.*

Solumque consultatoribus vacare] Illud *vacare* puto plane vacare. Et animadverti, veteres librarios cum vocem aliquam sine caussa geminaverant, aut aliquid scripserant, quod pro non scripto haberi vellent, saepe id non eradere solitos, sed in margine adscribere *vacat.* Tale aliquid hic contigisse suspicor: ac deinde vocem *vacat* tralatam in ordinem ceterarum: & ex ea factum *vacare.*

§. 36. *Fuit autem inprimis peritus P. Papirius, qui leges regias in unum contulit. Ab hoc Appius Claudius unus ex Decemviris, cujus maximum consilium in* XII. *Tab. scribendis fuit. Post hunc Appius Claudius ejusdem generis maximam scientiam habuit; hic Centemmanus appellatus est.*

P. Papirius] Principio vocavit eum Sextum; fieri potest, ut hic scripsisset tantum Papirius, deinde littera P. geminata sit sine caussa a librariis.

Appius Claudius] De ejus libidine multa in superioribus dicta sunt.

Appius Claudius ejusdem generis] Id est, ejusdem gentis, aut ejusdem generis scientiam.

Hic centemmanus appellatus est] Liber Vaticanus, *Centimanus.* At apud Ciceronem *lib.* 3. *de Officiis cap.* 16. *Centumalus* cognomen gentis Claudiae legitur; nisi forte illic quoque *Centimanus* legendum est: quod & puto, propter auctoritatem libri Vaticani. Videri potest cognomen initio tributum industrio alicui & diligenter expedienti multa negotia, ut quasi centum manus habere videretur, ut ille poëticus Aegeon ἑκατόγχειρ. Male putat Balduinus, scribendum potius *Caecus.* Neque enim ita vocatus est suo cognomine: sed cum in senectute oculorum usum amisisset,

Appiam viam stravit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in urbe non recipiendo sententiam tulit.

Ideo eum Cicero *in defensione Coeliana* ita loquentem facit, *cap.* 14. *Ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie foedera ferires? Ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares?* Idem *pro Milone cap.* 7. *Perinde quasi Appius ille Caecus viam*

munierit, non quo populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Idem *lib.* 1. *Philippicarum cap.* 5. *Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam caussam etiam Appium illum & caecum & senem delatum esse, memoriae proditum est.* Idem *in Catone Majore cap.* 6. *Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam ut caecus esset; tamen cum sententia Senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit illa dicere, quae versibus persecutus est Ennius:*

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est; & tamen ipsius Appii extat oratio. Atque haec ille egit septendecim annis post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset: ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse. Ulpianus *l.* 1. §. 5. *D. de postulando: Appius denique Claudius caecus consiliis publicis intererat: & in Senatu severissimam dixit sententiam de Pyrrhi captivis.* Quae autem illa sententia fuerit, tunc dicemus.

Hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primum de usurpationibus, qui liber non extat.

Usurpare est usucapionem interrumpere *l.* 2. *D. de usurp. & usucap.* Cicero *lib.* 3. *cap.* 28. *de Orat. Ut ex jure civili surculo defringendo usurpare videantur.* Responsum quoddam Q. Mucii, quod refertur a Gellio de muliere, quae usurpatum iit 4. Kal. Jan. recte & vere declaratur a Corasio in hunc locum. Ejus sententiam secutus est Hotomannus in *comm. in* XII. *Tabb.*

Idem Appius Claudius qui videtur ab hoc processisse R. litteram invenit: ut pro Valesiis Valerii essent, & pro Fusiis Furii.

Locum corruptum esse, liquido constat: nam si de eodem Appio loquitur, quid est cur dicat, *Qui videtur ab hoc processisse;* sin de alio, quomodo eundem vocat? Sunt qui pro *idem*, legant *item:* sunt qui addant vocem *usu*, quae si est in vetustis libris (nam in eis, quos ego vidi, non est;) sed si in aliis est, ita fortassis legendum fuerit:

Idem Appius Claudius usum R. litterae invenit: videturque ab hoc processisse, ut pro Valesiis Valerii essent, & pro Fusiis Furii] Non enim hic, quisquis est, R. litteram invenit: nisi putamus, ante eam dictam esse Somam pro Roma, & Somulum Semumque pro Romulo ac Remo. Sed fieri potest, ut usum aliquem ejus litterae invenerit, qui prius non erat. Certum quidem illud est, veteres Romanos multis in nominibus usos esse littera S; ubi postea R substituerunt in illius locum. Papisios dicebant, & Valesios, & Fusios. Cicero primum L. Papirium Crassum ait Papisium vocari desitum esse, anno post U. C. 415. Varro *lib.* 6. *de Lingua Latina: In multeis verbeis in quo antiqui dicebant S postea dicunt R, ut in carmine Saliorum sunt haec, Cosaullae, dolosi, eso. Ennio vero ac Pacuvio misesia, incusia, mesidie, onese, rudesumque, Venese, quod Venere post; melios, melior, foedesum foederum, plusima plurima, asena arena, janitos janitor.* Ita enim illum Varronis locum emendavit summo ingenio & incredibili doctrinae copia praeditus, & ut omnia, quae de eo honorifice dici possunt, uno verbo complectar, patre dignissimus adolescens, Josephus Scaliger. Fabius *lib.* 1. *cap.* 4. *Ut Valesii & Fusii in Valerios Furiosque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam & clamos ac lases aetatis fuerunt.* Festus: *Arb[illegible]m pro arbore antiqui dicebant, & robose pro robore.* [illegible]ulus *in epitome Festi: S pro R littera saepe antiqui posuerunt, ut majosibus, meliosibus, lasibus, fesiis, pro majoribus, melioribus, laribus, feriis.* Ab Aeolibus autem hoc sumpsere Romani, qui pro ἵππος dicebant ἵππορ, & pro ἀδελφὸς ἀδελφὸρ, aut ab Atticis, qui κόρσην κόῤῥην, & τύρσον τύῤῥον. Extant hujus consuetudinis etiamnum quaedam in antiquis marmoribus vestigia. Post illa autem nulli Romae vocati sunt Fusii: & Q. Fusius Calenus qui vulgo dicitur, non Fusius est, sed Fufius. Et lex Fusia Caninia, non, ut vulgo, Fusia. & *in oratione in Pisonem cap.* 4. lex Aelia & Fufia: quae vulgo male Fusia.

§. 37. *Fuit post eos maximae scientiae Sempronius, quem populus Romanus ΣΟΦΟΝ appellavit: nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est.*

P. Sempronius Sophus vixit eodem tempore, quo is, quem modo dicebamus, Appius Claudius, & tribunus

plebis in eum, censura se abdicare nolentem, acerbissimam habuit concionem. Livius *lib.* 9. *cap.* 34. *Hic uxorem repudiavit, nullam aliam ob caussam, quam quod se ignorante ludos spectare ausa esset.* Valerius *lib.* 6. *cap.* 3. Quod de Sophi cognomine traditur, nullum postea ita cognominatum esse, manifesto falsum est. Mansit id cognomen aliquandiu in gente Sempronia. & de Laelio Lucilius: *Laelius praeclare & recte Sophos.* Et infra de Acilio dicemus. Sed & qui Cati cognominati sunt, pro eodem erat ac si Sophi dicti essent. Nam sophos Graecis saepe nihil aliud, quam catum & callidum significat. Euripides *Andromacha*: σοφὴ σοφὴ σύ. κατθανεῖν ὅμως σε δεῖ.

Gajus Scipio Nasica, qui optimus a Senatu appellatus est. cui etiam publice domus in Sacra via data est, quo facilius consuli posset.

Qui optimus] Lego, qUIr optimus; id est, qui vir optimus: hoc enim ejus cognomen fuit. Sed male Gajum vocat P. vocabatur G. F. Quomodo autem vir optimus a Senatu appellatus sit, narrat Livius *lib.* 29. *cap.* 14. Ovidius *lib.* 4. *Fastorum.* Valerius *lib.* 8. *cap.* 15. alii. Cicero *de Haruspicum responsis cap.* 13. *Sacra ista nostri majores adscita ex Phrygia Romae collocarunt: quae vir is accepit, qui est optimus a populo Romano judicatus, P. Scipio: femina autem quae matronarum castissima putabatur, Q. Claudia.* [illegible] in loco notandum, matronas vocari etiam virgines.

Cui etiam publice domus in Sacra via data est] De hoc singulari honoris genere Nasicae habito nihil me usquam alibi legere memini.

Deinde Q. Mucius, qui ad Carthaginienses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet, referret Romam, utramque sustulit, & ait, Carthaginienses petere debere, utram mallent accipere.

Hac de legatione ita Gellius *lib.* 10 *cap.* 27. *Q. Fabius, imp. Romanus, dedit ad Carthaginienses epistolam. Ibi scriptum fuit, populum Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum, signa duo belli aut pacis: ex iis utrum vellent eligerent: quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent. Carthaginienses responderunt, neutrum sese eligere: sed posse qui attulissent, utrum mallent

lent relinquere: quod reliquissent, id sibi pro electo futurum. M. Varro autem non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera simulacra hastae fuerunt incisa. Livius *lib.* 21. *cap.* 18. missos in hanc legationem ait Q. Fabium, M. Livium, L. Aemilium, C. Licinium, Q. Baebium, ex quibus Fabium sinu ex toga facto dixisse: *Hic vobis bellum & pacem portamus, utrum placet sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter succlamatum a Carthaginiensibus, daret utrum vellet. & cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, omnes accipere se, & quibus acciperent animis, iisdem gesturos.* Neque aliter Silius *lib.* 2. *vs.* 382. nisi quod poëtico quodam jure duas legationes in unum confundit:

Non ultra patiens Fabius texisse dolorem,
Concilium exposcit propere, patribusque vocatis,
Bellum se gestare sinu pacemque profatus:
Quid sedeat legere, ambiguis neu fallere dictis
Imperat, ac saevo neutrum renuente Senatu,
Ceu clausas acies, gremioque effunderet arma,
Accipite infaustum Libyae, eventuque priori
Par, inquit, bellum: & laxos effudit amictus.

Ergo & in ipsa re narranda dissentiunt a Pomponio, & illud animosum factum non Q. Mucio, sed Q. Fabio tribuunt. Unde & Zasius hoc quoque loco non Q. Mucius, sed Q. Fabius legendum putavit. A quo dissentit Alciatus *lib.* 4. *cap.* 17 παρέργων, putatque potius memoria lapsum Pomponium; quod & mihi verius videtur. Sed & recte notat Balduinus, vix natum fuisse Nasicam, quo tempore haec legatio suscepta est. Quare hic quoque temporum ordo turbatus.

§. 38. *Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit. cujus tamen scriptum nullum extat, sed responsa complura & memorabilia ejus fuerunt.*

Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi] Imo vero & ante Nasicam, & amplius sexaginta annis ante eam, de qua modo diximus, legationem.

Memorabilia ejus fuerunt] Quidam veteres libri pro *fuerunt*, habent *ferunt*; unde conjicio legendum, *feruntur*. hoc enim significat, non extare scripta, sed extare re-

responsa, & circumferri. Hunc Tiberium Cicero multis locis commendat, ut *in Bruto cap.* 14. & *de Orator.*, *lib.* 3. *cap.* 33. Primus ex plebe Pontifex maximus fuit. Auctores Cicero & Livius. Plinius *lib.* 34. *cap.* 6. P. Junium & Tiberium Coruncanium populi Romani legatos a Teuca Illyriorum regina interfectos tradit: eisque ob id statuas positas. Illum qui putant, eundem esse Coruncanium, de quo hic agitur, falluntur: nam Polybius *lib.* 2. id ipsum narrans ait, eum Coruncanium, qui legatus occisus est, adolescentiorem fuisse. At hic, si tum vivebat, habebat annos amplius octoginta. Ut taceam quod Polybius legatos illos C. & L. Coruncanios vocat: neutrum Tiberium. Ut corruptum Plinii locum non injuria suspicari aliquis possit.

Deinde Sex. Aelius, & frater ejus P. Aelius & P. Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: ut duo Aelii etiam Consules fuerint. Atilius autem primus a populo sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudavit.

Sex. Aelius propter juris civilis scientiam laudatus est ab Ennio hoc versu:

Egregrie cordatus homo catus Aelius Sextus.

Meminit ejus Cicero multis locis. Pro P. Atilio verius fortasse legeretur L. Acilius, de quo Cicero in *Laelio cap.* 2. *Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, quia prudens in jure civili putabatur.* Hi quoque omnes ante Nasicam fuerunt.

Et extat illius liber, qui inscribitur Tripertita: qui liber veluti cunabula juris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege XII. *Tabb. praeposita, jungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio. Hos sectatus ad aliquid est (Cato) deinde M. Cato princeps Porciae familiae: cujus & libri exstant, sed plurimi filii ejus, ex quibus ceteri oriuntur.*

M. Cato, qui a censura severissime gesta Censorius usurpatur, certatim commendatur ab omnibus veteribus, Cicerone *lib.* 1. & 3. *de Oratore;* Plinio *lib.* 7. *cap.* 27. Praecipua autem laus ipsius apud Livium *lib.* 39. *cap.* 40. Optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperator, juris civilis peritissimus. Filius ejus, Prae-

tor

tor designatus mortuus, *egregios de juris disciplina libros reliquit.* Auctor Gellius *lib.* 13. *cap.* 18. Hujus est regula Catoniana.

Cato] Nomen hoc priore loco sine ulla dubitatione delendum est.

Ex quibus ceteri oriuntur] Verba haec puto redundare, & esse glossam alicujus, qui cum putaret hoc dici, plurimos fuisse filios Catonis Censorii, addiderit, ab iis filiis oriri ceteros Catones.

§. 39. *Post hos fuerunt P. Mucius & Brutus & Manilius, qui fundaverunt jus civile. ex his P. Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. & extant volumina scripta, Manilii monumenta. illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius, P. autem Mucius etiam Pontifex maximus.*

P. Mucius Scaevola Cos. fuit cum L. Calpurnio, & Pontifex maximus eo ipso anno, quo Ti. Gracchus interfectus est. Meminit Cicero multis admodum locis. Mortuus est phthiriasi. Auctor Plutarchus *in Sulla.* M. Junius Brutus tres solos veros de jure civili libros reliquit. Ceteri non habebantur γνήσιοι. Constat ex Cicerone *lib.* 2. *de Oratore cap.* 55. De M. Manilio Crassus apud Ciceronem *de Oratore lib.* 3. *cap.* 33. *Nos etiam vidimus M. Manilium transverso ambulantem foro, quod erat insigne eum qui id faceret facere civibus omnibus consilii sui copiam.* Crebra illius mentio apud Varronem *de Re rustica.* Haec omnia & alii notarant.

§. 40. *Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae Consul & Asiae Proconsul fuit.*

Hic Consul fuit cum M. Manilio. In Asia Asconius Quaestorem, Livius *lib.* 70. legatum fuisse scribit. Citatur saepe in jure: ut in *l. si habitatio* 13. §. *utrum D. de usu & habitat. l.* 1. *D. de arb. caedend. l.* 3. §. *ligna* 9. *D. de penu leg.* Fuit discipulus P. Mucii, scripsit historiam rerum Rom. Auctor Athenaeus *lib.* 6. & Paterculus *lib.* 2. *cap.* 9. & aliquot libros de vita sua, qui saepe citantur a Carisio, & Orationes complures. Alius est Rutilius Maximus, qui scripsit μονόβιβλον ad L. Falcidiam, ex quo superest tantum *l. si heres* 125. *D. de leg.* 1. Notaverat haec omnia summus JCtorum magister, Cujacius.

Paulus Verginius, & Q. Tubero, ille Stoicus, Pansae

sae auditor, qui & ipse Consul, etiam Sex. Pompejus, Cnaei Pompeji patruus, fuit eodem tempore: & Coelius Antipater qui historias conscripsit; sed plus eloquentiae, quam scientiae juris operam dedit.

Paulus Verginius] De hoc nihil usquam alibi traditum est; & puto nomen depravatum esse.

Pansae] Legendum, *Panaetii*.

Qui & ipse Consul] Crassus *lib.* 1. *de Oratore: Dies & noctes virum summa virtute & prudentia videbamus, philosopho cum operam daret.* Q. Tuberonem Cicero *in Bruto c.* 13. Stoicum & doctissimum in disputando fuisse dicit. *Cicero de jure civili. Nec vero scientia juris majoribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.* Citat Gellius *lib.* 1. *c.* 22. Vide Ciceronem *pro Murena ad finem.* Consul nunquam fuit.

Sex. Pompejus] Hic, ut ait *in Bruto c.* 47. Cicero, *praestantissimum ingenium contulit ad summam juris civilis, & ad perfectam Geometriae & rerum Stoicarum scientiam.*

Coelius Antipater] *L. Coelius Antipater scriptor*, ait *in Bruto c.* 26. Cicero, *ut illis temporibus, luculentus, fuit juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister.* Historiae majorem quam superiores vocis sonum addidit. Cicero *de Legib. lib.* 1. *c.* 2. *de Oratore lib.* 2. *c.* 12. Majorem operam dedit eloquentiae; quia id tum honoratius habebatur. Cicero *pro Murena cap.* 13. *Quapropter non solum illa gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est: verum etiam dicendi consuetudo longe & multum isti vestrae exercitationi ad honorem antecellit. Itaque mihi videntur plerique initio multo hoc maluisse: post cum id assequi non potuissent, istuc potissimum sunt delapsi, &, ut ajunt in Graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint: sic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerint, eos ad juris studium devenire.* Haec Cicero sibi fortassis blandiens. Hodie longe se aliter res habet.

Etiam Lucius Crassus frater P. Mucii qui Mucianus dictus est. Hunc Cicero ait JCtorum disertissimum.

Etiam Lucius] Legendum, *Publius*: est autem hic qui cognominatus est Dives.

Qui Mucianus dictus est] Usitata consuetudine in iis, qui

qui adoptabantur. Hunc, traditum est, *habuisse quinque bona maxima; quod ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod jurisconsultissimus, quod Pontifex maximus.* Auctor Gellius *lib.* 1. *cap.* 13.

Cicero ait Jurisconsultorum disertissimum] Ciceronis verba sunt in Bruto de L. Crasso, qui M. Antonii aequalis fuit, & de Scaevola: *Ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur.*

§. 41. *Post hos Q. Mucius, Publii filius, Pontifex maximus, Jus civile primus constituit, generatim in libros decem & octo redigendo.*

§. 42. *Mucii auditores fuerunt complures; sed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gajus Juventius: ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse, Servius dicit. Omnes tamen hi a Serv. Sulpicio nominantur: alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea ad omnes adpetant. denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum, sed Servius libros suos complevit, pro cujus scriptura ipsorum quoque memoria habetur.*

Jus civile primus constituit] Id est, ad quandam artis formam redegit. Hic filius fuit P. Licinii Muciani, de quo diximus modo; sed natus, antequam adoptaretur pater. Hujus meminit Cicero *lib.* 2. *de Legibus c.* 21. & saepe alias. Cicero se eo praeceptore usum dicit, *principio Laelii.*

Aquilius Gallus] Collega Ciceronis in praetura. Auctor ipse *pro Cluentio c* 53. Ab hoc primum prolata est formula de dolo malo. Cicero *lib.* 3. *de natura Deorum c.* 30. & *lib.* 3. *de Officiis c.* 14. Summe laudatur *in Oratione pro Caecina c.* 27. Ejusdem est stipulatio Aquiliana, de qua in *l. & uno* 18. §. 1. *D. de acceptil.*

Balbus Lucilius] Hujus meminit Cicero *in Bruto c.* 42. & *lib.* 8. *ad Atticum ep.* 9. Frater ejus, qui disputat in libris *de Natura Deorum.*

Sex. Papirius, C. Juventius] Corasius T. Juventium esse putat, quem Cicero *in Bruto c.* 48. *magna juris civilis intelligentia* praeditum fuisse ait; sed tempora non conveniunt.

A Servio Sulpicio nominantur] Qui eorum auditor fuit.

Ut ea ad omnes adpetant] Liber Vaticanus, *ut ea homines adpetant.*

Pro cujus scriptura] Libri quidam veteres, *pro cujus scripta*. lego igitur: *per cujus scripta.* Contrario errore in-

interdum ex *pro* factum est *per*, ut in *pr. l. bonae fidei emptor* 48. *D. de adquir. rer. dom. pervenerunt* pro *provenerunt.*

§. 43. *Servius cum in caussis orandis primum locum, aut pro certo post M. Tullium obtineret, traditur ad consulendum Q. Mucium de re amici sui pervenisse, cumque eum sibi respondisse de jure Servius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse, & a Q. Mucio responsum esse, nec tamen percepisse: & ita objurgatum esse a Q. Mucio. Namque eum dixisse*, turpe esse patricio & nobili, & causas oranti, jus in quo versaretur ignorare. *Ea velut contumelia Servius tractatus operam dedit Juri civili, & plurimum eos de quibus locuti sumus audiit: institutus a Balbo Lucio, instructus autem maxime à Gallo Aquilio qui fuit Cercinae. Itaque libri complures ejus extant Cercinae confecti. Hic cum in legatione periisset, statuam ei Populus Romanus pro Rostris posuit, hodieque extat pro rostris Augusti.*

Cumque eum sibi respondisse] Lego, *respondentem.*

Ea velut contumelia Servius tractatus] Lego, *tactus*, ut est in libro Vaticano.

Libri complures ejus extant Cercinae confecti] Cercina insula est prope Africam, in qua delituisse Marium, narrat Plutarchus. Sed neque Gallum, neque Sulpicium ibi versatum accepimus. Quare assentior Corasio, legendum hic *Cecinae*. Cecina oppidum in Etruria, cujus meminit Plinius *lib.* 3. *c.* 5. & Mela *lib.* 2. *c.* 4. Vide Ciceronem *pro Murena c.* 3. & *in Bruto c.* 49. & *lib.* 9. *Philippicarum.* Nihil de hoc Sulpicio amplius requires.

Hujus volumina complura extant: reliquit autem prope centum & octoginta libros.

§. 44. *Ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: Alfenus Varus, Gajus, Aulus Ofilius, Titius Caesius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, C. Atejus Pacuvius, Labeo Antistius, Labeonis Antistii pater, Cinna, Publicius Gellius.*

Ab hoc plurimi profecerunt] Alii libri, *ab hoc plurimi profecti profluxerunt.*

Alfenus] Alfenus, Cremonensis sutor, deinde JCtus. Acro. fuit & consul. Quem Gajum dicat, ignotum est. Ofilii uxor Clodia centum & quindecim annos vixit, quindecies enixa est. Plinius *lib.* 7. *c.* 48. De Caesio nihil: neque de Tucca, aut Namusa, Prisco aut Atejo. Labeo-

nem patrem Cicero non contemni solum, sed irrideri solitum narrat: filius insanus habitus est. Horatius *lib.* 1. *Serm. Sat.* 3. *vs.* 82.

— — Labeone insanior inter
Sanos dicatur. — —

Tacitus *lib.* 3. *c.* 75. hominem liberum & rectum fuisse dicit. De eodem videndus Gellius *lib.* 13. *c.* 10. *&c.* 12. De Publicio nihil reperi: sed constat, depravatam esse scripturam.

Ex his decem libros octo conscripserunt: quorum omnes qui fuerunt, libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius, ex quibus Varus & Consul fuit. Ofilius in equestri ordine perseveravit. is fuit Caesari familiarissimus, & libros de Jure civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. Nam de legibus Vicesimae primus conscribit.

Omnes qui fuerunt libri] Significat eos non omnes extare.

Auditoribus] Alii libri, *auctoribus*.

Consul fuit] Cum P. Vinutio Nepote anno U. C. DCCLV.

De legibus Vicesimae primus conscribit] Lego, *conscripsit*. Vicesima hereditatum primum augendi aerarii gratia extraneis heredibus nec inopibus, lege Julia, irrogata est. Dio *lib.* 55. Deinde Nervae, Trajani, Hadriani, Marci, & aliorum constitutionibus vel accisa, vel ex integro reducta, & ad postremum abolita est. Videndus Alciatus *lib.* 3. *c.* 6. *Dispunctionum*: qui tamen errore non vacat. Mentio Vicesimae *l. ult. C. de edict. div. Hadr. toll.*

De jurisdictione idem edictum Praetoris primus diligenter composuit. nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad Edictum subscriptos reliquit.

Eorum prior citatur in *lege* 5. §. 1. *D. de instit. actione.*

§. 45. *Fuit eodem tempore & Trebatius, qui idem Cornelii Maximi auditor.*

Trebatius] C Trebatius Testa.

Qui idem Cornelii Maximi auditor] Q. Cornelii Maximi auditor. Ita legendum. Goveanus.

Fuit.

Fuit Aulus Cascelius, Quintus Mucius, Volusii auditor: denique in illius honorem testamento Publium Mucium nepotem ejus reliquit heredem: fuit autem quaestorius: nec ultra proficere voluit: cum illi etiam Augustus consulatum offerret. Ex his Trebatius peritior Cascelio, Cascelius Trebatio eloquentior fuisse dicitur; Ofilius utroque doctior. Cascelii scripta non extant, nisi unus liber Benedictorum. Trebatii complures, sed minus frequentatur.

§. 46 *Post hoc qui Ofilio operam dedit. fuit autem patricius, & transiit a causis agendis ad Jus civile, maxime postquam Q. Ligarium accusavit, nec obtinuit apud Gajum Caesarem. Is est Q. Ligarius qui cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire: quo nomine eum accusavit, & Cicero defendit. Exstat ejus oratio satis pulcherrima, quae inscribitur, pro Quinto Ligario.*

Aulus Cascelius] Horatius *Art. Poet. vs.* 369.

—— —— Consultus juris & actor
Caussarum mediocris abest virtute diserti
Messallae: nec scit, quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est.

Q. Mucius, Volusii auditor] Coraslus: Q. Mucii Volesi. At Balduinus: Q Mucii & Volcatii auditor. Plinius enim ait, A. Cascelium Volcatii auditorem fuisse.

Post hoc] Lego, *hos.*

Oratio satis pulcherrima] Budaeus, *sane*, idque melius videtur; etsi illius quoque generis exempla quaedam reperiuntur: ut in *l.* 4. *D. de in integr. rest. Scio illud a quibusdam observatum, ne propter satis minimam rem vel summam, si majori rei vel summae praejudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat.*

Tubero doctissimus quidem habitus est Juris publici & privati: & complures utriusque operis libros reliquit. sermone etiam antiquo usus adfectavit scribere, & ideo parum libri ejus grati habentur.

§. 47. *Post hunc maximae auctoritatis fuerunt Attejus Capito, qui Ofilium secutus est, & Antistius Labeo, qui omnes hos audivit: institutus est autem a Trebatio. Ex his Attejus Consul fuit. Labeo noluit cum offerretur ab*

Augusto consulatus; quo suffectus fieret, & honorem suscipere; sed plurimum studiis operam dedit: & totum annum ita diviserat, ut Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet; & conscribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadraginta volumina; ex quibus plurima inter manus versantur. Hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt. Nam Attejus Capito in iis, quae ei tradita fuerant, perseverabat: Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinae, qui & ceteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit.

Antiquo usus] Budaeus, *versus*. male.

Attejus Capito] Improbum virum fuisse, ait Tacitus *lib.* 3. *cap.* 57. Ejus est definitio legis apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 20.

Antistius Labeo] Superioris filius.

Attejus Consul fuit] Cum Germanico Caesare. In Fastis tamen vocatur Fontejus.

Et honorem] Lego, *eum honorem*.

Labeo ingenii qualitate] Recte judicavit Budaeus, locum esse corruptum. Legendum, *acritate*. tale est *malitas*. *Metum accipiendum Labeo dicit non quemlibet timorem, sed majoris malitatis, lib. 5. D. quod met. caussa, sceleritas. Non enim facti sceleritatem esse obnoxiam, sed conscientiae metum, pr. l. ult. D. de bonis eorum qui ant. sent. mort. sib. consc.* Apud Nonium *deliritas*. Attius Neoptolemo: *Vis veritatis atque acritas.* Horatius *lib.* 1. *Serm.* 3. *vs.* 53. *Caldior est: acres inter numeretur.*

Qui & ceteris] Lego, *quia exceptis*. Quasi de libertis: qui ita praestabant operas, ut tamen aliquas sibi exciperent. *Nec audiendus est patronus, si poscat operas quas vel aetas recuset, vel infirmitas corporis non patiatur; vel quibus institutum vel propositum vitae minuatur. Suo victu vestituque operas praestare debere libertum Sabinus ad Edictum praetoris urbani lib. 5. scribit. Quodsi alere se non possit, praestanda ei a patrono alimenta. Aut certe ita exigendae sunt ab eo operae, ut iis quoque diebus, quibus operas edat, satis temporis ad quaestum faciendum, unde ali possit, habeat. ll.* 17. 18. 19. *D. de oper. lib.* Sicul. Flac. *de Conditionibus agrorum: Inscribuntur quaedam excepta, quae aut sibi reservavit auctor divisionis & assignationis, aut alii concessit.* Aggenus *de Limitibus*

agrorum: Est ager similis subsecivorum conditioni extra-clusus (id est exceptus) & non adsignatus. Idem: *De jure subsecivorum subinde quaestiones moventur. Subseciva autem ea dicuntur, quae adsignari non potuerunt. Hic et aliquando auctor divisionis aut sibi reservavit, aut aliquibus concessit.* Ut *subsicivae operae*, ita exceptae. Sapientia hoc loco, non jurisprudentia, sed philosophia intelligitur.

Et ita Attejo Capitoni Massurius Sabinus successit, Lageoni Nerva; qui adhuc eas dissensiones auxerunt. (Hic etiam) Nerva Caesari familiarissimus fuit. Massurius Sabinus in equestri ordine fuit; & publice primus scripsit.

Et ita] Deleo.

Massurius Sabinus] Persius *Sat* 5. *vs*. 90.

Excepto, si quid Massuri rubrica notavit.

Scripsit] Alii, *respondit*. male. Cicero in *Topicis cap*. 1. *Etenim cum tu mihi meisque multa saepe scripsisses, veritus sum, ne, si eo gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur.* Idem *pro Murena cap*. 9. *Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam solicitudinis ac stomachi secutus est, jus civile didicit, multum laboravit.* Idem *ad Trebatium Famil. lib*. 7. *ep*. 14. *Quodsi scribere oblitus es, minus multi jam te advocato causa cadent.*

Posteaque hoc coepit beneficium dari a Tiberio Caesare. Hoc tamen illi concessum erat.

Postea que] Lego: *Posteaquam hoc coepit beneficium dari. A Tiberio enim Caesare hoc tum illi concessum erat.*

Et ut obiter sciamus, ante tempora Augusti publice respondendi jus non a Principibus dabatur: sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant. Neque responsa utique signata dabant: sed plerumque judicibus ipsi scribebant, aut testabantur qui illos consulebant.

Non a principibus dabatur] A quibus enim principibus datum esset?

Consulentibus respondebant] Aut ambulantes transverso foro, aut in solio domi sedentes.

Testabantur qui illos consulebant] Id est, testes faciebant. *Solent testari liberi qui necessarii existunt, non animo heredis se gerere quae gerunt*, *l. pro herede* 10. §. 1. *D. de*

D. de acquir. hered. idem est *testatione complecti*, *l.* 2. *D. de naut foen. in testationem redigere*; *l.* 39 §. 1. *D de legat.* 3. *in testationem referre*, *l. non solum* 8. §. 1. *D. de oper. nov. nunciat.*

Primus D. Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit; ut ex auctoritate ejus responderent. Et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. Et ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo viri praetorii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis, hoc non peti, sed praestari solere; & ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se populo ad respondendum se praeparet.

Viri praetorii] Lego, *jurisperiti.*

Ergo Sabino concessum est a Tiberio Caesare, ut populo responderet; qui in equestri ordine jam grandis natu, & fere annorum quinquaginta receptus est: huic nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum a suis auditoribus sustentatus est. Huic successit Gajus Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quae fuit neptis Servii Sulpicii: & ideo proavum suum Servium Sulpicium appellat. Hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii; sed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eo usque donec eum Caesar civitate pelleret. expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano, diem suum obit.

Gajus Cassius Longinus] Hujus honorifica mentio est apud Plinium *in Epistolis*, *lib.* VII. 24.

Nervae successit Proculus; fuit eodem tempore & Nerva filius; fuit & alius Longinus ex equestri quidem ordine: qui postea ad praeturam usque pervenit; sed Proculi auctoritas major fuit. nam etiam plurimum potuit; appellatique sunt partim Cassiani, partim Proculejani; quae origo a Capitone, & Labeone coeperat. Cassio Caelius Sabinus successit, qui plurimum temporibus Vespasiani potuit. Proculo Pegasus, qui temporibus Vespasiani praefectus urbi fuit. Caelio Sabino Priscus Javolenus. Pegaso Celsus. Patri Celso Celsus filius, & Priscus Neratius, qui utrique consules fuerunt, Celsus quidem & iterum. Javoleno Prisco Aburnus Valens, & Tuscianus; item Salvius Julianus.

M. A. MURETI,

JCTI AC CIVIS ROMANI,

COMMENTARIUS

DE LEGIBUS, SENATUSQUE CONSULTIS, ET LONGA CONSUETUDINE.

A communibus incipiendum est: ait Aristoteles. Antequam igitur ad singularia veniretur, tradenda erant quaedam in genere de vi Legum ac SCtorum, deque ratione earum interpretandarum: tum etiam de Consuetudine: quae & est legum interpres, & ipsa vim legis in iis, quae lege comprehensa non sunt, obtinet. Ea hoc titulo continentur. Quae omnia libet initio ordine digesta sub uno aspectu ponere, ut ad ea facilius intelligenda via rudioribus muniatur. Primo ponitur ornata quaedam & illustris commendatio legum; quae explicatur, *l.* 1. & *l.* 2. Tum quae sit legis virtus, *l.* 7. Tertio, leges generaliter loqui, *l.* 8. Quod cum ita sit, non possunt complecti omnia quae accidunt in vita. Id traditur *l.* 10. & 12. Cum igitur non possint omnia comprehendere, quod proximum est, comprehendunt ea, quae plerumque accidunt, *l.* 3. 4. 5. 6. & 10. Quid igitur faciendum est, cum quid accidit eorum, quae legibus comprehensa non sunt? Hic traduntur duae viae. Una tutissima, ut consulatur Princeps, *l.* 11. Altera, ut is ipse, qui jurisdictioni praeest, de consilio prudentum aut interpretatione accommodet aliquam legem quae simili ratione nitatur ad id, quod acciderit, aut pro auctoritate sua statuat id, quod videbitur aequum & bonum, *l.* 12. 13. & 27. Sed quamquam eodem fere jure utuntur omnes in civitate, est tamen quoddam jus singulare; id definitur *l.* 16. Et de eo traduntur duo. Non posse nos in eo sequi regulam juris *l.* 15. & id ad consequentias producendum non esse, *l.* 14. SCtorum tertantum meminit, *l.* 9. 10. & 12. Et nihil de eis proprie

tra-

tradit, sed quae de legibus dicta sunt, de SCtis quoque accipi debent. Traditur inde ratio interpretandarum legum: & quoniam interpretari quae nescit, nemo potest, docemur quid sit scire leges, *l.* 17. Tum de eis interpretandis traduntur hae regulae. Totas considerandas esse, *l.* 24. Neque rationem earum semper quaerendam, *l.* 20. & 21. Interpretandas autem benignius, *l.* 18. & 25. & ita ut interpretatio vitio careat, *l.* 19. Neque mutanda quae semper habuerunt certam interpretationem, *l.* 23. Tum priores ad posteriores trahi, & contra, *l.* 26, 27. 28. Attendendam in eis interpretandis consuetudinem & res judicatas, *l.* 37. & 38. Inseritur haec quoque regula, leges quae in praeteritum quid indulgent, ita interpretandas esse, ut idem in futurum vetare intelligantur, *l.* 22. Illud quoque ad interpretandi rationem pertinet, quod docetur, quid sit facere contra legem, & quid facere fraudem legi, *l.* 29. & 30. Ac ne quis ita leges interpretaretur, ut principem quoque eis adstringi crederet, monemur, eum legibus solutum esse, *l.* 31. De consuetudine disputatur a *l.* 32. usque ad 39. *Lex* 40. continet ἀνακεφαλαίωσιν quandam ante dictorum; *lex ult.* quandam divisionem juris privati. Sed cum jus civile constet ex Legibus, Plebiscitis, SCtis, Edictis magistratuum, Responsis Prudentum, Constitutionibus Principum, & diuturna Consuetudine: quid causae est, cur tres modo partes hic proponantur? Respondeo. Plebiscita vocantur leges, ut lex Aquilia, lex Voconia, lex Manilia, leges Semproniae. Edicta ipsa quoque sunt leges annuae. De Responsis Prudentum dictum est *superiore titulo.* De Constitutionibus Principum dicetur *titulo proximo.* Haec visum est non alienum ita principio ὑποτυπῶσαι, quae deinde accuratius διαγράψομεν. Quo autem ordine leges proposuimus, eum fere in interpretando sequemur.

L e x I.

Papinianus Lib. I. Definitionum.

Lex est commune praeceptum: virorum Prudentium consultum: delictorum, quae sponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio: communis reipublicae sponsio.

Non est haec, si proprie loqui velimus, legis definitio;

tio: neque Demosthenes, ex quo haec conversa sunt, cum ea diceret, hoc sibi proposuerat, ut legem definiret, sed potius ut eam ornaret ac commendaret, ostenderetque, quam diligenter conservanda esset in civitate. Neque Cicero *lib.* 2. *de Orat.* c. 9. cum vocat historiam testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, dicendus est historiam definire, sed laudare. Ne descriptiones quidem vocandae sunt hujusmodi exornationes. Et quod vulgo descriptiones vocant definitiones minus accurate factas, faciunt imperite. Sed philosophi quidem definitionem eam modo orationem vocant, quae ex genere & differentia (ita enim vocant formam, qua unaquaeque species ab aliis omnibus differt) rei propositae naturam explicat. Ceteri scriptores interdum popularius loquentes, omnem orationem, qua quoquo modo quid res aliqua sit exponitur, definitionem appellant. Est autem longe aliud dicere quid sit homo, aliud quid sit τὸ εἶναι ipsius hominis, sive, ut Plato dicebat, αὐτοάνθρωπον. Sed non est hic locus de talibus disserendi. Hoc agamus. Ait:

Lex est commune praeceptum] Non enim huic aut illi, sed omnibus in commune praecipiunt leges; & hoc est, quod dicitur *l.* 8. *D. hoc tit. jura generaliter constitui.* Est, qui objiciat, esse leges quasdam de singulis civibus conceptas, ut cum lex lata est de imperio Gn. Pompeji, de reditu Ciceronis, de caede P. Clodii. Cui respondendum est, illa privilegia esse, non leges: neque leges, nisi translato nomine, vocari. Nos hic tantum de illis legibus loquimur, quae, ut Imperatores ajunt, *constringunt hominum vitas, quae ab omnibus intelligi debent, ut earum praescripto inhibita declinent, permissa sectentur: l. leges* 9. *C. de legibus.* Haec autem duo verba, *commune praeceptum*, non leguntur in his verbis Demosthenis, quae citantur infra *lege proxima*, ex quibus tamen constat haec expressisse Papinianum. Sed Demosthenes paulo supra ea, quae illic citantur, vocat legem κοινὸν πρόσταγμα, id est, *commune praeceptum.* Ait:

Virorum prudentium consultum] Aristoteles *lib.* 1. *de arte dicendi* commendat leges tribus nominibus; quod latae sint a viris prudentibus; quod illi, antequam quidquam constituerent, diu ac multum cogitarint: postremo quod neque gratia, neque odio, neque denique ulla

ejus-

ejusmodi re deflecti a vero potuerint, cum de futuris statuerent, & in commune, non de hoc aut illo, in quem bene aut male affecti essent. Ideoque *lib* 3. πολιτικῶν vocat legem νοῦν ἄνευ ὀρέξεως. Ceterum quod hic viri tantum nominantur, ex eo Bartolus & alii colligunt, mulieres in legibus ferendis non habere jus suffragii, neque adhibendas esse in consilium, ubi agitur de republica legibus temperanda. Videlicet periculum erat, nisi hoc monuissent, ne crederemus, olim mulieres in campum Martium ad comitia, aut in curiam ad sententiam dicendam convenire solitas esse. Mihi quidem haec legenti venit in mentem eorum, quae apud Aristophanem urbanissime disputantes inducuntur Atticae mulieres, sibi, cum rem familiarem optime administrent, etiam rempublicam gubernandam debere committi. Equidem fateor verum esse, quod Bartolus tradit: scio enim feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotas esse, *l.* 2. *D. de regulis juris*; idque moribus, id est, jure gentium, receptum esse, *l.* 1. § 1. *D. ad SCtum Vellejan.* Sed id hac lege probari nego; primum, quodsi verborum vim ita subtiliter considerare velimus, ut excludamus feminas, quia hic nominantur viri, poterit id argumentum in nos retorqueri: cum Demosthenes, ex quo versa haec sunt, utatur non ἀνδρῶν nomine, sed ἀνθρώπων, quo etiam feminae continentur. Deinde quod eodem modo concludi posset, solos prudentes debere convenire ad suffragia ferenda: quod si fieret, non sane valde premerentur in turba. At hoc quidem cavillari est. Fuisse quidem legimus gentes quasdam, apud quas mulieres & de summa republica consulerentur, & judiciis praeessent. Et Gallos Germanosque plurima maximaque olim de mulierum consilio gessisse ex Caesare, Tacito, & aliis notum est. Sed haec & talia (alieniora enim sunt) omittantur. Ait:

Delictorum, quae sponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio] Coërcitionem dicit ἐπανόρθωμα: unde suspicantur quidam legendum, *correctio*, quod & mihi aliquando videbatur. nunc satius esse duco nihil mutare. nam *coërcere* est ea, quae aequa non sunt, sed exstant ac turgent, comprimere, & ad aequalitatem redigere: quae significatio huic loco aptissima est. Quod ait: *delicta vel sponte vel ignorantia contrahi*, Plato existimabat, neminem

sponte peccare: neminem enim sibi inimicum esse, aut sponte facere id, ex quo ipse praecipue laedatur. Is autem, qui peccat, neminem aeque laedit ac se ipsum. Laedit enim alterius corpus fortasse aut fortunas; at animum suum laedit ac depravat: quae praestantissima est hominis pars, & nobilissima. Omnes igitur qui peccarent, ignoratione peccare, & notus est versus antiquus: Οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ. Sed illam opinionem multis locis confutat Aristoteles, ac praecipue in *lib.* 3. *Ethicorum.* Verius est, omnia quae fiunt ab hominibus, aut sponte fieri, aut ab invitis. Sponte fieri ut dicatur aliquid, duo requiruntur. Primum, ut vis ac necessitas absit, ita ut liberum sit vel non facere: deinde ut adsit cognitio eorum omnium, in quibus actio consistit: id est, ut sciat qui agit, quid agat, in quem agat, quo quasi instrumento agat, & similia. Horum alterutrum si abfuerit, quod ita factum est, non sponte factum esse dicetur. Sed intelligendum est aliud esse, non sponte facere, aliud invitum facere. Neque enim quisquis non sponte fecit, invitus fecisse dicendus est. Ubi vis adhibetur, is demum plane invitus facit, qui ad vim extrinsecus adhibitam nihil ipse omnino confert, ut si per vim dejectus, aut casu lapsus e tecto ruina mea aliquem obtrivero. Sin ipse quoque aliquid conferat, non agit quidem omnino sponte, sed non agit invitus. Qui merces levandae navis caussa in mare projiciunt, non plane sponte agunt: quis enim res suas sanus sponte projiciat? Sed ne prorsus inviti quidem: liberum est enim eis simul cum eis mergi, si velint; at illud malunt: sponte igitur, ut vitam periculo eripiant, mercium jacturam faciunt. Imperat aliquid servo dominus, pater filio in potestate posito? Qui ita obsequitur, non creditur velle, *l. acquiri natura* 19. *D. de neg. gest. l.* 4. *D. de divers. reg. jur. Ejus* enim *est velle, qui potest & nolle*, & contra *l.* 3. *D. de divers. reg. jur. l.* 4. *D. de adquir. vel. om. hereditate.* Sed tamen non dicitur plane nolle: imo vero hoc malle. Itaque si filiusfamilias coactus a patre eam duxerit, quam ducturus non erat, si sui juris fuisset, quamquam inter invitos matrimonium non contrahitur, *l. filiofam.* 13. *D de sponsal. l. non cogitur* 21. *D. de ritu nupt. l. nec filium* 12. *C. de nupt.* hoc tamen casu contractum intelligetur. creditur enim hoc maluisse, *l. si*

l. *si patre* 22. *D. de ritu nupt.* In iis autem, quibus poena aliqua lege proposita est, hac distinctione utimur, ut quae atrocia non sunt, neque naturali seu gentium, sed tamen civili aliquo jure prohibita, in iis si servus domino, patri filius, qui in potestate est, pareat, excusetur. Qui duxit eam, quae virum non eluxit, infamis est; at non si id fecerit jussu ejus, cujus potestate continebatur, *l.* 1. *& l. liberorum* 11. *D. de iis qui not. infam. Heres qui tacitam fidem contra leges accommodavit, in ea parte, in qua fraudem adhibuit, non utitur Falcidia, l. heres* 11. *D. de iis quae ut indign. aufer.* contra tamen in servo qui domini, aut filiofam. qui patris imperio in eo obtemperarit, *l. si tacitum* 13. *D. ad L. Falc.* Secus in iis, quae habent facinoris atrocitatem, *arg. l. ad ea* 157. *D. de div. reg. jur. Servus enim non in omnibus sine poena domino dicto audiens esse solet, l. servus* 20. *D. de oblig. & act.* non enim in facinoribus ei obedire debet, *l. si mulier* 21. §. 1. *D. de act. rer. amot.* Quae plane per vim facta sunt, id est, οὐδὲν συμβαλλομένου τοῦ πράττοντος, ἢ τοῦ πάσχοντος, nulla lege puniuntur: in iis ubi & vis quaedam fuit, & tamen aliquid etiam contulit is, cui ea vis adhibita est, varie statuitur pro qualitate facti, & prout aut major, aut minor ea vis fuit. Sed Papinianus de iis, quae per vim fiunt, nihil hoc loco dixit: credo, quod quae simpliciter & absolute coactus fecit aliquis, ea nulla lege, ut & ante diximus, puniantur. Eorum modo meminit, quae per ignorantiam fiunt: & in hoc discessit non nihil a Demosthene, qui, ut mox videbimus, dixerat ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων, id est, eorum quae sponte aut ab invitis contrahuntur. Ignorantia duplex est, juris & facti.

Ignoratio juris in delictis nunquam ad excusationem valet. neque enim ferendus sit, qui adulterii caedisve convictus neget se scivisse id non licere, nisi sit tale aliquid, quod jure tantum civili prohibitum sit: nam in iis, quae jure gentium prohibentur, haec excusatio nunquam locum habitura est, *l. si adulterium* 38. *D. ad legem Jul. de adult. l ult. D. de ritu nupt. l.* 2. *C. de in jus voc.* Ignorantia facti ita demum excusat, si careat culpa. Quodsi negligentiae culpaeve conjuncta sit, puniuntur quae ita facta sunt, pro modo culpae, modo gravius, modo mitius. Et hoc probant ea omnia jura, quae in hunc locum ab interpretibus congeruntur. Sed hanc totam di-

sputationem paucis verbis praeclare complectitur Aristoteles *principio lib. 3. Ethicorum.* Addit Papinianus, *communis reipublicae sponsio.* Nam & ferebantur leges communibus suffragiis populi, & fere in eas jurabatur. Sponsionem dicit συνθήκην: pro quo Hermogenianus *conventionem, l. sed & ea 35. infra hoc titulo.*

LEX II.

MARCIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM:

Nam & Demosthenes orator sic definit:

Τοῦτ' ἐστὶ νόμος, ᾧ πάντας ἀνθρώπους πείθεσθαι προσήκει, διὰ πολλά, καὶ μάλιστα, ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεοῦ, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων. ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει.

Demosthenes.] In *priori adversus Aristogitonem Oratione.*

Definit] Improprie utitur verbo *definiendi.*

Ἀνθρώπων] Vox ἀνθρώπους non legitur apud Demosthenem.

θεοῦ] Apud Demosthenem est θεῶν: quod verisimile est a Triboniano mutatum fuisse.

Εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν] Fuit haec perpetua piorum opinio, bona omnia divinitus hominibus dari. Leges referebant ad Themin, aut etiam ad Cererem, quam ob id Virgilius *lib. 4. Aen. vs. 58. legiferam* vocat, & cujus sacra vocabantur Thesmophoria. Ovidius *lib. 1. Metam. vs. 343.*

Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

Callimachus, πτολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε. Plato *principio Legum:* Θεὸς, ἤ τις ἀνθρώπων ὑμῶν, ὦ ξένοι, εἴληφε τὴν αἰτίαν τῆς τῶν νόμων διαθέσεως; Θεὸς, ὦ ξένε, θεὸς, ὥς γε τὸ δικαιότατον εἰπεῖν, παρὰ μὲν ἡμῖν Ζεύς, παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις, ὅθεν ὅδε ἐστίν, οἶμαι φάναι τούτους Ἀπόλλωνα.

Συνθήκη κοινή] Aristoteles *lib. 3. Politicorum* Lycophronem hujus appellationis auctorem facit.

Τοῖς ἐν τῇ πόλει] Non enim potest una civitas alteri leges ferre.

Sed & philosophus summae sapientiae, Chrysip-

sippus, *sic incipit libro*, *quem fecit* περὶ νόμου· Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων.

Incipit] Puto legendum tantum *in*: & illud *cipit* delendum.

Ὁ νόμος] Pindari hoc quidem est. Plato *in Gorgia*: Δοκεῖ δέ μοι καὶ Πίνδαρος ἅπερ ἐγὼ λέγω, ἐνδείκνυσθαι ἐν τῷ ᾄσματι, ἐν ᾧ λέγει, ὅτι νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων. Citat haec & Plutarchus tum *in Demetrio*, tum ἐν τῷ πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον. Euripides *Hecuba* *vs.* 798.

> Ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε, κἀσθενεῖς ἴσως.
> Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, χ' ὁ κείνων κρατῶν
> Νόμος.

Legem autem, errore ducti, vocabant necessitatem quandam fatalem, cui ne Deos quidem posse obsistere putabant. Simonides: ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.

Itaque *Iliados* π. dolet Jupiter, se non posse eripere Sarpedona morti imminenti: quod ita fataliter constitutum sit. Et *Iliados* χ. prope idem de Hectore dicitur: & apud Virgilium simile quiddam de Turno. Illam igitur necessitatem vocabant legem, id est, θεσμὸν τὸν νόμον Ἀδραστείας. Quo modo *in Phaedro* & *in Timaeo* loquitur Plato. Eandem vocabant providentiam, & Jovem, & mundi opificem. Plutarchus: Θεμιστοῖς(?) καὶ δημιουργὸν πάντων μετ' ἀνάγκην. Τὴν αὐτὴν δὲ εἶναι καὶ εἱμαρμένην, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν, καὶ ἁρμονίαν. Plato eam vocat λόγον ἀΐδιον καὶ νόμον τὸν τῆς τοῦ παντὸς φύσεως. Chrysippus, νόμον τὸν ἐν τῷ κόσμῳ(?) ... διατεταγμένον. Hoc igitur sensu dicebant, legem esse dominam divinarum humanarumque rerum. Sed Stoici, quod de illa aeterna lege dicebatur, etiam ad eas leges, quibus civitas regitur, accommodabant.

Δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην μὲν εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον.

Τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων] Fortasse melius legeretur, τοῖς φύσει πολιτικοῖς ζώοις.

Προστακτικὸν] Haec postrema verba citantur & a Stobaeo ἐν τῷ περὶ νόμων καὶ ἐθῶν. & multis admodum locis a Cicerone conversa extant. Legis igitur virtus posita est in imperando & in vetando: ut dicitur infra *leg.* 7

hac

Hoc. tit. quam, quia cum his verbis mirifice cohaeret, simulque quoniam unaquaeque res definiri debet ἐκ τοῦ ἰδίου ἔργου. ἔργον δὲ ἀποτελεῖ ἡ ἑκάστου ἀρετή, & eatenus est unumquodque, quatenus ἐνεργεῖ, ut Aristoteles docet, neglecto Triboniani ordine, hoc loco interpretabor.

LEX VII.

MODESTINUS LIB. I. REGULARUM.

Legis virtus haec est, imperare, vetare, permittere, punire.

Imperantur bona: vetantur, & poenis coërcentur mala: permittuntur μέσα, sive ἀδιάφορα. Quae imperat lex, facere omnes debent: quae vetat, nemo: quae permittit, ea vel facere liberum est, vel omittere: punitur autem, si quis, quod lex imperat, non fecerit; si quod vetat, fecerit; si quod permittit, id facere alium injuriose prohibuerit. Quae omnia exemplis illustranda sunt. Imperabat lex, ut omnes cives quinto quoque anno censerentur. Id si quis facere neglexerat, publice vendebatur. Terentius *in Phorm. Act. 1. sc. 2. vs. 75.*

> *Lex est, ut orbae qui sint genere proximi*
> *Iis nubant, & illas ducere eadem lex jubet.*

Imperabat lex Athenis, ut pater arte aliqua filium imbuendum curaret. Id qui non fecerat, eum filius senem alere non cogebatur. Vetabat Lex Romuli, ne mulier vinum biberet: quae secus fecisset, impune a viro occidi poterat. Vetat lex, ne quis famosum carmen in alium scribat, ne pecuniam ob rem judicandam accipiat, & talia. Horum qui quid fecerit, poena in eum constituta est. Vetat, ne quis cum pupillo sine tutoris interventu contrahat: si quis secus fecerit, ipse obligatur; pupillus non obligatur. Permittebat lex patribus ter filios vendere. Id ergo & facere, & non facere licebat. Permittebat creditoribus debitoris non satisfacientis corpus dissecare. Permittit patribusfamilias testamenti factionem: sive fecerit quis, sive non fecerit testamentum, adversus legem non facit. Sed si quis alium prohibere velit, ne quid eorum faciat, quae legibus permissa sunt, satis constat, judicium in eum dari. At cum legislator bonos ci-

ves efficere cupiat, *non tantum poenarum metu, sed etiam praemiorum exhortatione*, ut dictum est, *l.* 1. §. 1. *D. de just. & jur.* non immerito fortasse dicere posſit aliquis, omisſum hic quiddam esſe a JCto. Nam lex non tantum imperat, vetat, permittit, punit; verum etiam praemium interdum proponit, ſi quis quid fecerit. Neque ſane videtur hoc legis virtutes enumeranti omittendum fuisſe. Sive autem imperet lex, ſive prohibeat, ſive permittat, ſive puniat, non de ſingulis hominibus loquitur, neque de ſingulis actionibus: ſed concipitur generalibus verbis. Atque hoc eſt, quod ſtatim ſubjicitur ex Ulpiano.

Lex VIII.

Ulpianus Lib. III. ad Sabinum:

Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.

Non enim vetat lex, ne hic adulterium cum hac muliere faciat: ſed omnino, ne quis adulterium faciat: eodemque modo in ceteris ὁ πολιτικὸς νόμος, ait Plutarchus *in libro de fato*, περί τε ἀριστείας καὶ λειποταξίου διαλέγεται, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὁμοιότης, ἀλλ' οὐ περὶ τοῦδε ἢ τοῦδε. Idemque eſt in praeceptis ceterarum artium, quae Plato leges artium esſe dicit. Non enim docet Hippocrates aut Galenus, quid huic aut illi aegrotanti dandum ſit: ſed quid omnibus hoc aut illo morbo laborantibus. Nam quae praecipiuntur, finita esſe oportet. Singularia autem ſunt infinita. Jam cum quaedam ſint, ait Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethicorum*, de quibus generaliter recte praecipi non poteſt, ejusque generis ſint actiones hominum, ſit, ut generalibus legum verbis non posſint omnia, quae aliquando eveniunt, comprehendi. Ideoque ſaepe contingit, ut propter aequitatem a verbis legis recedendum ſit. Exempli causſa: Lex eſt, ut qui muros tranſcenderit, capite puniatur, *l. ult. D. de rerum divis.* Cum urbs obſidione premeretur, aliquot viri fortes, a moenibus magnam rei bene gerendae occaſionem conſpicati, cum longum esſet per portas egredi, veriti, ne eam amitterent, demiſerunt ſe per muros, &, multis hoſtibus caeſis, urbem liberarunt. Poſcuntur ad ſuppli-

cium.

cium. Si verba legis inspicias, supplicio afficiendi sunt. Sin aequitatem, quae praevalere debet, honore ac praemiis prosequendi. Atque hoc si providere potuisset legislator, addidisset sine dubio generali regulae & hanc & alias exceptiones. Sed non possunt omnia legibus comprehendi. Et hoc est, quod docemur *l.* 10. & *l.* 12. his verbis:

LEX X.

JULIANUS LIB. LIX. DIGESTORUM:

Neque leges, neque SCta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur; sed sufficit & ea, quae plerumque accidunt, contineri.

LEX XII.

IDEM LIB. XV. DIGESTORUM:

Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut SCtis comprehendi. Sed cum in aliqua caussa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.

Idcirco autem conjunguntur hic SCta cum legibus, quia ipsa quoque legum vim habent, ut docet Ulpianus his verbis:

LEX IX.

ULPIANUS LIB. XVI. AD EDICTUM:

Non ambigitur, Senatum jus facere posse.

Quod quidem antiquis illis temporibus, quibus florebat respublica, quin verum fuerit, ne dubium quidem est. Itaque Horatius *lib.* 1. *epist.* 16. *vs.* 40. in bono viro describendo SCta conjunxit cum legibus:

—— —— —— Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat.

Sed & postea quamvis omnibus ad unius potestatem redactis boni tamen principes nihil fere nisi ex Senatus aucto-

auctoritate statuebant. Ostendunt hoc & Historicorum libri, & pleraque omnia SCta, quae commemorantur in jure Imperatorum temporibus facta, Silanianum sub Augusto, Vellejanum sub Claudio, Trebellianum sub Nerone, Pegasianum sub Vespasiano, Junianum de collusione detegenda sub Domitiano, & sub aliis alia. SCtorum etiam auctoritas confirmatur *l. humanum* 8. *C. eod. tit.* & *l. unica C. de SCtis.* Hodie autem cum Senatus nullus sit, quaerere, num Senatus jus facere possit, supervacaneum videtur. Legibus igitur, aut SCtis, aut etiam Constitutionibus, ut omnes casus comprehendantur, fieri nullo modo potest: sed, quod proximum est, comprehenduntur ea, quae plerumque eveniunt. Idque satis est. Quid enim attinet leges ferri de iis, quae ita raro eveniunt, ut prope pro eo sit, ac si numquam evenirent? Hoc igitur docemur *l.* 3, 4, 5, 6. & posterioris parte *l.* 10. quas breviter percurremus.

Lex III.

Pomponius Lib. XXV. ad Sabinum.

Jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his quae ἐπὶ τὸ πλεῖον, non quae ἐκ παραλόγου.

Exstat elegantissimum dictum Agathonis apud Aristotelem περὶ ποιητικῆς: Εἰκὸς γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός. Sed si quis de iis quoque, quae παρὰ τὸ εἰκὸς accidunt, leges ferre instituat, & in immensum excrescet legum multitudo, quae sic quoque nimium magna est, & tamen ne sic quidem res exitum habitura est. Huc autem accommodari potest dictum Solonis, qui interrogatus, cur nullum supplicium constituisset in parricidas, respondit, se nunquam eventurum putasse, ut quisquam a quo vitam accepisset, ei vitam eriperet. Lycurgus quoque nullam poenam statuerat in adulteros; quia sibi videbatur ita instituisse rempublicam suam, ut credibile non esset, quemquam Lacedaemone adulterum fore. Ergo Geradas quidam Spartanus interrogatus, quomodo apud cives suos punirentur adulteri? Ne est quidem apud nos, inquit, adulter ullus. Quid? si quis exilteret? Cogeretur, inquit, bovem exsolvere ita magnum, ut Taygetum montem capite supergressus biberet ex Eurota. At que-

quomodo ullus tantus bos reperiri posset? Quomodo autem, inquit, o hospes, ullus Lacedaemone adulter existere? Haec ita Plutarchus *in Lycurgo*.

LEX IV.

CELSUS LIB. V. DIGESTORUM:

Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.

Multa exempla confingi possunt. Mulieri, quae pro alio intercesserit, SCto Vellejano subvenitur, *l.* 1. *D. ad SCtum Vellejanum.* Quid? si mulier intercesserit; deinde in marem conversa sit, num sic quoque SCti beneficio utetur? Nam posse quidem id evenire, veteres putabant: ut ostendunt haec Plinii *lib.* 7. *cap.* 4. *Ex feminis mutari in mares non est fabulosum. Invenimus in annalibus P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusae fuisset: nupsisse etiam: mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Ejusdem sortis & Smyrnae puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium, civem Tisdritanum.* Haec Plinius. Neque desunt qui scribant, talia quaedam & nostra & patrum memoria contigisse. Si quis tamen vere ac proprie loqui velit, illa non conversio, neque mutatio dicenda est; sed tantum quarundam corporis partium, quas caloris naturalis imbecillitas absconditas tenuerat, detectio & patefactio. Item pupillaris substitutio evanescit, cum mares ad quartum decimum, feminae ad duodecimum aetatis annum pervenerint, *l.* 2. *D. de vulg. & pupill. substit.* Quid? si quae femina habebatur mortis tempore, in marem postea mutata sit, quando substitutionem evanescere dicemus? Haec & talia in jure definita non reperiuntur: quia, quamvis forte uno aliquo casu accidere possunt, tamen ita raro eveniunt, ut prope habeantur pro fabulosis.

LEX V.

IDEM LIB. XVII. DIGESTORUM:

Nam ad ea potius debet aptari jus, quae & frequenter & facile, quam quae perraro eveniunt.

Non dicit de iis, quae raro eveniunt, sed de iis, quae perraro. Nam & de quibusdam, quae raro eveniunt, jure aliquid definitum est, ut de muliere tergeminos pariente; ut de insulis, quae enascuntur in mari, & similibus. Sed de iis, quae perraro eveniunt, nihil jure statuitur. Atque hoc recte notavit Aleiatus *lib. 2. Dispunct. cap. 8.*

LEX VI.

PAULUS LIB. XVII. AD PLAUTIUM:

Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, ut ait Theophrastus, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται.

Et hoc, & quod superius ex Theophrasto allatum est, credibile est, sumptum ex libro ipsius περὶ νόμων. Sed haec lex ut plene intelligatur, conferenda tantum est cum *l. sed & si restituatur* 28. §. *ult. D. de jud.* & cum *l. antiqui* 3. *D. Si pars hered. pet.* Non igitur omnia, quae evenire possunt, comprehenduntur legibus: *sed*, ut scriptum est ad finem *l.* 10. *sufficit ea, quae plerumque accidunt, contineri.* Quid igitur faciendum est, cum quid accidit, quod legibus comprehensum non est? Duae viae traduntur, quarum alteram sequi oportet. Earum prior tutissima est, ut consulatur princeps: de quo ita scriptum est *l.* 11.

LEX XI.

ULPIANUS LIB. XC. DIGESTORUM:

Et ideo de iis, quae primo constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi Principis certius statuendum est.

Verbum *constituuntur* hoc loco mihi suspectum est;

libenterque pro eo legerem *contingunt*. Sed ne quid temere mutem, retinebo usitatam scripturam: exponamque cum Accursio *constituuntur*, id est, accidunt de novo. Utrumque autem verbum, & *interpretatione*, & *constitutione* ad Principem refero: ut hoc dicat, cum quid accidit, de quo nihil nominatim lege definitum est, consulendum esse Principem; qui consultus alterum de duobus faciet: aut enim interpretatione sua declarabit veterem aliquam legem ad eum quoque casum pertinere, aut nova constitutione quid in judicando sequi debeamus ostendet. Illustremus hoc exemplis. Lege Julia de adulteriis cautum erat, ut patri adulterum in filia deprehensum occidere liceret, dum utrumque occideret. Quodsi alteri tantum necem attulisset, ut lege Cornelia teneretur. Quidam occiso adultero filiam ita vulneraverat, ut pro mortua reliquisset. ea tamen evaserat. Dubitabatur, num lege Cornelia teneretur. Consulti Divus Marcus & Commodus rescripserunt, legi Juliae etiam hoc modo satisfactum esse, *l. nihil interest* 32. *D. ad Leg. Jul. de adult. coërc.* Lex Julia peculatus eos, qui pecuniam publicam intervertissent, puniebat. Erant qui, cum res civitatum diriperent, ea lege se teneri negarent; planeque non tenebantur. Bona enim civitatum non dicuntur publica, nisi abusive; cum civitates habeantur privatorum loco, *l. bona civitatis* 15. cum *l. seq. D. de verb. sign.* Consulti igitur Divi Trajanus & Hadrianus constitutione sua hos quoque peculatus crimen committere declararunt, *l.* 4. §. *ult. D. ad L. Jul. pecul.* Praeses provinciae interdicere potest ea tantum provincia, quam regit; alia non potest. Quidam cum aliunde oriundi essent, alibi domicilium haberent; cum eis interdictum esset ob delictum aliquod ea provincia, quam incolebant; conferebant se in locum originis suae, atque ita ex delicto suo nullum incommodum sentiebant. Consulti Principes constituerunt, etiam ea provincia interdici posse, unde quis oriundus est, ab eo, qui regit eam provinciam, ubi quis domicilium habet, *l. relegatorum* 7. §. *interdicere* 10. *D. de interdict. & releg.* Pleni sunt juris libri exemplorum talium, ubi cum quid acciderat, de quo satis jure cautum non esset, Principes consuluntur. Exstant etiam ejus moris exempla & plurima & pulcherrima *lib.* 10. *Epistolarum* Plinii. Ait:

Certius statuendum est] Nam etsi potest ipse quoque, qui jurisdictioni praeest, per se, adhibito Prudentum consilio, in ejusmodi casibus aliquid statuere, certius tamen est, quod a Principe, tanquam ab oraculo, manat. Posse autem ipsum quoque a similibus ad similia procedere, ostendit idem Ulpianus *l. seq.* ubi cum dixisset, *non posse omnes articulos singillatim aut legibus aut SCtis comprehendi*, addit:

Sed cum in aliqua caussa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere atque ita jus dicere debet.

Exemplum sumi potest ex *l. ex facto* 30. *D. de negot. gest.* ex *l. ex facto* 43. *D. de vulg. & pupill. substit.* & similibus. *Aequitas*, ait Cicero *Topic. cap.* 4. *paribus in caussis paria jura desiderat.*

LEX XIII.

ULPIANUS LIB. I. AD EDICTUM AEDILIUM CURULIUM:

Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cetera quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri.

Utilitatem dicit aequitatem, & sic saepe in jure accipitur, ut *l. jus singulare* 16. *D. hoc tit.* & *l.* 2. *tit. proximo. l.* 1. *D. de in integr. rest.* & saepe alibi: & inde utiles actiones, quae civilibus deficientibus propter eandem utilitatem, id est, propter aequitatem a Praetore dantur: Jurisdictionem autem auctoritatem ipsius jus dicentis, ut Praetoris, aut Praesidis provinciae.

LEX XIV.

PAULUS LIB. LIV. AD EDICTUM:

Quod vero contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.

Quod jure communi receptum est, interdum ad consequentias producitur, cum eadem aequitas suadet: ut superiori capite dictum est. At non idem est in eo, quod

receptum est contra rationem juris, id est, in jure singulari; neque enim hoc quoque produci debet: *Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi*, *l.* 162. *D. de reg. jur.* Haec autem ipsa Pauli verba repetuntur, *l. quod contra* 141 *D. de reg. jur.* Quae cum sint ex libro Pauli 54. ad Edictum, quo toto ille de possessionum generibus deque usucapione disputaverat, exemplum ad ea illustranda accommodatissimum hoc erit: Per servum regulariter nobis ignorantibus non adquiritur possessio. Si tamen ei peculium habere permiserimus, ex peculiari causa quidquid quaesierit, id nobis etiam nescientibus adquiret, *l.* 1. §. 3. *l.* 3. §. 12. *l.* 4. *D. de adquir. possess. l.* 2. §. *Celsus* 11. *D. Pro emptore.* Atque hoc utilitatis causa jure singulari receptum esse, diserte testatur Papinianus, in *l. peregre* 44. §. *quaesitum est* 1. *D. de adquir. possess.* Quod cum ita sit, non est producendum ad consequentias, tantumque in peculiari caussa valebit. Aliud exemplum: Fideicommissaria libertas relicta est a filio, postquam ad certam aetatem pervenisset. filius ante eam aetatem decessit. Quaeritur, num conditio defecisse videatur, an heres filii, adveniente die, libertatem praestare debeat? Et placet, libertatem sic quoque praestandam esse, *l. fideicommissaria* 10. *C. de fideicommiss. libert.* Num in aliis fideicommissis idem respondebimus? Minime vero. est enim jure singulari receptum, ut testatur Papinianus *l. fideicommissaria* 23. §. *etiam* 3. *D. de fideicomm. libert.* Idem etiam dicendum in scripturis directis, *l. si ita scriptum fuerit* 16. *D. de manum. testam. l. si servus* 19. *D. de statu lib.* Aliud: Qui servum cum libertate heredem instituerat, ejusdem instituti patrem aut matrem aut fratres naturales Titio legavit. Placet, institutum non cogi eos praestare, dummodo paratus sit praestare aestimationem. Numquid igitur in aliis legatis idem valere dicemus? Minime. hoc enim in talibus personis benigna ratione & jure quodam singulari receptum est, *l. si domus* 71 §. *cum alicui* 4. *D. de legat.* 1. Sic singulari jure in mulierem non datur actio furti ob res constante matrimonio amotas, sed actio rerum amotarum, *l.* 1. & 2. *D. de act. rer. amot.*

LEX XV.

LEX XV.

JULIANUS LIB. XXVII. DIGESTORUM:

In iis, quae contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam juris.

Ut in testamentis militum, in quibus ex constitutionibus principalibus propria quaedam & singularia jura observantur, *l.* 1. *&* 2. *D. de testam. milit.* De iis autem locutum esse Julianum lib. 27. Digestorum, ostendit *l.* 20. *eodem tit.*

LEX XVI.

PAULUS LIBRO SINGULARI DE JURE SINGULARI:

Jus singulare est quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est.

Jus singulare] De quo superioribus capitibus dictum est.

Propter aliquam utilitatem] Id est, aequitatem, ut supra diximus.

Auctoritate constituentium] Ut Principis, aut Senatus.

LEX XVII.

CELSUS LIB. XXVI. DIGESTORUM:

Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.

Si omnes qui tenent legum verba, leges scirent, omnes pueri Romae olim fuissent JCti: *ita enim ediscebant legem* XII. *Tabularum, ut carmen necessarium,* ait Cicero *lib.* 2. *de Legibus cap.* 23. Sed illud praeterea requiritur, ut vis ac potestas earum intelligatur: quod sine magno & diuturno studio fieri non potest. Et hoc modo soli JCti dicuntur scire leges. Alio quodam modo dicit Imperator, *leges ab omnibus intelligi debere*, *l. leges sacratissimae* 9. *C. eod. tit.* loquitur enim de illis legibus, quae ad vitam instituendam pertinent: non ut ex eo colligatur, oportere omnes esse JCtos. Ait:

Scire leges non hoc est.] Id est, Non hoc tantum est; ut sit *non*, pro, *non tantum:* quomodo saepe admodum in jure ponitur. *Armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerunt, sed etiam eos, qui aliud quod nocere potest, l. armatos 9. D. ad L. Jul. de vi publ. Praedia dicimus aliquorum esse, non utique communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente, l. littus 96. §. 1. D. de verb. sign* Sed nihil negotii est talia exempla quamlibet multa colligere. Vidi olim quosdam, qui cum Latinae linguae ita imperiti essent, ut tria verba emendate conjungere vix possent, profitebantur tamen, se JCtos esse, & stultitiam suam defendebant hoc JCtorum dicto, ita videlicet intellecto, ut cetera quoque in jure intelligebant. Fieri potest, ut quis verba legum teneat, qui tamen vim ac potestatem non teneat: illud certe non potest, ut qui ne verba quidem intelligit, intelligat potestatem.

Lex XVIII.

Idem Lib. XXIX. Digestorum:

Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur.

Vetus dictum est, Summum jus summam esse injuriam: semperque laudati sunt, qui in omni vita aequitatem ac benignitatem retinuerunt.

Hoc cum in aliis rebus observandum est, tum praecipue in judicando, legibusque interpretandis. Laudatur eo nomine Claudius a Suetonio *in ejus vita cap.* 14. his verbis: *Nec semper praescripta legum secutus, duritiam lenitatemve multarum ex bono & aequo, perinde ut afficeretur, moderatus est.* Haec igitur aequitas innumerabilibus in jure nostro locis commendatur. *Interpretatione legum*, ait Hermogenianus, *poenae molliendae sunt potius, quam asperandae, l. penult. D. de poenis.* Et hoc nomine M. Antoninum commendat Julius Capitolinus *in ejus vita cap.* 24. his verbis: *Erat mos isti Antonino, ut omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solent, puniret.* Sic Paulus *rapiendam esse*, ait, *occasionem, quae praebet benignius responsum, l. rapienda 178. D. de reg. jur.* Idemque *in poenalibus*, inquit, *causis*

benignius interpretandum est, *l. factum* 155. §. 2. *D. eod. tit. Semper*, ait Gajus, *in dubiis benigniora praeferenda sunt*; *l. semper* 56. *D. eodem titulo*.

Placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque quam stricti juris rationem, *l. placuit in omnibus* 8. *C de judic.* Atque hujus rei exempla, quia passim obvia sunt, proponere necesse non puto.

LEX XIX.

IDEM LIB. XXXIII. DIGESTORUM:

In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret: praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit.

Etiam ubi in lege ambigui nihil est, tamen in ea interpretanda benigniores esse debemus, ut dictum est. Ubi autem legis vox ambigua est, potestque in diversas sententias trahi, ea accipienda significatio est, quae vitio caret, id est, quae nihil efficit absurdi. Nam & voluntas legis ex eo colligi potest, cum verisimile non sit legislatorem quidquam absurdi in leges referre voluisse. Exemplum:

Sic lex; Hostem impune occidere liceat. Hostis nomen ambiguum est. Hostes dicuntur, qui publice bellum populo Romano indixerunt, aut ipsis populus, *l. hostes* 24. *D. de capt. & postl. rever.* Hostes etiam antiquitus dicebantur peregrini; & ita in lege XII. Tabularum: *Adversus hostem aeterna auctoritas esto.* &: *Si status condictus cum hoste intercessit dies.* Quaeritur ergo in *ea lege*, quam dixi, utro modo hostis nomen accipiendum sit? Et cum absurditatis ac vitii plenum sit peregrinos impune interfici, dubitandum non est, quin altera significatio, quae vitio caret, accipienda sit. Aliud exemplum: In interdicto *unde vi* ita scriptum est; *Unde tu illum vi dejecisti, aut familia tua dejecit* quid? si non familia mea, sed unicus servus meus te dejecerit?

Et verum est, unum servum non facere familiam, ac ne duos quidem, *l. detestatio* 40. § *ult. D. de verb. sign.* Sed tamen, quia absurdum esset, cujus multi servi dejecissent, eum teneri, cujus unus, non teneri, receptum est in hoc interdicto, familiae nomine

etiam unum ſervum ſignificari, *l.* 1. §. 17. *D. de vi, & de vi armata.*

Et hoc elegantisſime tractat Cicero *in oratione pro Caecina*.

Lex XX.

Julianus Lib. LV. Digestorum:

Non omnium, quae a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.

Lex XXI.

Neratius Lib. VI. Membranarum:

Et ideo rationes eorum, quae conſtituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex iis, quae certa ſunt, ſubvertantur.

Legum in civitate ſumma esſe debet auctoritas: neque ſtatim ab earum praeſcripto recedendum eſt, etiam ſi, cur quidque conſtitutum ſit, videre nequeamus: alioqui enim ut quisque plurimum ingenio atque eloquentia valebit, ita causſam quotidie reperiet, cur leges mutari ac corrigi debeant; quo nihil pernicioſius civitati: ſapientibus enim, ait Ariſtoteles, ſummam diligentiam adhibendam esſe in legibus recte ponendis; ſed ubi ſemel poſitae ſunt, eis ſtandum: Οὐδὲν γὰρ διαφέρει ἢ μὴ κεῖσθαι, ἢ μὴ χρῆσθαι. Neque quidquam verius eſt quam quod ait apud Thucydidem *lib.* 3 Cleon, *civitatem, quae legibus utatur minus bonis, ſed immutabilibus, meliorem esſe ea, quae bonis quidem legibus temperata ſit, ſed eas facile mutet.* Sic enim aegroto ſatius eſt, ſi obtemperet medico interdum etiam erranti, quam ſi ſe asſuefaciat ad contemnendam medici auctoritatem. Neque ſibi quisquam tantum arrogare debet, ut ſe legibus ſapientiorem haberi velit. Ideoque veteres ita populis perſuadebant, leges aut a Diis, aut Deorum filiis, aut alicujus Dei conſilio latas esſe: quibus, ut ait Plato, etiam ſi nullam rationem adferant cur ita ſit, ſine ulla dubitatione habenda eſt fides. Neque immerito a Platone commendatur lex Cretenſium, qua cautum erat,

ut juvenum quidem nulli prorsus liceret quaerere, recte leges positae essent, an minus: senum autem si quis aliqua de re dubitaret, nullo juvenum teste adhibito, cum magistratibus id communicaret.

Non omnium] Non deterret nos a quaerendis caussis eorum, quae constituta sunt: sed ait, non debere usque eo curiosos esse, ut ea rejiciamus, quae cur constituta sint pervidere non possumus. *Perquam durum est*, ait Ulpianus, *sed lex ita scripta est*, *l. prospexit* 12. §. 1. *D. qui & a quibus*. Exemplum accommodatissimum ponit Cujacius ex *l. liberum* 9. *D. de relig. & sumpt. fun.* quae negat heredi ejus, qui prohibitus est mortuum inferre, actionem in factum competere: quam tamen certum est neque poenae neque vindictae persecutionem habere; & hoc etiam, se mirari Gajus ait, constare inter omnes. Constat tamen: & ita judicandum est: licet ratio reddi non possit. Errat autem ibi Accursius: nam *l. si filiusfamilias* 31. *D. eod. titul.* quam adfert, non ad hanc in factum, sed ad funerariam actionem pertinet.

Alioquin multa] Exemplum: Transigere de criminibus licet, sed de iis demum, quae poenam mortis continent, *l.* 1. *D. de bon. eor. qui ant. sent. l. transigere* 18. *C. de transact.* Adulterium olim non erat capitale. Sed ejus legitima poena erat, ut Bartolus & eum secuti putant, deportatio; ut eruditiores censent, relegatio. Ergo de adulterio pacisci non licebat. Postea factum est capitale, *l. quamvis* 30. *in fin. C. ad L. Jul. de adulter.* Videretur igitur consequens, ut de eo quoque transigere liceret: neque tamen licet *d. l. transigere* 18. vide Alciatum *lib.* 5. *Parad. cap.* 11.

Lex XXII.

Ulpianus Lib. XXXV. ad Edictum:

Cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat.

Accursius monet, invertendam esse hanc legem, ut dicat idem quod *l. leges* 3. *C. eod. tit.* quod merito perfatuum esse ait Pseudo-Bartolus: neque enim Bartolus est is, cujus in hanc legem leguntur quaedam in Bartoli

scriptis: sed & ipse Accursius sua illa desultoria levitate statim ait legendam esse recte: ejusque exemplum proponit ex *l. 2. C. de gener. abol* Non male Paulus Castrensis hoc exemplo eam illustrat, valde, ut mihi quidem videtur, accommodato. Lata est lex, ut quicunque ob perpetratam caedem exulant, facta pace cum propinquis ejus, quem interfecerunt, libere in patriam redire possint. Quidam ea lege perlata hominem occidit: vult postea ejus legis beneficio uti. Negandum est. Lex enim, quae in praeteritum indulsit, non est porrigenda ad futura. Sed & haec exempla sumi possunt ex *Codice Theodosiano l. 1. de indulgentiis criminum. Propter Chrispi atque Helenae partum omnibus indulgemus praeter veneficos, homicidas, adulteros.* & *l. ult. eod. tit. Liberata republica tyrannidis injuria, omnium criminum reos relaxari praecipimus.* Sunt qui huc adferant exemplum petitum ex *lib. 1. accusationis* de lege Voconia. quod aptum non videtur. esset aptum, si legis verba inverterentur, ex priore illa Accursii sententia. Aptius multo est exemplum SCti, quod in sententiam Ciceronis factum est, ut *eorum, qui cum M. Antonio erant, qui ab armis discessissent, itaque ad Pansam aut ad Hirtium Coss. aut ad D. Brutum imp. Cos. des. aut ad C. Caesarem Propr. ante idus Martias adiissent, iis fraudi ne esset, quod cum M. Antonio fuissent. lib. 8. Philippicarum cap. ult.* Possunt exemplo esse & novae tabulae. Est & exemplum in jure pontificio in *cap. aqua 9. de consecr. eccles.*

LEX XXIII.

PAULUS LIB. VI. AD PLAUTIUM:

Minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt.

Hinc colligunt, non esse recedendum a communi interpretum sententia: quod ita demum verum est, nisi evidens eorum error ostendatur, ut recte in hunc locum admonuit V. C. mihique amicissimus, Antonius Vacca. Alioqui enim quae stultitia fuerit, nolle veritati cedere, sed, ea repudiata, communem & inveteratum errorem sequi? praesertim *cum*, ut ait Imperator, *possit unius forsitan & deterioris sententia & multos & majores aliqua*

qua in parte superare; *l. unica* §. 6. *C. de veter. jur. enuc.* Illud quidem certe vere dicitur, non esse permittendum hominibus improbis, aliquo acumine ingenii fretis, ut pro libidine sua leges in alium, quam quo semper acceptae sunt, sensum detorqueant, labefactentque multorum saeculorum consensu confirmatas interpretationes. Quod enim dictum est in legibus, νόμος δ' ὁ παλαιὸς ἄριστος, & in moribus, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, idem & in legum interpretatione verissimum est.

LEX XXIV.

CELSUS LIB. IX. DIGESTORUM:

Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita judicare, vel respondere.

Civile dicitur, quod juri consentaneum est; ut: *Civile est, quod a te adversarius tuus exigit, ut rei, quam apud te fuisse fatearis, exhibeas venditorem; nam a transeunte & ignoto te emisse, dicere non convenit, volenti evitare alienam bono viro suspicionem, l. civile* 5. *C. de furtis:* ubi tamen Accursius exposuit civile, id est, urbanum & elegans, inurbane & ineleganter. Sic possessio civilis, quae jure nititur, cum ea, quae mere naturalis est, nullo jure nitatur. Quomodo qui possidet dicitur pro prossessore possidere, *l. pro herede* 11. *cum duab. seqq. D. de hered. petit. Cujus magis gratiam praestare, quam relinquere apud inimicum jus ad se translatum licere ei civile est, l. cum in fundo* 78. §. 2. *vers. sed & si. D. de jur. dot.* Incivile contra, iniquum & alienum a jure. *Inscium procuratorem teneri, satis incivile est, l.* 15. *D. de proc. Si Medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per adversa medicamenta inferendo, compulit, ut ei possessiones suas contra fidem bonam aeger venderet; incivile factum praeses provinciae coërceat, remque restitui jubeat, l.* 3. *D. de extraor. cog. Incivile atque inusitatum est, quod postulas, ut unus ex chirographariis &c. l.* 4. *C. de bonis auct. jud. poss. Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a dominis, l.* 2. *C. de furtis.* At Corasius, quem quidam putant esse aliquid, exponit hoc

loco

loco incivile, indecorum, & hominis levis atque intemperati. Quod mirarer, si usitata mirarer. Iniquum igitur est, nisi tota &c. Ponunt exemplum in *l. si tibi* 20. *D. de rebus cred.* Ejus similia in jure multa sunt. Sed non satis aptum videtur. Illic disputatio quaedam est; & non est novum in disputando primo loco poni ea, quae postea reprehenduntur. Et idem dici posset de disputationibus Aristotelis de summo bono, de inani, de infinito, de tempore, & similibus. Exempla meliora haec erunt. Edixit Praetor: *Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem novi juris statuerit, ipse quandoque, adversario postulante, eodem jure uti debet. Si quis apud eum, qui magistratum potestatemve habebit, aliquid novi juris obtinuerit, quandoque postea, adversario ejus postulante, eodem jure adversus eum decernetur*, *l.* 1. *D. Quod quisque juris.* Illud eleganter Praetor excepit: *Praeterquam si quis quid eorum contra eum fecerit, qui ipse eorum quid fecisset: & recte; ne scilicet vel magistratus, dum studet hoc edictum defendere, vel litigator, dum vult beneficio Edicti hujus uti, ipse in poenam ipsius edicti committat, l.* 4. *D. eod.* Aliud: *Qui lege, plebiscito, SCto, edicto, decreto principum, nisi pro certis personis postulare prohibentur, ii pro alio, quam pro quo licebit, in jure apud me ne postulent.* Sed addit postea: *Qui ex his omnibus, qui supra scripti sunt, in integrum restitutus non erit, l.* 1. §. 8. 9. *D. de postulando.* Aliud: Infamem jubet esse eum, qui viduam antequam elugeret duxerit; sed addit: *Non jussu ejus, in cujus potestate est, l.* 1. *D. de his qui not. infam.*

Lex XXV.

Modestinus Lib. VIII. Responsorum:

Nulla juris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.

Idem sensus videtur hujus responsi, & *l. quod favore* 6. *C. eod. tit. Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri, &c. quod ob gratiam* 61. *de reg. jur. in* 6.

Quod

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Itaque eadem exempla huc accommodari possunt, quae illic quoque adferuntur, ex *l. non eo minus* 14. *C. de procurat.* ex *l. plures* 19. *C. de fid. instrum.* ex *l.* 3. §. *duae* 5. *D. de Carb. Edicto.* & similibus: optimum ex *l.* 2. *D. de lege commissoria*, ex *l. non solum* 6. §. *ult. D. de in int. restit.*

Lex XXVI.

Paulus Lib. IV. Quaestionum:

Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur.

Esset quidem optabile, ut leges immutabiles essent, & ut de unaquaque re una lex esset. Sed quoniam actiones humanae ita variae sunt, ut una eademque regula perpetuo regi non queant, imitari cogimur architectos Lesbios, qui, ut ait Aristoteles, cum propter asperitatem ac duritiam lapidum, ferrea regula uti non possent, plumbea utebantur, eamque; ut res poscebat, inflectentes, ad figuram lapidum accommodabant. Quando igitur rerum & temporum varietas adfert etiam necessario legum varietatem, videndum est, cum plures ea de re leges sunt, quid facere debeamus. Et generaliter tenendum est: lex posterior aut plane sancit idem, quod prior; & tunc res expedita est: aut priorem abrogat, aut ei derogat, aut subrogat, aut obrogat. Abrogare est omnino tollere. Derogare, partem aliquam tollere. Subrogare, aliquid adjicere. Obrogare aliquid mutare. Haec ita exponit Ulpianus in *titulo de libertis* §. 3. Cicero *lib.* 3. *de Republica.* Citat Lactantius. *Huic legi* (de lege naturae loquitur) *nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Cum per posteriorem abrogatur prior, tunc quoque res nullam difficultatem habet. Praevalet enim posterior, ut dicetur infra, *l. ult. tit proximo.* Exempli caussa: Lex Fusia Caninia certum quemdam modum in servis testamento manumittendis servari volebat. Eam legem abrogavit Justinianus.

Nullam igitur vim habet amplius lex illa vetus: sed Justiniani lege utemur. Lege Papia multis modis hereditates & le-

& legata caduca fiebant. Justinianus eam abrogavit, *l. unica pr. C. de caduc. toll.* Constitutionem igitur Justiniani, quae posterior est, sequemur. Denique quoties lex posterior contraria est priori, eamque abrogat, posteriorem sequemur, priori plane neglecta. Sin posterior tantum deroget, aut subroget, aut obroget, tunc trahemus priores ad posteriores, & has quoque ad illas pertinere dicemus. Exemplum: Lege Aelia Sentia, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit, *l. 5. cum aliquot seqq. D. Qui & a quibus man.* Eadem lege Aelia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam si apud consilium justa causa manumissionis adprobata fuerit. Justinianus posteriori horum capitum obrogavit §. *ult. Instit. Quibus ex caus. manum. non lic.* Si ergo posterior lex deroget priori, posterior servabitur in eo tantum casu, in quo derogat, in ceteris prior ad posteriorem trahetur. Idemque, si subrogatum abrogatumve sit.

LEX XXVII.

TERTULLIANUS LIB. I. QUAESTIONUM:

Ideo quia antiquiores leges ad posteriores trahi usitatum est; & semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas & ad eas res pertinerent, quae quandoque similes erunt.

Confirmat quod superiori capite dictum est: *Et semper quasi hoc legibus.* Illud *quasi* additur, propter jus singulare. De ceteris dictum est *l. non possunt* 12. & *l. nam ut ait Pedius* 13.

LEX XXVIII.

PAULUS LIB. V. AD LEGEM JULIAM ET PAPIAM:

Sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint; idque multis argumentis probatur.

Posteriores leges ad priores pertinent] Id est, trahendae sunt ad illas, & ita interpretandae, ut vis utrarumque servetur.

Nisi contrariae sint; idque multis argumentis probatur]

Si

Si enim contrariae sint, ut dictum est, prior per posteriorem tollitur: Livius *lib. 7. cap. 17. Fabius ajebat, in XII. Tabulis legem esse, ut quodcunque populus postremum jussisset, id jus ratumque esset.* Idem *lib. 9. cap. 34. Ubi duae contrariae leges sunt, semper antiquas obrogat nova.* Cicero *lib. 2. cap. 49. de Invent. In duabus contrariis legibus utra posterius lata sit, considerare oportet: nam postrema quaeque gravissima est.* Tertullianus *in exhortatione ad castitatem: Puto autem etiam humanam constitutionem atque decretum postea pristinis praevalere.* Idem testatur & Quinctilianus *cap. 2. lib. 5. ad finem.* Lex specialis derogat generali, *l. sanctio legum 41. D. de poenis. l. in toto jure 80. D. de reg. jur.* Atque hoc indubitate verum est, si generalis antecedat. Quid? si specialis antecedat, generalis sequatur? Et crediderim, specialem tolli. Nam in toto & pars continetur. *D. de regul. jur.* Praeterquam si verisimile sit, legislatori legem illam specialem ignotam fuisse. Bonifacius VIII. *cap 1. de constit. Licet Roman. Pontifex qui jura omnia in scrinio pectoris sui habere censetur, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum & personarum singularium consuetudines & statuta, cum sint facti & in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis, dum sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare.* Idem, si tali aliqua ratione nitatur lex illa specialis, ut legislator generali ferenda non videatur illam tollere voluisse. Ulpianus *l. 3. §. 5. D. de sepul. viol. Divus Hadrianus rescripto poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit. Et in magistratus eandem statuit, qui passi sunt, & locum publicari jussit, & corpus transferri. Quid tamen, si lex municipalis permittat in civitate sepeliri? post rescripta principalia, an ab hoc discessum sit, videbimus; quia generalia sunt rescripta. Et oportet imperialia statuta suam vim obtinere, & in omni loco valent.* Horum si neutrum sit, id est, si specialis illa aut ratione careat, aut posteriorem ferenti manifesto nota sit, & ostenderit, se de ea quoque cogitasse, ut per particulam, non obstante, seu generaliter seu particulariter positam, non puto dubitandum, quin abrogetur.

Lex XXIX.

Idem Lib. Singulari ad Legem Cinciam:

Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet; in fraudem vero, qui, salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit.

Lex XXX.

Ulpianus Lib. IV. ad Edictum:

Fraus enim legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit. Et quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, *hoc distat fraus ab eo quod contra legem fit.*

Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, l. 5. C. de legibus. Idem & prope iisdem verbis *cap. ult. de reg. jur. in 6.* Annotat autem Accursius, quem communiter omnes sequuntur, quatuor praecipue modis fieri fraudem legi: commutatione rerum, commutatione personarum, commutatione contractuum, & modo contrahendi. Rerum, ut cum SCtum Macedonianum vetet filiisfamilias pecuniam mutuam dari, si quis oleum, vinum, aut quid aliud mutuo det, ut id filiusfamilias vendat & pretio utatur, adhibet fraudem SCto, *l. 1. & l. item 7. §. mutui 3. D. ad SCtum Macedon.* Item Praeses provinciae dona aut munera accipere prohibetur, xenia non prohibetur. Sed quid? si xenia ad munerum qualitatem producta sint? Dicemus, fraudem factam legi, *l. solent 6. §. ult. D. de off. proconf.* Personarum, hoc modo: Maritus uxori donare non potest. Quid? si donet alicui tertio, per quem res ad uxorem perveniat? fraudulentum est. Itaque ne sic quidem valitura donatio est, *l. 3. 4. & 5. D. de don. inter vir. & ux.* Cum Stolo Licinius legem tulisset, ne quis plus quingenta jugera agri possideret: & substitura filii sui persona amplius, immo alterum tantum possidere deprehensus esset, ipse primus sua lege a M. Popillio Laenate accusatus & damnatus est. Valerius *lib. 8. cap. 6.* Plinius *lib. 18. cap. 3.* Contractuum, ut si quod donare volebat, dicis caussa ei vendiderit, *d. l. 5. §. circa venditionem 5.*

do contrahendi: ut si mulier, ne uteretur beneficio SCti Vellejani, non intercessit pro alio, sed in se obligationem suscepit, *L. quamvis* 8 §. *si cum essem* 14. *D. ad SCtum Vellejan.* Exempla vetera ejusdem rei. Tacitus *lib.* 2. *cap.* 30. *Negante reo, agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere SCto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet: scilicet ut in Libonem, salvo SCto, quaereretur.* Idem *lib.* 3. *cap.* 67. *Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat.* Idem *lib.* 5. *cap.* 9. *Tradunt temporis ejus auctores, quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam.* Eadem de re Suetonius *in Tiber. cap.* 61. *Immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae.* Idem Tacitus *lib.* 15. de iis, qui filios adoptabant imminentibus comitiis, quos statim post comitia emancipabant. Duo hujus rei elegantissima exempla sunt apud Ciceronem *lib* 2. *Accusationis in Verrem*; unum etiam *lib.* 7. *Epistolarum, Epistola, cum decimum jam diem*, 26.

L E X XXXI.

IDEM LIB. XIII. AD LEGEM JULIAM ET PAPIAM:

Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non est, Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quae ipsi habent.

Tria hic traduntur. I. Principem legibus solutum esse. II. Augustam non esse solutam legibus. III. Sed tamen principes eadem illi privilegia tribuere, quae habent. Quaesitum est ab hominibus eruditis, utrum una aliqua lex lata fuerit, quae omnes, qui deinceps futuri essent, Imperatores legibus solverit, an vero per senatum, tralatis comitiis a populo ad patres, renovari ea lex singulis principibus creatis soleret. Et eandem obtinuit renovari solitam esse: ut & infra *l.* 1. *tit. proximo* dicturi sumus.

Solvebanturne omnino omnibus legibus? Minime. Id enim indicat lex lata de Imperio Vespasiani, quae adhuc

prope tota extat in aede Lateranensi; in qua ita scriptum est: *Utique quibus legibus plebeiquescitis scriptum fuit, ne Divus Aug. Tiberiusve Julius Caesar Aug. Tiberiusque Claudius Caesar Aug. Germanicus tenerentur, iis legibus plebeiquescitis, Imper. Caesar Vespasianus solutus sit.* Non igitur omnibus. Non enim legibus naturae: quibus, ut ait Cicero, nemo neque per Senatum, neque per populum solvi potest: sed iis tantum, quae eo valent, quia scripta sunt. Quod Dio *lib.* 54. expressit his verbis: λέλυνται τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει, τουτέστιν, ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. Male igitur regii Persarum judices, qui Cambysi sororem ducere cupienti, responderunt, legem quidem nullam esse, quae tale matrimonium permitteret: sed esse aliam legem, qua Persarum regi, quicquid collibuisset, facere liceret. Male Anaxarchus, qui Alexandrum Clito interfecto solari volens, dixit, eo Themin & Dicen Jovi adsistere, ut intelligeremus, omnia regum & facta & consilia pro justis habenda esse. Scelerate Julia, quae privigno Caracallo dicenti, Vellem, si liceret; respondit, Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? cui quicquid libet, licet, libere non debet, nisi quod licet. Adulterium, caedem, furtum facere, non magis principi, quam privato licet. Papinianus parricidium Caracalli in fratrem noluit excusare, facilius esse dicens, parricidium facere, quam defendere. Quis initio dedit eam potestatem regibus? Populus. Ergo ea tantum potest princeps, quae populus poterat. *Nemo enim plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet, l.* 54. *D. de reg jur.* Potest efficere, ut inter se & Augustam donationes valeant, *l. pen. C. de don. inter. vir. & uxor. l. ult. C. de quadrien. praesc.* Possunt consulatum capere ante aetatem legitimam, & eundem alii conferre. Jure communi eorum, quae donantur filiofamilias, ususfructus est patris.

At secus, si quid ei Imperator donaverit, *l. cum multa* 7. *C. de bon. quae liber.* Et in his quoque parce agere debet: nec sine ratione. Et si legibus soluti sumus, legibus vivere volumus, § *ult. Inst. Quibus modis testam. infirm. Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare inverecundum est. decet*

enim

enim tantae majestati eas servare leges, quibus ipse solutus videtur, l. ex imperfecto 23. D. de leg. 3. *Ex imperfecto testamento nec Imperatorem hereditatem vindicare posse, saepe constitutum est. Licet enim lex Imperii solemnibus juris Imperatorem solverit: nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere*, l. 3. C. de testam. *Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri*, l. 4. C. de legibus.

LEX XXXII.

JULIANUS LIB. XCIV. DIGESTORUM.

De quibus caussis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. Et si qua in re hoc deficere, tunc quod proximum & consequens ei est, si nec id quidem appareat, tunc jus, quo urbs Roma utitur, servari oportet. §. 1. *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsae leges nulla alia ex caussa nos teneant, quam quod judicio populi receptae sunt: merito & ea quae sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

In indice praeposito Pandectis Florentinis Julianus dicitur scripsisse tantum nonaginta libros Digestorum; quare oportet aut in indice, aut in hujus legis inscriptione vitium esse. Idque perincommode accidit. Nam si sciremus, quoto ex libro deprompta sit, facilius ad veram illius sententiam conjectura pervenire possemus. Agit de consuetudine. Dividetur a me in duas partes: quarum secundam facio illi, *Inveterata consuetudo*. Prior pars sine dubio non ad cives Romanos, sed ad municipia & ad provincias pertinet. Alioqui enim non distulisset ad ultimum id jus, quo urbs Roma utitur. Dicit autem tria: quorum hoc primum est: *De quibus caussis scriptis legibus non utimur.* Ex his verbis colligimus, consuetudinem in iis tantum caussis locum habere, in quibus scriptis legibus non utimur: ut & l. 33. *Diuturna*

na consuetudo pro jure & lege in iis quae non ex scripto descendunt observari solet. Tertullianus *de Corona militis: consuetudo in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Ergo quibus de rebus lege municipali aut jure scripto provinciae aliquid cautum est, id custodiri oportet, quod lege comprehenditur: at de quibus causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. Illud, *scriptis legibus non utimur*, dupliciter accipiendum est: sive lex scripta nulla sit, sive scripta quidem sit, sed in usu non sit: immo vero desuetudine antiquata. Utroque casu igitur servanda consuetudo. Sed nonne pugnat quod supra dictum est, in iis, quae lege comprehensa non sunt, procedendum e similibus ad similia? Non pugnat, si recte consideretur. Ibi dicebat JCtus, non de omnibus leges ferri, sed de iis, quae plerumque contingerent. Quodsi quid novum & inusitatum evenisset, aut consulendum principem, aut similitudinem sequendam. In illis locus esse consuetudini non poterat. Quae enim esse consuetudo potest in iis, quae ἐκ παραλόγου eveniunt? Cum consuetudo frequentiae significationem habeat: illa perraro contingant. Hic loquitur de iis, quae & in quotidiano usu posita sunt, & de iis tamen nihil legibus cautum est. Accursius exemplum ponit in Feudis, rectissime & verissime. Quando igitur de Feudis nihil antiquo jure cautum est, quod res ipsa nondum exstiterat, ea custodiri oportet, quae usibus Feudorum continentur. Dicat aliquis, consuetudo est jus non scriptum. Feudorum autem jura scripta sunt. Legum igitur potius, quam consuetudinis nomine censeri debent. Sed dixi alias, consuetudinem, etiam si litteris mandetur, memoriae caussa, & ut hoc ipsum certius sciatur, quid in consuetudine positum sit, non tamen amittere nomen suum; neque desinere vocari jus non scriptum. Non enim eo valet, quia scriptum est, sed valebat etiam, antequam scriberetur. Est autem jus non scriptum duplex. Aequitas est jus non scriptum, quod naturae ductu omnes, qui bene adfecto sunt animo, probant. Consuetudo est jus non scriptum, utendo & introductum & confirmatum. Lex nusquam scripta est, quae jubeat pacta servari. Sed quia natura ipsa docet id fieri oportere, ea se servaturum Praetor naturalem aequitatem secutus edixit *l. 1. D. de pa-*

pactis. At consuetudo non a natura ipsa originem habet: sed cum unus aut alter aliquid facere coeperunt, deinde accedunt eorum exemplo alii; ac denique tota civitas idem publice facit, coalescit paullatim, quasique radices agit: tum longo usu confirmata vim legis obtinet consuetudo.

Moribus & consuetudine] Ἐκ παραδόσεως, hoc quidem loco. Aliquando enim consuetudo est frequentatio actionum similium. Morum autem nomine significatur qualitas illa ac conformatio animi, quae sic aut sic assuefcendo comparatur: ex qua bene moratos aut male moratos dicimus. Et ita intelligendum est illud Aristotelis, ἦθος ἐξ ἔθους περιγίγνεται. quod quidam huc accommodare conati sunt non satis intelligenter.

Et si qua in re] Quibus de causis ne moribus quidem & consuetudine inductum quidquam est: in eis spectare debemus, num quid in aliqua simili caussa moribus inductum sit; atque id sequi. Nam ut jus scriptum, ita & non scriptum ad consequentias interdum producitur. Neque tantum servanda consuetudo est, sed & ratio, quae consuetudinem suasit, *l.* 1. *C. Quae sit longa consf.* Hujus rei Accursius quatuor exempla ponit, quorum ultimum probatur Bartolo. *Deficere tunc*] Legendum, *Defecerit, tunc.*

Proximum & consequens] Ἐχόμενον.

Si nec id quidem] Ubi haec omnia defecerint, decurremus ad jus commune civium Romanorum, id est; ad id quod eo jure in aliis rebus cautum est. Exemplum: Vasallus Feudi partem opposuit pignori: postea feudum domino commissum est Utrius causam potiorem esse dicemus, domini, an creditoris pignoratitii? Hoc neque usibus Feudorum definitum est: neque hujus simile quidquam. Sequemur igitur jus commune, & dicemus, pignus extingui. Ita enim jure communi statutum est in agro emphyteutico, *l. lex vectigali* 31. *D. de pign.*

Inveterata] Haec non cohaerent cum superioribus; sed generaliter dicuntur de vi consuetudinis, de qua ita Leo & Anthemius Imperatores: *Leges quoque ipsas antiquitus probata & servata tenaciter consuetudo imitatur, l. ult. C. quae sit longa consf.* Sed quando dicatur inveterata, & num certus aliquis numerus actionum consuetudinem inducat, dicam in *l. seq.*

Inveterata] Tripertitum hoc quoque membrum est. Primo enim ponit dictum quoddam de vi consuetudinis. Deinde ejus caussam affert, eamque confirmat. Postremo aliud quoddam ex eo colligit. *Nam cum ipsae leges.* φιλολογία. Quae consensu contrahuntur, contrario consensu resolvuntur, *l.* 3. *D. de resc. vend. l. prout* 80. *in fin. D. de solut. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur, l. nihil* 35 *D. de reg. jur.*

Nam quid interest] Confirmatio assumtionis.

Quare] Conclusio. Etiam desuetudine, ut lege contraria, leges abrogantur.

Suffragio legislatoris] Legendum, *suffragiis latis.* Consuetudo potestne legem tollere? Gellius *lib.* 11. *cap.* 18. ait, *leges Draconis non decreto jussoque, sed tacito illiterateque Atheniensium consensu oblitteratas.* Livius *lib.* 4. *cap.* 31 *Usum unum esse legum correctorem.* Sic quod in XII scriptum erat de talione, aut de debitoribus dissecandis, usu improbatum est. Sic quod in iisdem erat, ut qui falsum testimonium dixisse convictus esset, de saxo Tarpejo dejiceretur, abolevisse ait Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. Sed numquid desuetudine, aut, quod idem est, contraria consuetudine legem a principe latam a populo aboleri posse dicemus? Minime. Nam populus omnem suam potestatem in principem contulit. Ergo ut condere, ita & tollere legem solus jam princeps potest.

Ratio Juliani est, quia leges nulla alia ex caussa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt. At in legibus principis alia caussa est.

Nihil interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an factis. At non posset hodie populus legem principalem suffragio tollere. Ergo nec factis. Et hoc est quod dicitur *l.* 2. *C. Quae sit longa consuetudo.* Dictum autem Juliani referendum est ad illa tempora, quibus condendae legis auctoritas penes populum erat.

Tacito consensu omnium] Quid? si unus dissentiat? *Quod major pars curiae efficit, pro eo habetur ac si omnes egerint, l. quod major.* 19. *D. ad municip. Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem, l. aliud est vendere* 160. §. 1. *D. de reg. jur.* Neque

pu-

putaverim, scrupulose dinumerandam totam civitatem, ut sciatur, utra pars sit major, consentientium, an dissentientium. Sed hoc totum populari, ut dicitur, trutina examinandum. Nam si res in eo statu est, ut non constet multis partibus plures esse qui ita faciant, quam qui secus, scias licet, consuetudinem non esse.

LEX XXXIII.

ULPIANUS LIB. I. DE OFFICIO PROCOS.

Diuturna consuetudo pro jure & lege in iis, quae non ex scripto descendunt, observari solet.

Conferenda est cum *l. observare* 4. & cum *l. solent* 6. infra *D. de off. procos.*

Diuturna] Diuturnum, longum, antiquum, & similia pro ratione rei interpretanda sunt. Diu est non minus decennio, *l. si cum fideicommissa* 16. §. *Aristo*. 3. *D. Qui & a quibus*. Diu, manifesto pro biennio, *l. cum dominii* 56. *D locati*. Vetustas semper pro lege habetur; & vetustas vocatur tempus, cujus non extat memoria, *l* 2. §. 1. *D. de aqua & aq. pluv. arc.* Facit *cap.* 1. *De consuet. in* 6.

LEX XXXIV.

IDEM LIB. VI. DE OFFIC. PROCOS.

Cum de consuetudine civitatis vel provinciae confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando judicio consuetudo firmata sit.

Primum quidem illud] Particula *quidem* significat, alia deesse. *an etiam*] ergo & aliter.

Contradicto] Cum contradictum esset. Accursius admonet, in quibusdam libris legi, *non contradicto*. quod plane ineptum est.

LEX XXXV.

HERMOGENIANUS LIB. I. JURIS EPITOMARUM:

Sed & ea quae longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quae scripta sunt jura, servantur.

LEX XXXVI.

PAULUS LIB. VII. AD SABINUM:

Imo magnae auctoritatis hoc jus habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere.

Τὸ αὐτοφανέστερον καὶ ἰσχυρότερον.

LEX XXXVII.

CALLISTRATUS LIB. I. QUAESTIONUM:

Si de interpretatione legis quaeratur, inprimis inspiciendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo.

Quodsi nova lex sit, de cujus interpretatione dubitatur, ita ut nondum usus inveteraverit, consulendus est princeps, *l. penult. C. eod. tit.*

LEX XXXVIII.

IDEM LIB. I. QUAESTIONUM:

Nam Imperator noster Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere.

Severus] Alexander Mammeae filius. At contra *l. nemo* 13. *C. de sent. & interl. om. jud.* Sed ibi loquitur de exemplis, quae manifesto sunt contra leges.

LEX XXXIX.

CELSUS LIB. XXIII. DIGESTORUM:

Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.

Vide *cap. quae contra* 2. & *omnes seq. dist.* 8. Exemplum, ut *cap. ad audientiam* 3. *cap.* 4. & *similiubus. extra de consuet.* & *toto prope tit. de consuet. in* 6.

LEX XL.

MODESTINUS LIB. I. REGULARUM:

Ergo omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo.

Aut consensus fecit] Ut legem, plebiscitum, SCtum.

Aut necessitas constituit] Ut Edicta magistratuum, Constitutiones principum.

LEX XLI.

ULPIANUS LIB. II. INSTITUTIONUM:

Totum autem jus consistit aut in adquirendo, aut in conservando, aut in minuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel jus suum conservet, aut quomodo alienet, aut amittat.

Juris privati haec divisio est.



M. A. M U R E T I,

JCTI AC CIVIS ROMANI,

COMMENTARIUS

DE CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM.

T I T. IV.

ULPIANUS LIB. I. INSTITUTIONUM:

Quod Principi placuit, legis habet vigorem. Utpote cum lege regia, quae de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem confert. §. 1. Quodcumque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, vel Edicto praecepit: legem esse constat. haec sunt quas vulgo Constitutiones appellamus. §. 2. Plane ex his quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur: nam quod Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.

Legis habet vigorem] Olim quod populo placuerat, lex erat. Postea in locum populi successit princeps: omnisque populi potestas in eum translata est. Sunt igitur haec analoga, Princeps, Populus, Quod placuit principi, Quod placuit populo, quorum ut primum ad secundum, ita tertium ad quartum. Ita si princeps habet potestatem populi, id quod principi placuit, vim habet ejus quod populo placuit, id est, legis. Est autem hoc ita intelligendum, Quod principi placuit habere vim legis, id vim habet legis. Hoc modo facile est dissolvere quod quidam objiciunt de placitis tyrannorum, aut nefariorum principum, quae negant habenda pro legibus. Qua ratione Opilius Macrinus, ut est apud Capitolinum *in ejus vita cap.* 13. cogitavit de tollendis omnibus principum

cipum rescriptis: quod nefas duceret, Caligulae, Neronis, Commodi, & talium placita pro legibus haberi. haec enim regula tenenda est. Nihilo plus potest princeps, quam olim potuit populus. Quod igitur populus sciscere poterat, id si jubeat princeps, aeque lex erit, atque si olim a populo scitum esset. Quod, ne si populus quidem scivisset, lex fuisset: id, ne si princeps quidem jubeat, legis vim obtinebit. Si populus jussisset aliquid jure naturali aut divino contrarium, id jussum pro lege habendum non fuisset. Ne erit quidem, si tale quid jubeat princeps. Non enim major est auctoritas principis, quam olim populi fuit. Idque constat ex eo, quod subjungitur.

Utpote cum lege regia, quae de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat] Lex regia vocatur, quam L. Flaccus interrex tulit de Sulla Dictatore perpetuo, qua ei summam & plane regiam omnium rerum potestatem in civitate permisit. Nam cum C. Marius, Marii septies Cos. F. Consul Praeneste, per Q. Lucretium, Cn. Papirius Carbo, ejus collega, per Cn. Pompejum, Sullanos duces, occisi essent, eoque modo resp. ad interregnum rediisset, L. Flaccus interrex proditus, tulit legem, ut quaecumque Sulla egisset, rata essent: utque ei omnia licerent. De hac lege Cicero *lib.* 1. *cap.* 15. *de Legibus: Jam vero stultissimum illud, existimare, omnia justa esse, quae ita sint in populorum institutis & legibus. Etiamne, si quae sint tyrannorum leges? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num iccirco hae leges justae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut Dictator quem vellet civium indicta caussa impune posset occidere.* Idem *tertia in Rullum cap.* 2. *Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia quaecumque ille fecisset, essent rata. Nam cum ceteris in civitatibus, tyrannis institutis, leges omnes extinguantur atque tollantur, hic reipubl. tyrannum lege constituit.* Haec autem ipsa lex renovata est in C. Julio Caesare, cum Dictator perpetuus creatus est. Interfecto Caesare, cum lege Antonia dictaturae nomen e republica in perpetuum sublatum esset, Augustus & post

eum

eum ceteri non quidem Dictatores perpetui, sed, quod idem re & effectu erat, Imperatores, perpetui creati sunt, *l. unica D. de off. praef. praet.* Eis autem singulis, ut primum creati erant, eadem illa lex renovabatur, & ejus fragmentum extat, ut dixi, in aede Lateranensi. Sed id postea fieri desitum est, cum etiam sine eo possent omnia, & omnis Senatus ac Populi auctoritas prorsus extincta esset.

Ei & in eum] Non tantum ei, ita ut eam sibi quoque retinuerit, ut cum Antoninus philosophus Imperium cum L. Vero communicavit: sed plane in eum, ita ut se omni sua veteri potestate spoliaverit: quamvis id Azo & alii quidam negant.

Conferat] Recte: lex enim semper loquitur.

Imperator per epistulam & subscriptionem statuit] Consulebantur principes aut a magistratibus, aut etiam a privatis praesentibus, aut absentibus per libellum, aut per epistolam. Quod autem ita consulentibus rescripserant, legis vim obtinebat. Talium epistolarum plenus est Codex noster. Extat epistola Nervae ad Tullium Justum: *Cum rerum omnium ordinatio, quae prioribus temporibus inchoatae consummataeque sunt, observanda est, tum epistolis etiam Domitiani standum est.*

Et subscriptionem] Subscribebat epistolis Imperator manu sua, *l. sancimus* 3. *l. sacri affatus* 6 *C. de diversis rescriptis.* Subscriptio autem continebat diem & Consulem, *l: si qua beneficia* 4. *C. ut supra*, quae ita legitur in *C. Theod. l.* 1. *D. de const. princ. & edictis: Si qua post haec edicta, sive constitutiones, sine die & consule fuerint deprehensa, auctoritate careant.*

Vel cognoscens decrevit] *Si Imperialis majestas caussam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino judices, qui sub nostro imperio sunt, sciant hanc esse legem non solum illi caussae, pro qua producta est, sed & omnibus similibus, l. ult C. de legibus, & constit. princ. & edictis.*

Vel de plano interlocutus est] De plano, est, ex aequo loco, ut in via, aut domi, non pro tribunali. Itaque haec duo opponuntur, *l.* 1. *§. abolitio* 8. *D. ad Turpilianum. l. unius.* 18. *in fin. D. de quaestionibus.* Cum autem magistratus alia etiam de plano, alia tantum pro tribunali expedire possent, Imperator omnia de plano

expe-

expedire poterat. Ait igitur, etiam si non servatis solemnibus, quibus eum solutum esse diximus, sed etiam de plano aliquid decreverit, id vim legis obtinere. Suetonius, *in Aug. c.* 33. *Augustus jus dixit adsidue, & in noctem, nonnunquam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans.* Idem de Tiberio Tacitus. *Hadrianus*, ait Dio, *jus dicebat adsidue cum primoribus civitatis, aliquando in palatio, nonnunquam in prandio, interdum & pro tribunali.* Ergo etiam interlocutoria sententia principis antiquitus obtinebat vim legis, & videtur comprehendi nomine constitutionis *l. metum autem praesentem* 9. §. 3. *in fine D. quod metus caussa.* sed hoc postea mutatum videtur *l.* 3. *C. de legibus.* Nam quod Bartolus distinguit, utrum relata sit in corpore Juris, an non, ridiculum est.

Vel Edicto praecepit] Edictorum principalium frequens in his libris mentio: & hanc quoque Imperatores notam esse volunt generalis legis, *cum inserto Edicti vocabulo nuncupatur*, *l.* 3. *C. de legib.* Sunt igitur tria genera constitutionum, Epistola, Decretum, Edictum, ut & Theophilus in titulo *de Jure natur. gent. & civil.*

Legem esse constat.] Id est, *legis vim obtinere*, ut interpretatur ipse Imp. *l. ult. C. de legib.*

Haec sunt quas vulgo Constitutiones appellamus] *Constitutiones*, διατάξεις.

Plane ex his quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur; nam quae princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. Personalia non trahuntur ad exemplum, *l. quia tale* 13. *D. soluto matrim.* Quae a Bartolo adferuntur tanquam contraria, indigna sunt, quibus respondeatur.

LEX II.

ULPIANUS FIDEICOMMISSORUM LIB. IV.

In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est.

Omnis in rep. novitas semper suspecta sapientibus fuit. Nec immerito. Nam si senectuti multum tribuitur (*l. semper* 5. *D. de jure immun.*) multo plus antiquitati tri-

hui debet. Difficile est, ut ajebat Simonides, μάχεσθαι τῷ πολλῷ χρόνῳ: eaque tentare ac movere, quae multorum saeculorum auctoritas comprobavit. Plato quidem ita abhorruit a novitate, ut ne musicorum quidem modos sine gràvissimo periculo mutari in rep. censuerit posse. Id quod ab eo cum alibi, tum *lib. 4. de Rep.* copiose disputatur: referturque a Cicerone *lib.* 2. *c.* 15. & *lib.* 3. *c.* 14. *de Legibus*: & Lacedaemoniorum Ephori Terpandrum, auctore Plutarcho, multarunt, quod in cithara praeter necessitatem nervum unum addidisset. Quodsi hoc in illis musicorum νόμοις, qui ad solam prope voluptatem comparantur, tam severe observandum putarunt; quanto magis in his, quibus tota resp. continetur? In quibus semper habendum in animo illud Hesiodium, νόμος δ' ὁ παλαιὸς ἄριστος. Pertinet huc nobile illud institutum Locrensium, quod refertur a Demosthene in *Oratione* κατὰ Τιμοκράτους. Aristoteles *lib.* 2. *Politicorum*, cum aliquot argumenta attulisset, cur leges interdum mutari expediret, postremo addit: Ἄλλως δὲ πρὸς τὸ ἐπισκοποῦσιν εὐλαβείας ἂν δόξειεν εἶναι πολλῆς. ὅταν γὰρ ᾖ τὸ μὲν βέλτιον μικρὸν, τὸ δὲ ἐθίζειν εὐχερῶς λύειν τοὺς νόμους φαῦλον, φανερὸν ὡς ἐατέον ἐνίας ἁμαρτίας καὶ τῶν νομοθετῶν καὶ τῶν ἀρχόντων. οὐ γὰρ τοσοῦτον ὠφελήσεται κινήσας, ὅσον βλαβήσεται, τοῖς ἄρχουσιν ἀπειθεῖν ἐθισθείς. Livius *lib.* 34. *c.* 53. *Nihil motum ex antiquo probabile est: veteribus, nisi quae usus evidenter arguit, stari malunt.* Sed verum tamen est, quod apud eundem *eodem libro c.* 6. L. Valerius tribunus plebis dicit his verbis: *Ego quemadmodum ex iis legibus quae non in tempus aliquod, sed perpetuo utilitatis caussa in aeternum latae sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reip. inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video.*

LEX III.

JAVOLENUS EPISTOLARUM LIB. XIII.

Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.

Be-

Beneficia principalia interpretari ipsi principes solent, *l. ex facto* 43. *pr. D. de vulg. & pupill. l. Neratius* 191. *D. de reg. jur.* Nos tamen, quod sine cujusquam injuria fiat, & dum ne excedamus modum ipsum beneficii a principe collati, ea quam latissime interpretari debemus. Exemplum ex *l. quidam consulebant* 57. *D. de re jud.* ex *l si cui. ex quib. causs. major.* ex *l. princeps* 21. *D. de verb. sign.* Accursius inepte ponit exemplum ex *l.* 3. *ult. cum l. seq. D. de poen. leg.* aeque inepte ex *l.* 1. *D. ad municip.* Bartolus ex *l.* 1. § *cum urbem* 4. *D. de offic. praef. urb.* nihilo melius. Quae a nobis posita sunt, vera & apta sunt.

LEX IV.

MODESTINUS LIB. II. EXCUSATIONUM:

Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν.

Exemplum habes in *l. ult. D. de servis exportandis* ubi constitutio D. Marci vincit constitutionem Hadriani. Sed talium exemplorum magna passim in Jure copia est.



MAN-

M. A. MURETI,

JCTI ET CIVIS ROMANI,

COMMENTARIUS

IN TITULOS AD MATERIAM JURISDICTIONIS PERTINENTES.

De Jurisdictione & Imperio hodie disserere institui, vobisque, quantum in me erit, viam munire ad utriusque naturam cognoscendam, & ad intelligenda ea, quae de illis, in iis veterum Jurisperitorum fragmentis, quae more suo; sine ordine ullo, & sine magno judicio Tribonianus in hos libros congessit, continentur. Tota autem haec disputatio mihi altius repetenda est, quam vulgo solet. Nam cum in aliis partibus juris, ab iis Interpretibus, qui vulgo plurimi fiunt, antiquitatis ignoratione multa peccata sunt: tum in hac, supra quam cuiquam credibile sit, plurima: ut in ceteris aliquando tamen aliquid vidisse; in hac plane caeci fuisse videantur. Nam cum Accursius, qui certe moderatius insaniit, quam ceteri, pauca quaedam erroris & inscitiae semina sparsisset, ea deinde posteriorum ingeniis, tamquam pingui ac feraci solo, concepta radices etiam egerunt, ita ut in arborem excreverint, quae longe lateque patulis diffusa ramis, quorum in singulis foliis totidem singularis stultitiae vestigia impressa erant, tantum effecit umbrae & opacitatis, ut qui sub ea jacebant, veritatis lucem aspicere nunquam potuerint. Inde isti gradus jurisdictionis parvae, minoris, minimae; magnae, majoris, maximae; itemque imperii parvi, minoris, minimi; magni, majoris, maximi: inde officium nobile, officium mercenarium, aliaque ejusdem generis somnia, quae qui magno fastu ac supercilio tradiderunt, pro jurisdictione juris ignorationem, pro mero imperio meram stultitiam, pro misto, mistam cum falsa opinione scientiae prodiderunt. Itaque ut traditum est, antiquis temporibus nobilem quendam musi-

cum duplicem mercedem exigere solitum ab iis, qui se ipsi in disciplinam darent, si prius aliis praeceptoribus usi essent, quod sibi duplicem laborem capiendum esse diceret, dedocendi unum, & alterum docendi: ita qui talibus, ut Plautino verbo utar, deliramentis infatuati sunt, conducere, si fieri posset, aliquem deberent, cujus ope ea, quae didicere, dediscerent. Sed nolo in eis insectandis operam abuti: jam pridem enim ad utiliora properat oratio.

Ut igitur jurisdictionis & imperii tractationem ab ipso fonte repetamus, illud inprimis ponendum est, neque sine legibus rempublicam esse posse, neque sine magistratibus leges. Nam & leges nervos atque artus reipublicae, & magistratus ipsos custodes ac vindices legum, vere ac merito homines sapientissimi nominarunt. Leges autem aut ad cultum divinum, aut ad formam & constitutionem reipublicae pertinent, aut ad negotia, quae inter singulos cives contrahuntur. Illud jus publicum, hoc privatum nostri vocant. De jure publico nihil nobis hoc tempore dicendum est, sed de eo tantum, quod pertinet ad negotia, sive, ut Aristoteles ea vocat, synallagmata. Jam negotiorum omnium, quae inter cives contrahuntur, bipertita divisio est: aut enim civilia sunt, aut criminalia. Quae ne vagentur & incerta sint, sed habeant cives in utroque genere certam aliquam regulam, quam sequantur: leges quoque alias de civilibus negotiis; alias de criminibus esse oportet. Nempe igitur magistratus quoque aut iidem utrisque, aut alii civilibus, alii criminalibus negotiis praesint necesse est. In republica Romana, civilibus controversiis inter cives disceptandis ac dijudicandis, praeerat Praetor urbanus; idque munus ipsius jurisdictionem urbanam vocabant. De nullo autem crimine cognoscebat Praetor urbanus, neque quisquam omnino apud eum ullius criminis reus postulabatur: sed tantum, ut ante dixi, de civilibus caussis. Quin etiam cum propter multitudinem negotiorum, unus omnibus sufficere non posset, cumque etiam quaedam humiliora essent, quam ut consentaneum videretur, Praetorem populi Romani in eis occupatum, ab aliis gravioribus avocari, judices dabat in singulas caussas, qui cognoscerent, ac sententiam ferrent: quibus tamen ipse prius formulam praescribebat, quam in judicando sequerentur, a qua eis

ne latum quidem unguem, ut dicitur, discedere licebat. Erant autem hujusmodi judices homines privati, qui deligebantur interdum ex ordine Senatorio, interdum ex equestri, interdum ex utroque, prout varietas temporum tulit, quibus judicia modo penes hunc, modo penes illum ordinem fuerunt. Hi judices legebantur a Praetore, & eorum nomina in albo proponebantur, ut litigatoribus ex toto illo numero deligendi potestas esset: vocabanturque judices selecti. Horatius *lib.* 1. *Serm.* 4. *vs.* 123.

Unum ex judicibus selectis objiciendo.

Seneca *lib.* 3. *de Beneficiis*, *c.* 7. *Non potest judex ad haec sumi ex turba selectorum, quem census in album & equestris hereditas misit.* Plin. *in praefatione Naturalis Historiae: Quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo.* A. Gellius *lib.* 14. *c.* 2. *Quo primum tempore a Praetoribus lectus in judices sum, ut judicia, quae appellantur privata, susciperem, libros utriusque linguae de officio judicis scriptos conquisivi.* Ex illis igitur ipsi litigatores communi consensu deligebant, quos de re sua judicare vellent: tum eos ipsis Praetor judices dabat. Cicero *pro Cluentio c.* 43. *Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima judicem esse, nisi qui inter adversarios convenisset.* Idem etiam significat Papinianus in *l. ex consensu* 33. *D. de appellationibus.* Neque dari poterat is, quem altera tantum pars nominatim peteret, nisi speciali permissu principis, *l. observandum est* 47. *D. de judiciis.* Hi, re cognita, sententiam quidem ferebant, sed cogere non poterant litigatores, ut sententiae suae parerent: privati enim erant. Magistratus igitur ipsi, qui eos dederant, eorum sententias exsequebantur, *l. a Divo Pio* 15. *D. de re judicata.* Ex iis, quae diximus, intelligi potest, quid sit jurisdictio; quam ita definiendam puto, ut dicamus, Jurisdictionem esse potestatem judicandi, judicesve dandi de civilibus controversiis, & de delictis privatis, omninoque de iis tantum, pro quibus non alia quam pecuniaria poena imponeretur. Ac quam diu stetit respublica, & quam diu etiam pura illa & incorrupta Latine loquendi consuetudo viguit, *jus dicendi* verbum nunquam

quam ad criminales caussas, saltem ad eas, pro quibus poena aliqua corpore subeunda esset, accommodatum est. Posterior aetas nonnunquam *jus dicere*, aut, quod idem est, *jus reddere* etiam eos dixit, qui quaestiones publicas exercebant. Pomponius *l.* 2. § 23. *D. de orig. jur. De capite civis Rom. non erat permissum Consulibus injussu populi jus dicere.* Idem §. 32. *Decem & octo Praetores in civitate jura reddebant.* Et tamen eorum plerique exercebant quaestiones publicas, ut notum est, & a nobis suo loco declaratum. Suetonius *in Augusto c.* 33. *Dixit autem jus non diligentia modo summa, sed etiam lenitate, si quidem manifesti parricidii rerum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiebantur hac poena, ita fertur interrogasse: Certe patrem tuum non occidisti?* Similia exempla & ex Asconio, & ex aliis proferuntur. Neque tamen propterea quisquam opinetur, jurisdictionem etiam ad crimina pertinere: aut eos sequatur, qui ajunt, ut adoptio dividitur in adrogationem & eam, quae generis nomine vocatur adoptio; sic & jurisdictionem dividi in imperium, & eam, quae proprie vocatur jurisdictio. Omnino enim jurisdictio ad pecuniarias tantum controversias pertinet: neque unquam accipitur pro potestate cognoscendi de facinoribus, aut in eos, qui se eis obstrinxerint, animadvertendi. Id quod vel his argumentis necessario pervinci potest. Maximam & plenissimam jurisdictionem in urbe habebat Praetor urbanus. Ejus autem de nullo prorsus crimine cognitio erat. Cognitio igitur de criminibus in jurisdictione non continetur. Item. Universa jurisdictio mandari potest, *l. solet praetor* 16. *cum l. seq. D. de jurisd.* Cognitio de criminibus mandari non potest, *l. solent* 6. *l. si quid erit* 11. *D. de offic. procons.* Cognitio igitur de criminibus non est pars jurisdictionis. Atque haec vera & rata sunt, ideoque, quae natura veri est, quo considerabuntur attentius, eo magis probabuntur. Nunc persequamur reliqua. Jurisdictionis, nisi ei admistum sit aliquod imperium, nulla esse utilitas potest. Quid enim agas, si vocatus in jus, venire nolit? Quid? si latitet, neque copiam sui faciat? Quid? si, Praetoris auctoritate contempta, sententiae illius aut judicum ab eo datorum parere abnuat? Nonne his & similibus casibus eam oportet Praetori esse potestatem, ut & cogat eos, qui juris-

 di-

dictioni suae subsunt, & superbiam ac contumaciam non parentium poena aliqua plectat? Sed & alia multa sunt civilia negotia, quae expediri sine imperio non queunt; ut cum danda est bonorum possessio; cum cogendus judex datus, aut is, qui arbitrium recepit, ut sententiam ferat, & similia. Sine illo igitur imperio nunquam est jurisdictio; alioqui enim inanis & frustratoria esset. Ideoque illud imperium vocatur mistum, quia ita adhaeret jurisdictioni, & ita cum ea confusum ac permistum est, ut unum quodammodo efficiant. Neque unquam haec separantur: quin imo quicumque habet jurisdictionem, sive suo jure, sive mandatam, habet & imperium illud, quod cum ea permistum est, & contra. Atque haec est natura imperii misti: quod ita definio, ut dicam, Imperium mistum esse potestatem imperandi in rebus ad civilia negotia pertinentibus, & modice coërcendi contumaces. Privatas igitur ac pecuniarias civium inter se controversias disceptabat ac dijudicabat Praetor urbanus: cujus erat & jurisdictio & imperium illud, quod ita cohaeret cum jurisdictione, ut plerumque totum id, quod ex utroque conficitur, jurisdictionis nomine intelligatur.

Sequitur, ut dicamus, quomodo criminalia judicia in urbe exercerentur, & quomodo de civibus, qui alicujus facinoris convicti aut confessi essent, poenae sumerentur. Ac diu quidem nullus magistratus ordinarius fuit, qui de criminibus cognosceret: nam primo ipso anno post exactos reges lata est lex Valeria, ut ne Consules quidem ipsi, quorum erat summum, &, ut Cicero loquitur, regium imperium, in caput civis Rom. animadvertere injussu populi possent. Sed & eadem lex virgis caedi Romanum civem vetabat, nisi populi permissu. Idemque postea diligentius etiam sancitum est & duabus aliis eadem de re Valeriis legibus, & lege Porcia, legibusque Semproniis. Cum igitur admissum quid erat, quod publice vindicandum videretur, referebatur de eo aut ad senatum, aut ad populum; & vel SCto, vel lege mandabatur quaestio huic aut illi magistratui (Consuli, puta, aut Praetori) qui, re quaesita, referebat denuo ad populum: tum populus comitiis centuriatis (neque enim aliter fas erat) de civium capite judicabat. In crimine perduellionis creabantur duumviri, a quibus tamen ipsis ad populum provocatio erat. Nominantur quidem a Pomponio in *l.* 2. *D. de*

D. de orig. jur. & a Festo Quaestores parricidii, qui de rebus capitalibus quaererent: sed eorum usum neque frequentem, neque diuturnum fuisse in republ. vel ex eo constat, quod eorum longe rarissima est in scriptis veterum mentio. Nominantur & triumviri capitales, sed eorum in servos tantum & in viles atque abjectas personas potestas erat; quemadmodum etiam de Praefecto vigilum diximus. L. Sulla Dictator primus quaestiones perpetuas constituit, & ad veterem Praetorum numerum adjecit alios, qui quaestiones publicas exercerent, quos ex eo vocabant Quaesitores. Ex eis alii quaerebant de peculatu; alii de repetundis, de ambitu, de veneficiis, inter sicarios; & denique eas quaestiones exercebant, quas senatus decrevisset; eam scilicet quisque, quae sibi sorte obtigerat. Sed ne hi quidem jus ullum habebant animadvertendi in cives, cujuscumque tandem facinoris convicti essent. Dictator poterat de civibus supplicium sumere: sed is magistratus extraordinarius erat, neque fere nisi periculosis temporibus creabatur. Solebat etiam senatus, cum seditio, aut tale aliquid timebatur, mandare Consulibus, interdum etiam Praetoribus, & ceteris magistratibus, ut darent operam, ne quid detrimenti respubl. caperet; quemadmodum factum est in seditionibus Gracchanis, in conjuratione Catilinae, in metu Caesaris ad Urbem adventantis, & alias: quo SCto summa eis potestas etiam in capita civium permittebatur. Sed haec ordinaria non erant.

Itaque vere dici potest, potestatem gravioris coërcitionis in cives Rom. & adimendi eis vitam, aut libertatem, aut civitatem, antiquitus apud populum solum fuisse. Oppressa, & in unius arbitrium redacta republ. quae potestas penes populum fuerat, penes Imperatores esse coepit: qui etiam dederunt Praefecto urbi jus quaerendi de criminibus, & in sontes pro admissi modo animadvertendi, *l. 1. D. de off. praef. Urbi.* Unde in sacris libris, quibus sanctorum martyrum res gestae, & poenae, quas eorum quisque pro Christi nomine excepit, continentur, fere semper reperias sub quo quisque praefecto martyrii coronam acceperit. Plerumque tamen de honestioribus civibus non sumebatur supplicium, nisi jussu ipsius Imperatoris. Atque haec, ὡς ἐν τύπῳ, in urbe ratio judiciorum fuit. Nunc dicendum est, quomodo haec ipsa ad-

ministrarentur in provinciis. Aristoteles *lib. 1. Politicorum* ait (& idem etiam quotidianus usus docet) in magnis & opulentis familiis ministeria esse distincta, ita ut singuli singulis tantum muneribus praepositi sint: ut alii, verbi caussa, sint dispensatores, alii cellae penariae, alii culinae, alii rei vestiariae, alii aliis rebus praefecti, quorum cuique sua & a ceteris separata curatio est. At in domibus pauperum necesse est ab uno plura munera sustineri, ut idem saepe sit & coquus, & pistor, & unctor, & tonsor: qualem idem philosophus ait fuisse gladium Delphicum; & qualia erant instrumenta, quae ipse alibi vocat ὀβελισκολύχνια, quibus utebantur & pro verubus & pro lucernis. In urbe, tanquam in domo splendida & opulenta, magistratuum munera distincta erant, ita ut alii civilia, alii criminalia judicia exercerent. In provinciis, tanquam in tenuioribus familiis, propraetores, aut proconsules, aut denique praesides, correctores, legati Caesaris, erant quasi gladii Delphici, & quasi illa, quae dixi, ὀβελισκολύχνια. Omnium enim urbanorum magistratuum vice & officio fungebantur: quaeque Romae varios habebant judices, ea omnia in provinciis ad officium praesidum pertinebant, *l. si in aliquam* 7. *D. de offic. proconf. l. ex omnibus* 10. *l. omnia* 11. *l. sed licet* 12. *D. de offic. praesidis.* Itaque habebant in provinciis non modo jurisdictionem, & imperium illud, quod semper cum jurisdictione permistum est, sed etiam imperium merum, id est, potestatem quaerendi de criminibus, & a confessis aut convictis poenas aut legibus constitutas, aut pro admissi modo arbitrarias exigendi. Sic enim definio imperium merum, de quo plura dicentur in *l. imperium* 3. *de jurisdictione.*

Hoc tamen imperium merum non habebant jure magistratus; sed quia, antequam in provinciam proficiscerentur, nominatim eis, stante republ. centuriata lege per populum, sub Caesaribus autem ab imperatore ipso, tribuebatur. Quod diligenter animadvertendum est: proderit enim ad ea, quae sequuntur, facilius intelligenda. Cum autem provinciae longe ac late paterent, neque posset idem propraetor aut proconsul eodem tempore omnibus totius provinciae negotiis satisfacere, praesertim cum omnium, ut dixi, magistratuum urbanorum vice fungerentur, dabantur eis a senatu legati, aut eos etiam interdum ipsi

arbi-

arbitratu suo deligebant, quibus mandarent jurisdictionem suam. Solebant autem id facere plerumque, cum jam essent ingressi provinciam: antea enim absurdum fuisset, *l. observare* 4. *D. de offic. proconf.* Interdum tamen, antequam ingrederentur, *l. aliquando* 5. *D. eod. tit* Mandata jurisdictione, poterant legati & judicare de civilibus controversiis, & judices dare, *l. legatus* 12 *D. de off. proconf l. cum praetor* 12. *D. de jud.* de criminibus cognoscere, aut gravius quemquam coërcere non poterant. *Si quid erit*, ait Venulejus in *l.* 11. *D. de off. proconf. quod majorem animadversionem exigat, rejicere legatus ad proconsulem debet: neque enim animadvertendi, coërcendi, vel atrociter verberandi jus habet* Nam jurisdictio quidem & cum ea omne illud imperium, sine quo iurisdictio explicari non potest (quod, ut dixi, vocatur imperium mistum) transferebatur in legatum: merum imperium non transferebatur. Caussa autem haec erat, quia specialiter tributum erat Praesidi: & regula juris est, *Quaecumque specialiter aut lege, aut SCto, aut constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferri*, *l.* 1. *D. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Quam legem nunc explicare ingredior.

DE OFFICIO EJUS, CUI MANDATA EST JURISDICTIO.

PAPINIANUS LIB. I. QUAESTIONUM:

Quaecunque specialiter lege, vel SCto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur.

Eorum, quae magistratibus competunt, duplex ratio est: quaedam enim competunt jure magistratus; quaedam specialiter eis lege, aut SCto, aut principum constitutione tributa sunt. Jure magistratus competere dicuntur ea, propter quae magistratus ipse principio institutus est. Exempli loco: Praetor Urbanus initio institutus est, ut jus diceret. Jurisdictio igitur, itemque imperium illud, sine quo jurisdictio explicari non potest, ei competunt jure ipsius magistratus Specialiter tributa sunt, quae ei ut licerent, utque ad ipsius curam pertinerent, aut lege

lata,

lata, aut senatus auctoritate, aut constitutione principum, effectum est. Illa mandari possunt; haec non possunt. Adhibita exemplorum luce, facile omnia intelligentur. Merum imperium non competit propraetori aut proconsuli jure magistratus.

Quomodo hoc doceri potest? Quia, si magistratus jure competeret, habuisset tum quoque, cum in Urbe magistratum gerebat. Unde igitur illud habet in provincia? Legis beneficio, quae nominatim de eo ferebatur, antequam in provinciam proficisceretur. Idque aperte significatur ad finem hujus responsi, ubi diserte scriptum est, *merum imperium lege dari*. Merum igitur imperium non poterit mandari, neque mandata jurisdictione transferetur. *Nec enim potest quis gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coërcitionis ad alium transferre*, ait Ulpianus, in *l. solent 6. D. de off. proconf.* quae verba frustra, ut pleraque alia, iterum relata sunt a Triboniano in *l. nemo potest 70. D. de regul. jur.* *Si quid erit*, ait Venulejus *l 11. D. de off. proconf. quod majorem animadversionem exigat, rejicere legatus ad proconsulem debet: neque enim animadvertendi, coërcendi, vel atrociter verberandi jus habet.* Cognitionem tamen custodiarum solebant interdum olim mandare legatis: qui tum audire quidem eos, qui in vinculis habebantur, & rem cognoscere poterant, absolvere autem, aut condemnare non poterant, sed praeauditas custodias ad praesidem remittebant, *d. l. solent 6. Hoc genus mandati*, ut ibi ait JCtus, *extraordinarium erat:* sed postea a Constantino factum est ordinarium, *l. 1. C. de off. proconf. & legati. Legati*, ait Imperator, *non solum civiles caussas, sed etiam criminales audiant: ita ut si sententiam in reos ferendam providerint, ad proconsules eos transmittere non morentur.* Nec obstat *l. de qua re 74. D. de judic.* non enim de legatis, sed de judicibus datis loquitur. *Cum hi, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti modico praesenti*, factum est SCtum in sententiam D. Marci, ne super eis sine Praetoris aut Praesidis provinciae auctoritate, & caussa ab eo diligenter cognita, transigere liceret, *l. cum hi 8. D. de transact. l. eleganter 23. D. de condict. indeb.* Hanc igitur curam mandare, aut transferre, neque Praetor, neque Praeses provinciae poterit, *d. l. cum hi 8. §. 13. Tuto-*

ris

ris datio neque imperii est, neque jurisdictionis: sed et soli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel SCtum, vel princeps, *l. muto* 6. § *tutoris datio* 2. *D. de tutel.* Mandare igitur eam is, cui data est, non poterit, *l. nec mandante* 8. *D. de tut. & curat. datis ab his* &c. Atqui etiam *legati proconsulum tutores dare poterant*, *l. pen. D. de off proconf.* Fateor: sed id ipsis quoque propter pupillorum utilitatem concessum erat; ut alio loco dicetur.

Quae vero jure magistratus competunt, mandari possunt.

Nisi talia sint, ut ipsius magistratus personam requirant. Sunt autem ejusmodi. Primum omnia, quae tantum pro tribunali, non etiam de plano expediri queunt: neque enim habet legatus tribunal. Ea enumerare possemus, si exstarent libri Protribunalium Ulpiani. Deinde etiam ex iis, quae de plano expediuntur, certa quaedam sunt, quae per legatum expediri non queunt; ut ecce, manumittit Praetor etiam de plano, *l. non est omnino* 7. *D. de manum. vindict.* & tamen *apud legatum nemo potest manumittere*, *l.* 2. §. 1. *D. de off. proconf.* Qua tamen in re magnum negotium exhibet *l. apud proconsulem* 17. *D. de manum. vindict.* cui propterea Cujacius *cap.* 1, *lib.* 1. *Observationum* negationem addendam censuit. Idem in adoptione, *l.* 3. *D. de offic. proconf.* Sed his de rebus certi aliquid constituere, amissis omnibus veterum JCtorum libris, perdifficile videtur.

Et ideo videntur errare magistratus, qui cum publici judicii habeant exercitionem lege vel SCto delegatam, veluti legis Juliae de adulteriis, & si quae sunt aliae similes, mandant jurisdictionem suam.

Videri potest hoc loco Papinianus publici judicii exercitionem, jurisdictionem vocare. Idque ita visum est etiam Cujacio Mihi tamen omnino aliud videtur. Nam Papinianus ipse, cum ex persona sua loquitur; ait eos habere exercitionem publici judicii, non autem jurisdictionem. At ipsos ait mandare jurisdictionem suam, & in eo videri errare. Errant autem, ut ego quidem opinor, dupliciter: primum quia male utuntur jurisdictionis nomine: deinde quia id mandant, quod mandari non potest. Quod ipsum videtur etiam Antonio Vaccae.

Hujus rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Non aliter itaque

mandare poterit, quam si abesse coeperit: cum alias jurisdictio etiam a praesente mandetur.

Si exercitio publicorum judiciorum mandari posset, frustra nominatim cautum esset lege Julia de vi, ut ejus exercitio mandari posset a proficiscente. Non est autem judicandum, quidquam temere lege comprehensum esse. Est igitur hoc argumentum fortissimum, quo probemus, exercitionem publici judicii regulariter non posse mandari. Hoc loco multae quaestiones agitari solent. Primum de vi argumenti ex contrario, quod hic dicitur esse fortissimum. Ea tractatio propria est dialecticorum. Et traditur haec regula ab Aristotele *in Topicis*, *Contraria de contrariis dicta probabilia esse.* Frequens ejus usus in jure. Ulpianus in *l si procuratorem* 8 §. 8. *D. Mandati. Si hi qui pro te fidejusserant in majorem quantitatem damnati, quam debiti ratio exigebat, scientes & prudentes auxilium appellationis omiserunt, poteris, mandati agentibus his, aequitate judicis tueri te. Igitur si ignoraverint, excusata ignorantia est.* Idem *l. si cum dotem* 22. *D. solut. matr. Si, cum dotem daret pater vel extraneus pro muliere, in unum casum pepigit, vel in divortium, vel in mortem, dicendum est, in eum casum in quem non pepigit esse mulieri actionem.* Elicit & ex hoc loco Bartolus regulam sane utilem: quod uno aliquo casu nominatim permissum est, in aliis, quorum similis ratio non est, prohibitum videri. Nam in iis quidem, quorum similis ratio est, itidem permissum videtur. Itaque si propter infirmitatem non possit Praetor exercere judicium de vi, aeque mandare poterit, ac si proficisceretur: argumento sumpto ex *l. unica D de offic. consf.* ut hic ex Cyni sententia adnotat Bartolus. Contraque, quod una aliqua in re prohibitum est propter certam aliquam causam, in alia, cujus similis ratio non est, permissum esse censetur, *l. milites agrum* 13. *D de re milit.* Sed numquid, ut infirmitas, ita etiam occupationum multitudo efficiet, ut haec cognitio mandari queat? Et negat Bartolus, cujus sententia recepta est. Sed num, quia exercitio legis Juliae de vi potest mandari a proficiscente, idem etiam ad alia publica judicia transferri poterit? Et vulgo putant posse. Ego contra. *Quod enim contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias, l. quod vero* 14. *D. de*

legibus. l. quod contra 141. *D. de reg. jur.* Bis enim eadem verba hic quoque a Triboniano fine causfa inculcata funt.

Et, fi a familia dominus occifus esfe dicetur, cognitionem Praetor, quam ex SCto habet, mandare non poterit.

SCtum dicit Silanianum, quod factum eft ultioni juxta & fecuritati, ut fi quis domi fuae occifus esfet, de omnibus & fervis & libertis ipfius, qui fub eodem tecto fuisfent, & opem ei ferre neglexisfent, fupplicium fumeretur, *toto tit. D. de SCto Silaniano.* Obftare autem videtur *l. excipiuntur* 14. *D. eod. tit.* in qua ita fcriptum eft: *Excipiuntur SCto Silaniano impuberes fervi. Trebius autem Germanus legatus etiam de impubere fumi jusfit fupplicium.* Sed Trebium hunc, dicendum eft, Caefaris, non Praetoris legatum fuisfe. Quae hactenus expofuimus, conjuncta inter fe & continuata funt: quae fequuntur, funt quidem ex eodem Papiniani libro; fed cum fuperioribus non cohaerent.

§. 1. *Qui mandatam jurisdictionem fufcepit, proprium nihil habet, fed ejus qui mandavit jurisdictione utitur.*

Hoc verum eft, five privatus fit is, cui mandata jurisdictio eft, five magiftratu praeditus. Ita enim fcriptum eft infra *l.* 3. *D. hoc ipfo tit. Et fi Praetor fit is qui alienam jurisdictionem exequitur, non tamen pro fuo imperio agit, fed pro eo, cujus mandato jus dicit, quotiens partibus ejus fungitur.* Nihil igitur habet proprium, id eft, fuum: fed quidquid habet, mandantis beneficio habet. Ideoque a legato non appellatur proconful, ne idem videatur appellari a fe ipfo, fed is, qui appellaretur ab ipfo proconfule, id eft, princeps, *l. imperatores* 21. *D. de appellationibus. l.* 1. *D. quis & a quo appelletur.* Videtur tamen adverfari Pomponius in *l. legati* 13. *D. de offic. proconf.* ita enim fcribit: *Legati proconfulis nihil proprium habent, nifi a proconfule eis mandata fuerit jurisdictio.* & *l. cognitio* 5. *D. eod. titul.* Sed ad hanc pofteriorem quid refpondendum fit, cras dicam, & alioqui res fatis per fe clara eft Ad Pomponii dictum difficilior refponfio eft. Itaque Antonius Vacca pro *nifi*, legendum putat, *nec fi.* Et certe fcio, etiam apud Ciceronem hoc modo peccatum esfe. Cujacius *cap.* 21. *lib.* 7. *Obferv.* aliud esfe putat in legato proconfulis, aliud in eo, cui Praetor mandavit jurisdictionem: hunc enim nomanan-

mandata quidem jurisdictione quidquam habere proprium; at illum habere, propterea, quod, ut ipse ait, proconsul legato, qui sibi datus est a senatu, utique jurisdictionem mandare cogatur. Quod mihi probari non potest: cum videam in *l. solent* 6. §. *D. de offic. proconf.* diserte scriptum, *mandare jurisdictionem, vel non mandare esse in arbitrio proconsulis.* Aliorum sententias piget referre. Ita autem existimo, varie accepto proprii nomine, utrumque posse defendi. Nam si proprium cujusque est, quod quis suo jure habet, quodque ipsi invito eripi non potest: hac sane ratione legatus proconsulis ne mandata quidem jurisdictione, quidquam proprium habet. Sed si quidquid quis singulare ac praeter ceteros habet, id ipsius proprium vocamus: hoc modo nihil prohibet dicere, legatum proconsulis, mandata sibi jurisdictione, habere multa propria, id est, quae praeter ipsum nemo habeat ex iis, qui sunt in comitatu proconsulis. Itaque facile crediderim, veteres JCtos, qui certe saepenumero alii aliorum verba captabant, & reprehendendis aliis ingenii laudem aucupabantur, hac de re aliter alios tradere solitos; quod post etiam magis intelligetur.

Verius est enim, more majorum, jurisdictionem quidem transferri: sed merum imperium quod lege datur, non posse transire, Paulus notat. Et imperium quod jurisdictioni cohaeret, mandata jurisdictione transire, verius est.

Transferri.] Ita tamen, ut maneat etiam apud transferentem: transferri igitur, id est, communicari.

Videntur haec pugnare potius cum iis, quae proxime antecesserunt, quam ex iis apta esse. Nam si jurisdictio transfertur: videtur propria ejus quoque fieri, in quem transfertur. Vacca pro *enim*, legit *tamen:* ut Papinianus ipse correctionem quandam adhibeat sententiae suae. Alii aliter: quorum sententias referre non vacat. In quibusdam veteribus audio scriptum esse hoc modo: *Enim verius est more majorum &c.* Quod si est, puto notam esse, & ex illo *enim*, facio *N. M.* id est, notat Marcianus: nam is quoque scripsit notas ad Papinianum, *l.* 1. §. *sed neque* 6. *C. de vetere jur. enucl.* Sic autem Pauli nota erit potius adversus notam Marciani, quam adversus ipsum Papinianum. Moveor & illo

illo loquendi genere, *verius est*, quod bis positum est; & significare videtur quandam dissensionem.

Lex II.

[Ulpianus Lib. III. de omnibus Tribunalibus:

Mandata jurisdictione a praeside consilium non potest exercere is cui mandatur. §. 1. *Si tutores vel curatores velint praedia vendere, caussa cognita, id Praetor vel Praeses permittat: quod si mandaverit jurisdictionem, nequaquam poterit, mandata jurisdictione, eam quaestionem transferre.*

Multa sunt, quae leges fieri prohibent, nisi caussa, cur fieri debeant, prius coram magistratu populi Rom. apud consilium probata sit. Consilium autem constabat Romae quidem ex quinque senatoribus & totidem equitibus Rom. in provincia autem ex 20. civibus Rom. ut auctor est Ulpianus *in fragmentis tit.* 1. §. 13. & Theophilus *in tit. Qui & quibus ex causs. man. non possint.* Exempli caussa, minor 20. annis ex lege Aelia Sentia, nisi caussa apud consilium probata, manumittere non potest, §. *eadem lege* 4. *Instit. Quibus ex causs. man. non lic.* Transigi super alimentis relictis, nisi caussa probata, non potest, *l. cum hi* 8. *D. de transact.* Praedia minorum, ut statim dicetur, alienari, nisi probata caussa, non queunt. *Post litem contestatam procuratorem mutare reus sine caussae cognitione non potest*, *l. post litem* 17. *D. de procurat.* Restitutio in integrum caussae cognitionem requirit, *l.* 3. *D. de in integr. restit.* Cum talia examinat Praetor, & numquid permitti debeant, convocato consilio, iisque, quorum interest, praesentibus, considerat, tunc dicitur consilium exercere. Non potest autem haec facere de plano: *Cum caussae cognitio*, ut Constantinus scribit, *non interpellatione plenaria, sed considente magis judice, legitime colligatur*, *l. a procedente* 4. *C. de dilationibus.* Neque talia per libellum expedire, *l. nec quidquam* 9. §. *ubi decretum* 1. *D. de offic. proconf. l. omnia* 71. *D. de reg. jur.* ne mandare quidem legato suo, tum quod, ut diximus, legatus tribunal non habeat;

beat; tum quod haec ipsi magistratui specialiter commendata videantur. Omninoque *ubicumque causae cognitio est, ibi Praetor desideratur*, *l. ubicumque* 105. *D. de reg. jur.* Et hoc ipsum est, quod priore parte hujus capitis ab Ulpiano traditur. Statim autem idem confirmat exemplo:

Si tutores vel curatores &c.] Praedia eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto alienari regulariter non possunt, *toto tit. D. De rebus eorum qui sub tut. &c. C. de praediis & aliis reb. min. sin. decr. non alien. vel oblig.* Hic igitur, ut in iis, de quibus antea diximus, magistratus ipsius persona desideratur.

Lex III.

Julianus Lib. V. Digestorum:

Et si praetor sit is, qui alienam urisdictionem exsequitur, non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo cujus mandatu jus dicit, quotiens partibus ejus fungitur.

De hac lege satis dictum est in explicatione *l.* 1. idem traditur in *l. solet praetor* 16. *D. de jurisdict.*

Lex IV.

Macer Lib. I. de Officio Praesidis:

Cognitio de suspectis tutoribus mandari potest. imo etiam ex mandata generali jurisdictione, propter utilitatem pupillorum, eam contingere constitutum est in haec verba: Imperatores Severus & Antoninus Braduae proconsuli Africae: Cum propriam jurisdictionem legatis tuis dederis, consequens est, ut etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere.

Dubitatum esse hac de re apud antiquos, ostendit Ulpianus *l.* 1. §. 3. *D. de suspectis tutoribus*, his verbis: *Damus autem jus removendi tutores suspectos Romae Praetoribus, in provinciis Praesidibus earum. An autem apud legatum proconsulis suspectus postulari possit, dubium fuit. Sed Imperator Antoninus cum Divo Severo Braduae Maurico, proconsuli Africae, rescripsit posse.* Videtur tamen vehementer obstare id, quod scriptum est

l. 1.

l. 1. §. 11. *D. ad SCtum Turpilianum*, in haec verba: *Suspecti tutoris accusatio pro tribunali tantum examinari potest, & nullus alius de hujusmodi quaestione quam praeses pronunciare potest.* Qua de re alii aliter. Ego ita sentio. Aliud est postulare, ut tutor tanquam suspectus removeatur; aliud accusare eum tanquam fraudulenter in tutela versatum, ut extra ordinem puniatur. Illud fiebat in urbe apud Praetorem urbis; hoc apud praefectum urbi: qui, ut saepe dictum est, de omnibus criminibus cognoscebat, §. *sed si quis* 10. *Institut. D. de suspect. tut. vel cur. l.* 1. §. *ultim. l. tutor* 3. §. *tutor qui ad alimenta* 14. *D. eodem l.* 1. §. *solent* 7. *D. de offic. praef. urbi.* In provincia utrumque fit apud Praesidem. Sed cum alterum, nempe removere tutorem, sit imperii misti: alterum autem, quod est atrociter eum pro modo delicti punire, imperii meri; ideo illud quidem legatus potest, ut hic dicitur: hoc non potest, ut in *d. l.* 1. *D. ad SCtum Turpilian.*

Propter utilitatem pupillorum] Nam si semper expectandus esset ipse Praeses, ea res daret improbis tutoribus in pupilli patrimonio diutius grassandi facultatem: & sic quod favore pupillorum introductum videretur, in detrimentum ipsorum redundaret, contra *l. quod favore* 6. *C. de legibus. & cap. quod ob gratiam* 61. *de reg jur. in* 6.

Propriam] Non dicit propriam eorum, quibus mandata est, sed propriam ipsius mandantis.

Dederis autem, id est, mandaveris: non enim ita dedit, ut eam sibi abjudicaverit.

Ut possessio bonorum detur, vel si cui damni infecti non caveatur, ut is possidere jubeatur, aut ventris nomine in possessionem mulier, vel is cui legatum est, legatorum servandorum caussa in possessionem mittatur, mandari potest.

Ut possessio] Dum ea sit, quae de plano peti potest, *l.* 2. §. *dies* 1. *D. Quis ord. in bon. possessione serv.* nam quae caussa cognita datur, non nisi pro tribunali dari potest, *l.* 3. *si caussa cognita* 8. *D. de bon. possession.*

Damni] Dies praestituitur, intra quem si non caveatur, actor mittitur in possessionem, *l. dies* 4. §. 1. *D. de damno infect. l.* 1. *D. Quib. ex causs. in poss. eatur.*

Ven-

Ventris] *L.* 1. *D. de ventr. in poſſ. mitt.*

Legatorum] Ad extorquendam heredi cautionem *l. is cui* 5. *D. ut in poſſ. leg. ſeu fideicommiſſ. ſervand. cauſa eſſe liceat.*

L E X V.

Paulus Lib. XVIII. ad Plautium:

Mandatam ſibi juriſdictionem mandare alteri non poſſe manifeſtum eſt, §. 1. *Mandata juriſdictione privato etiam imperium, quod non eſt merum, videtur mandari: quia juriſdictio ſine modica coërcitione nulla eſt.*

Legatus judices quidem dare poteſt: mandare juriſdictionem non poteſt: neque enim ipſius propria eſt. Id quod ſtatim ſubjicitur, ſatis ex iis, quae ſupra diximus, intelligi poteſt.



M. AN



M. A. MURETI

NOTAE

IN

JUSTINIANI INSTITUTIONES.

M. A. MURETI NOTAE

IN JUSTINIANI INSTITUTION. LIB. I.

IN PROOEMIUM.

Gentes] Gentes his libris proprie vocantur, quae a satrapis reguntur, neque redactae sunt in formam provinciae: sic accipitur hoc nomen etiam a Tacito in libro *de moribus Germanorum*: *Maneat quaeso duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui.*

Numerosae] Ita legendum ex veteribus libris: sic & *l.* 1. *C. in quib. caus. in integr. rest. nec. non est.*

Post tanta temporum spatia] Africa quidem CL. annos a Vandalis possessa erat.

Promulgatis] Promulgatas dicit suas: compositas vero alienas: quae ante ipsum confusae erant, ab ipso autem ordine digestae sunt.

Consonantiam] Scilicet primum Codicem, qui hodie non extat; is autem, quo hodie utimur, postea compositus est, vocatusque Codex repetitae praelectionis.

Ad immensa] Id est, ad scripta, quibus veteres Jurisconsulti interpretati erant antiquas leges, plebiscita, edicta, constitutiones Imp. Ex illorum autem fragmentis confecti sunt L. libri Digestorum seu Pandectarum. Recte autem *immensa*: erant enim amplius tricenties centena millia versuum.

Magnifico] Amplior erat illis temporibus *magnifici* appellatio, quam illustris, ut recte hic Contius.

Magistro] Omnes, quibus munus aliquod in aula Imperatoris mandatum erat, *magistri* vocabantur: ut *magistri scriniorum*; *magistri* libellorum, & alii. Tribonianus autem erat *magister* officiorum, cujus amplissima erat auctoritas.

Et Exquaestore] Olim qui Consulatum gesserant *Consulares* dicebantur: qui Praeturam, Praetorii: qui Quaesturam, Quaestorii. Sed cum coepissent Impp. jus Consula-

fulatiatus, Praetoriatus, Quaestoriatus quibusdam dare, qui nunquam illos magistratus gesserant: coeperunt ii, qui vere fuerant in magistratu, non jam amplius Consulares aut Quaestorios se vocare; (ita enim vocabantur etiam quibus hoc principali tantum beneficio tributum erat) sed Exconsules, Exquaestores, & sic in ceteris. *Quaestor* autem temporibus Justiniani erat summus magistratus post Principem. Procop. *lib.* 1. *de Bello Persico.*

Antecessoribus] Sic vocabantur, qui leges docebant.

Ab antiquis] Ut ex institutionibus Caji & Ulpiani. Delenda autem vox est *fabulis*, auctoritate quorundam librorum veterum.

IN TIT. PRIMUM.

DE JUSTITIA ET JURE.

De Justitia & Jure] Nomine *juris* hoc titulo intelligitur ipsa jurisprudentia.

Justitia] Haec definitio non satis ex arte facta est: nec enim dicere possumus voluntatem esse genus, sub quo *justitia* contineatur, ut species. Continetur enim *justitia* sub virtute. Sed fatendum est, definitiones Jurisconsultorum, si exigantur ad Dialecticae leges, prope omnes corruere: satis autem est, si aperte ac commode rei propositae naturam explicent, & cum ea reciprocentur, quod haec praestat.

Voluntas] *Voluntatem* dicit virtutem in voluntate positam: nam ex virtutibus moralibus, quaedam positae sunt in ea parte animi, qua concupiscimus, ut temperantia; quaedam in ea, qua irascimur, ut fortitudo: *Justitia* autem in neutra harum sita est, sed in *voluntate*. Sententia autem hujus definitionis haec est. Potest quidem aliquis jus suum cuique tribuere, & tamen injustus esse; ut si id faciat metu infamiae, aut metu poenae per simulationem. Potest contra non tribuere suum cuique, & tamen esse justus: ut si eo animo sit, ut velit recte judicare, sed fallatur in judicando; veluti si quis cum multis multa deberet, naufragio aut incendio ad inopiam redactus, non possit ea quae debet exsolvere, hic

dum sit eo animo, ut velit suum cuique tribuere, idque constanter & perpetuo velit, quanquam id per impotentiam non facit, justus tamen habendus est. *Justitia* igitur non tam posita est in eo quod fit, quam in eo quod quisque facere vult. Haec definitio *Justitiae* convenit cum iis, quae de eadem virtute traduntur ab Arist. *lib.* 5. *Ethic.*

Jurisprudentia] Haec definitio multis modis vitiosa videri possit: primum quod habet duo genera. Nam & notitia & scientia generis locum obtinent: unicum autem genus in una definitione ponendum est. Deinde quod falsa: convenit enim potius universae Philosophiae, quam veteres dicebant esse cognitionem rerum divinarum & humanarum, & causarum, quibus eae continentur. Et, si *Jurisprudentia* esset *rerum divinarum & humanarum notitia*, sequeretur, eam notitiam esse omnium rerum; certe enim omnes res sunt aut divinae, aut humanae; quod absurdissimum est. Praeterea, quasi parum esset dixisse eam & divinarum & humanarum rerum esse notitiam, addit *esse scientiam justi & injusti*, perinde ac si *justum* & *injustum*, nec in divinis, nec in humanis rebus continerentur. Sed, ut ante dixi, accuratio definiendi a Jureconsultis exigenda non est, quibus satis est rei propositae naturam quoquo modo explicare. Vera autem sententia hujus definitionis haec est: Antiqui juris civilis pars quaedam jure Pontificio, jure Augurali, & libris ritualibus continetur: hanc vocabant *notitiam rerum divinarum*, id est, *sacrorum & rerum ad sacra pertinentium*. Altera pars pertinebat ad negotia, quae inter se homines contrahunt, id est, ad ea quae Arist. V. *Ethic.* vocat συναλλάγματα, in quibus illi, quid justum, quid injustum esset, definiebant: propterea igitur ait, *esse notitiam rerum humanarum, & in eis justi atque injusti scientiam.* Sunt qui dicunt, illud *divinarum* poni propter eos titulos, qui sunt in Cod. ad rem divinam pertinentes, aut propter jus Canonicum; sed ridiculi sunt. Certe enim Ulpianus hujus definitionis auctor in *l.* 10. *ff. de just. & jur.* neque de illis titulis, nec de jure Canonico quidquam cogitare potuit.

Juris praecepta] Arist. V. *Ethic.* docet, legum praeceptis contineri omnia officia virtutum; eorum autem, quae legibus praecipiuntur, quaedam pertinent ad publi-

eam honestatem, quaedam ad cives prohibendos injuriis: quaedam ad poenas & ad praemia, pro cujusque dignitate statuenda, & omnino ad tribuendum unicuique id quod ipsi debetur: quod exemplis facile ostendi potest. Senator si pantominam, aut libertinam, aut eam quae corpore quaestum fecerit, uxorem ducat: maritus si uxorem in adulterio deprehensam retineat, non propterea dicitur quenquam laedere, aut jus suum cuiquam adimere, sed tamen facit inhoneste, & adversus dignitatem ordinis sui. Itaque haec & talia prohibentur legibus: leges, quibus fures dupli aut quadrupli damnantur, item hae, quae de injuriis, de famosis libellis, aliisque similibus feruntur, eo pertinent, ne quis alterum laedat: leges quae de contractibus, de hereditatibus dividendis, aliisque ejusdem generis feruntur: itemque eae, quibus poenae constituuntur adversus facinorosos, viris autem virtute praestantibus praemia decernuntur, eo pertinent, ut jus suum unicuique tribuatur.

Positiones] Sic vocat partes sive species: quam vocem hoc sensu hic solum legi.

Publicum & privatum] Omne jus civile duas habeat partes necesse est: unam quae pertinet ad reipubl. formam: alteram quae ad negotia privatorum. Exempli caussa statuatur, qui, quotque magistratus esse debeant in civitate, quomodo creari sorte, aut suffragiis, quae sit cujusque auctoritas, quod ad tempus durare debeant, & similia: & haec pars juris, vocatur *Jus publicum*: quale erat Romae jus Senatorium, leges Annales, lex de eodem magistratu non capiendo intra decennium, ut magistratus annui essent, praeter Dictaturam, quae semestris erat, ut Censores quinto quoque anno crearentur, ut duo Consules sint & summam potestatem obtineant, ut Praetores sexdecim: item jus augurarium, jus pontificium, ut Flamen Dialis ex urbe plus binoctium abesse non posset, ut omnia sacra essent in potestate Pontif. maximi, &c. Et ideo dicit Jurisconsultus *Jus publicum* spectare ad statum reipubl. Romanae, & consistere in Sacris, in Magistratibus, in Sacerdotibus *l.* 1. *ff. eod.* Alteram partem juris esse oportet, in qua statuuntur ea, quae observanda sunt in negotiis, quae singuli cives inter se contrahunt; ut venditor re evicta teneatur in duplum, ut illata in aedes conductas, tacite obligata sint

locatori pro pensione aedium: ut, quam diu supersint agnati, excludantur ab hereditate ii, qui tantum cognati sunt. Haec & similia non ad formam reip. sed ad singulorum utilitatem pertinent.

De jure privato] Notandum igitur est, in iis libris nihil prorsus tradi de jure publico, id est, de eo quod pertinet ad formam reipublicae; quod, ut ait Ulp. *l.* 1. *hoc tit.* consistit in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus: imo vero nec in Pandectis quidem, praeterquam in *lib.* 1. ubi pauca quaedam traduntur de officio magistratuum.

Collectum est enim] Quaeritur, an *jus* quoque *publicum collectum* sit ex hoc triplici genere praeceptorum? quicquid alii dicant, respondeo, jus publicum esse totum mere civile, cum unaquaeque civitas arbitratu suo sibi instituat certum numerum, & certa munera magistratuum, & certam denique totius reip. formam. Praecepta autem dicuntur hic προλήψεις καὶ ἔννοιαι, id est, *anticipatae quaedam & informatae in animis notiones.*

IN TIT. II.

DE JURE NATURALI, GENTIUM, ET CIVILI.

Omnia animalia &c.] Revera quidem nullum jus est in bestiis: ratione enim carent, sine qua jus esse non potest: &, si jus in eas conveniret, possent etiam injuriam facere: quod non possunt *l.* 1. *ff. si quadrup. paup. fec. dic.* Sed Ulpianus *Jus naturale* sic vocat praecepta quaedam informata in animis hominum ab ipsa natura, quae ita certa & perspicua sunt, ut etiam bestiae ipsae, si loqui possent, dicturae videantur, ea justa esse, & ipsae quoque quodammodo ea observent. Ut ecce justum est liberos ali a parentibus: hoc etiam bestiae faciunt: justum est vim vi repellere: hoc etiam a bestiis fieri videmus: non quod bestiae intelligant id justum esse, sed quod perinde faciunt, ac si ipsae quoque ita jus esse intelligerent. Hoc vocant, *Jus naturale.* Quaedam alia sunt, quae observantur quidem ab hominibus, ipsa natura duce; sed eorum in bestiis nullum, ne tenuissimum quidem, vestigium est. Exempli causa: apud omnes gentes legati sacrosancti sunt: qui emit, cogitur numerare pretium: qui vendit, rem tradere: apud omnes ju-

ſtum cenſetur, ſervare fidem. Hujus etiam generis ſunt bellum, pax, induciae, foedera, pactorum obſervatio, permutatio, venditio, locatio, & ſimilia. Haec referuntur ad *Jus gentium*, quia obſervantur quidem ab omnibus gentibus; ſed eorum nullum exemplum in beſtiis cerni poteſt. Sed & ipſum quoque *Jus gentium* vocatur *Jus naturale*: imo vero pauciſsimi ſunt loci in jure, in quibus *Jus naturale* aliter accipiatur, quam pro *Jure gentium*. Vulgati tamen Doctores ita diſtinguunt, ut aliud vocetur *Jus naturale* ſecundarium, & aliud primarium; ſed hoc fruſtra & inepte. Quaedam alia ſunt propria ſingularum civitatum, ut quod Lacedaemone ingenuis hominibus nullam factitare artem licebat; quod pater filium ter venundare poterat. Haec & eorum ſimilia proprie referuntur ad jus civile.

Cenſeri] Quinto quoque anno Romae creabantur *Cenſores*, qui cenſum agebant, id eſt, deſcribebant in libris ſuis nomina & bona omnium civium; &, ſi quis dolo malo cenſus non erat, amittebat & civitatem, & libertatem, & publice vendebatur: eodem quoque modo ſi quis aliquam partem bonorum ſuorum ſubticuiſset, nec eam detuliſset in cenſum, eam amittebat. Cenſebatur ergo unusquisque capite, liberis, praediis, & ſimilibus: pauperes autem, qui nihil habebant quo cenſerentur, nihil referebant in libros cenſuales, praeter nomen ſuum, & vocabantur capite cenſi. Eleganter igitur Ulpianus ait, *Feras quoque hujus peritia juris cenſeri*: id eſt, ſi earum quaſi cenſus ageretur quidam, poſſe in cenſum deferre inter cetera, hujus quoque juris peritiam.

Jus autem civile], *Jus civile* proprie ſignificat ea, quae conſtituuntur ab unaquaque civitate: & illic tantum valent, ubi conſtituta ſunt.

Legibus & moribus] *Leges* vocat omne jus ſcriptum: *Mores* autem jus non ſcriptum.

Populus] In Democratia quidem populus; in Ariſtocratia Optimates: in Monarchia Princeps.

Quod vero] Nota, Jus gentium naturali ratione niti: unde fit, ut in libris juris civilis, nomine naturae aut juris naturalis, fere ſemper Jus gentium intelligatur.

Sed quoties non addimus] Cicero in Topicis: *ut Homerus, propter excellentiam commune Poëtarum nomen effecit apud Graecos ſuum.* Seneca 8. *Epiſtol. Poëta commu-*

muniter dicitur; omnibus enim versum facientibus hoc nomen est; sed jam apud Graecos in unius notam cessit; Homerum intelligas, cum audieris Poëtam. Plutarch. *lib.* 4. συμποσιακ. *Cum multi sint Poëtae, unum, qui praestantissimus est, eo nomine proprie ac peculiariter vocamus.* Galenus: *Consueverunt homines quae in quoque genere praestant, ipsis quoque generis nomen proprie tribuere.*

Usu exigenti] Non tam vere dicitur, *Jus gentium institutum esse ab hominibus usu exigente*, quam naturali ratione in omnium animis insitum & ingenitum. Itaque a Poëtis vocatur aeternum, & Jurisconsultus ait alibi, illud esse cum ipso genere humano ortum.

Bella enim orta sunt] Bella non tam ex jure orta sunt, quam ex injuria: cum autem injuria juri naturali adversetur, bellum justum non videtur esse adversus naturam, sed potius esse quidem naturae consentaneum (naturalis enim est & propulsatio injuriae, & ultio publica) sed ortum ex eo quod naturae adversatur.

Ab initio] Mirum videri potest, quomodo servitus oriatur ex jure gentium, & tamen contraria sit juri naturali. Certe enim quicquid est contrarium juri, injustum est: at quod ex jure oritur, justum sit necesse est: qualem igitur servitutem esse dicemus? Nam & justa est, cum oriatur ex jure, & injusta, cum juri contraria sit. Sed dicendum est, jura inter se naturaliter quidem contraria non esse, sed casu quodam evenire, ut inter se contraria videantur. Exempli causa: justum est neminem alteri injuriam facere, &, si quis fecerit, poenas dare: haec non adversantur. Sed cum populus aliquis alteri populo injuriam fecit, natura aequum est, bellum suscipi adversus eum populum, qui lacessivit injuria, & praecepta ipsius naturae violavit, in quibus hoc praecipuum est, nemini faciendam esse injuriam. In eo bello multos interfici necesse est, multos capi; & eos, qui capiuntur, aequius est servire illis, a quibus capti sunt, quam ab iis interfici. Huc convenit illud Horatii: *Vendere cum possis captivum, occidere noli.* Inde natae sunt servitutes, quae, si quis rem accurate consideret, non tam naturali juri repugnant, quam ortae sunt ex culpa eorum, qui naturae jura migrarunt. Nam si omnes homines observassent praecepta naturae, ita ut nemo alte-

si fecisset injuriam, tunc justum fuisset, omnes homines liberos vivere: nunc quia aequum est eum, qui injuriam fecit, aliquam poenam pati: aequum est etiam, servire eos, qui justo in bello capti sunt.

Emptio venditio] *Emptio venditio* est contractus de re tradenda pro pretio: ubi enim pretium non intervenit, venditio non est. Quid? si res aestimata pro pretio aut parte pretii detur? Et haec quoque venditio est. Quid? si certae species numorum emantur alio monetae genere? Et respondeo: aut hoc agitur, ut pecunia tantum pro pecunia permutetur, & tunc non est venditio: aut emuntur certi numi, tanquam species quaedam, & tunc venditio est.

Locatio conductio] *Locare* est pretio interveniente usum rei ad tempus concedere. Sic dicimus *locare* equum, *locare* aedes: ubi qui *locat*, pretium accipit, qui conducit, solvit. Sed est quoddam genus locandi, in quo qui locat, solvit, qui conducit, pecuniam accipit: ut si quis agrum suum fodiendum alteri locet. Sed in hoc genere uterque est locator & conductor: nam is qui locat faciendum opus, conducit operas artificis; & artifex, qui conducit opus faciendum ab aliquo, locat illi operas suas.

Societas] Est contractus communis quaestus faciendi gratia.

Depositum] Est cum quid cui servandum datur, sine ulla mercede. In hoc contractu tantum praestatur dolus; negligentia enim nisi tam supina fuerit, ut dolo proxima sit, non imputatur ei, qui depositum suscipit.

Mutuum] Est contractus, in quo dominium rei transfertur in accipientem, cum obligatione restituendi tantumdem, & aeque bonum in eadem specie. Inter & mutuum & commodatum hoc interest, quod in mutuo transfertur dominium, in commodato non item. In commodato idem reddendum est, in mutuo nemo cogitur idem reddere. In mutuo casus fortuiti praestantur, in commodato non praestantur. Quod autem dicit, *pene omnes contructus*, illud *pene* additum est propter solam stipulationem, non vero, ut Accursius & eum sequuti putant, propter quatuor contractus.

Senatorio magistratu] *Senatorium magistratum* vocat, quem qui gerit, hoc ipso Senator est: talis erat Consulatus,

latus, Praetura, Aedilitas curulis, Censura. Antiquissimis autem temporibus Tribunatus pleb. non erat *Senatorius magistratus*, neque licebat Tribunis in curiam ingredi. Sedebant tamen pro foribus curiae, & cum aliquod SCtum factum erat, ad eos adferebatur: ipsi autem, si illud probabant, addebant literam T. & tum demum SCtum in aes incidebatur: dein perferebatur in aerarium. Si quod SCtum Tribuni non probassent, erat irritum. Sed haec antiquitus fuerant. Temporibus quidem Ciceronis Tribuni plebis non tantum veniebant in Senatum, & erant Senatores: sed etiam ipsimet Senatum habere poterant, ut aperte constat ex aliis locis, & ex Philippicis. Haec ergo definitio respicit ad illa tempora antiqua, quibus Tribunatus plebis non erat magistratus Senatorius.

Lege Hortensia] Lege Horatia primum; dein Hortensia: illa lata est cum plebs secessit in Aventinum: haec cum in Janiculum. auctores Plinius & Livius.

Nam cum auctus] Causa haec commentitia est: nam jam inde a Romuli temporibus valebat, quod Senatus constituerat; & Ciceronis temporibus leges tantum a populo ferebantur.

Sed & quod Principi placuit] Id est, quod Princeps voluit habere vim legis, id habet vim legis.

Quum lege Regia] Est quidem cujusdam *legis Regiae* mentio in *l* 2. *ff. de mort. infer.* Sed longe alia est: illa enim Regia vocatur, quod regiis temporibus lata sit. Haec autem est lex, quam tulit L. Valerius Flaccus Interrex, ut quicquid egisset Sylla Dictator, id ratum esset. De qua lege multa Cicero *lib.* I. *de legibus*, ubi eam ut iniquam maximeque tyrannicam accusat. Ea renovata est in Augusto, anno octavo post pugnam Actiacam. Auctor Strabo lib. 17. Dio lib. 53. Et haec vocatur *lex Regia*, quae postea confirmabatur in omnibus Impp. Ejus quae renovata est in Vespasiano, magna pars in aes incisa extat hodie in Capitolio.

Ei & in eum] Non tantum ei tribuit omnem potestatem, sed etiam eam ab se abjudicatam, populus in eum transtulit.

Per epistolam] Princeps etiam praesens *per epistolam* adibatur. Plautus in Milite: *Quasi regem adire solere eum ajunt per epistolam. Epistolis* autem, id est, libellis sup-

supplicibus. Imperator quoque ipse per *epistolam respondebat*, & hujusmodi epistola vim legis obtinebat. Tales multae leguntur hodie in Codice.

Vel cognoscens] Nam Impp. ipsi, cum commodum erat, privatorum caussas dijudicabant: hoc saepe Augustum a mane ad vesperam fecisse, scribit Suetonius.

Vel edicto praecepit] Tales sunt constitutiones quaedam in Codice, quae *Edictales* vocantur.

Praetorum edicta] Continebant vim legis; sed eo tantum anno, quo ille, qui edixerat, Praetor erat. Itaque qui plurimum *edicto Praetoris* tribuunt, ait Cic. in *Philipp.* legem annuam esse dicunt: inde fit, ut omnes actiones praetoriae sint tantum annuae. Postea tamen Hadriani Imp. jussu Salvius Julianus ex multis veteribus edictis collegit *edictum perpetuum*, quod plane vim legis habere coepit.

De quibusdam caussis] Ut de rebus venalibus: quid in eis, vide in *ff. Tit. de Aed. edicto*. Hoc edicto ortae sunt actiones duae, *redhibitoria*, & *quanti minoris*.

Sententiae & opiniones eorum] Magnifico nomine sententias JConsultorum vocabant *Responsa*, quasi oracula quaedam essent. Sic Cicero domum JConsulti ait *oraculum* esse totius civitatis. Ambulabant autem transverso foro, & qui eos consulturi erant, hac formula utebantur, *licet consulere?* Cic. *pro Muraena.*

Jura condere] In quibusdam veteribus libris legitur, *Jus respondere*. Sed tamen recte scribitur *jura condere*; dicebantur enim *juris conditores*, ut Eutropius vocat Ulpianum, & Justinianus Sextum Caecilium. Hoc a principio non permittebatur a quoquam; sed qui studiorum suorum fiduciam habebant, consultoribus se ad respondendum dabant. Primus Augustus instituit certos, qui in civitate jus responderent. Vide tertiam partem legis secundae de Origine juris.

Quorum omnium] Attende diligenter: non enim dicit, singulorum, sed *omnium*. Quid enim facere potuisset judex, si JConsulti inter se, ut saepe fiebat, dissensissent: & erant sectae Proculianorum & Cassianorum, quae, quasi dedita opera, fere semper inter se dissentiebant. Non hoc igitur dicit necesse habuisse judicem, quicquid unus aut plures etiam JConsulti respondissent, in judicando sequi; oportuisset enim saepissime secundum utrum-

que

que litigatorem caussam dare. Sed hoc significat, fuisse certas quasdam regulas, seu sententias communes, quas JCti ex multarum legum collatione elicuissent, quasque omnes communi consensu recepissent, a quibus judici fas non erat recedere, & significatur subobscure *l.* 1. *ff. de div. reg. jur. antiq.*

Ex non scripto] Antiquius est jure scripto. Certe enim antequam leges scriptae essent, homines jure aliquo inter se utebantur. Jus autem illud positum erat in consuetudine & moribus. Est enim *jus non scriptum* quodam modo potentius *jure scripto.* Omnis enim lex per diuturnam consuetudinem contrariam tollitur *l.* 32. *de legib.* Et sic legem Papiam abolitam esse testatur Imp. in *l. unica. C. de cad. toll. in principio:* etiamque si ambigatur de interpretatione legis, inspicitur consuetudo, quae est optima legum interpres. *l.* 37. *ff. de legib.*

Nam diuturni] Idem traditur in *l.* 33. & in *l.* 35. *ff. de legib.* Sed sciendum est, communiter receptum esse, *ut longa* sive *diuturna consuetudo dicatur* x. *annorum*, ut hic notat Accur. & ad eam confirmandam efficacissimum est, si ostendamus, eam contradictorio judicio firmatam esse, *l.* 34. *ff. de legib.*

Consensu utentium] Cum ergo nihil tam sit contrarium *consensui*, quam error *l.* 116. §. *ult. in fin. de reg. jur.* si aliquid per errorem receptum sit adversus legem, valere non debet, *l.* 39. *ff. de legib.*

Sed naturalia] Aristoteles V. *Ethicor.* duas notas tradit, quibus internosci possint ea quae natura constant, ab iis quae hominum instituto valent. Naturalia & apud omnes valent, & hominum arbitrio mutari non queunt. Quae ab hominibus instituta sunt, neque sunt apud omnes eadem, & saepe mutantur. Recte igitur ait, *jus naturale immutabile, jus civile saepe mutari posse:* idque duobus modis, aut *lege contraria*, aut *tacito populi consensu.* Solet objici id, quod supra de *servitute* dictum est, *eam esse juri naturali contrariam.* Sed dupliciter responderi potest; aut hanc non intelligi de illo primo jure naturali; imo vero de jure gentium, quod & ipsum naturale dicitur, & ita fere semper in jure: aut servitutem non esse prorsus contrariam juri naturali, sed tantum casu & eventu quodam contrariam videri, ut supra dictum est.

Vel

Vel tacito consensu] Idem traditur in *l.* 32. *in fin. ff. de legib.* ut lex de dissecandis debitoribus.

Vel alia postea] Nam in repugnantia legum, posteriores semper derogant prioribus.

TIT. III.

DE JURE PERSONARUM.

Omne autem jus] *Justitia* enim, ut docet Aristoteles v. *Ethic.* consistit in iis, in quibus jus redditur, id est, in rebus. Suum autem repetit quisque in judicio per actionem: itaque recte jus hoc modo dividitur. In his autem libris agitur de *personis* toto lib. i. de rebus toto ii. & parte tertii: nempe usque ad *tit.* 1. *de obligationib.* inde usque ad finem de *Actionibus*.

Summa] Summa, id est, latissime patens. Omnes enim homines complectitur, etiam statu liberos, qui re vera servi sunt, antequam veniat dies, aut conditio committatur, aut creditor omittat jus suum; etsi pauciora in eos liceant, quam in ceteros servos. Aliae autem divisiones, quae sequuntur, non complectuntur omne hominum genus.

Servitus] Ineptissime facta definitio. Nam quia *servitus* est constitutio; *Servire* erit constituere, aut constitui, ut, quia percussio est actio, percutere est agere. Deinde, si servus & dominus sunt aliquid, *Servitus* quoque ad eandem categoriam pertinebit. Sed hoc significat, *Servitutem* esse relationem quandam servi ac domini, tanquam rei possessae ad possidentem, ortam ex jure gentium.

Contra naturam] Id est, contra illud antiquissimum jus naturae, quo omnes liberi nascebantur. Neque tamen omnis *servitus* contra naturam est: Sunt enim quidam natura liberi, quidam natura servi: etenim qui consilio & prudentia valent, non tantum natura ipsi liberi sunt, sed facti ad alios regendos: Qui autem valido & robusto sunt corpore, sed ingenio hebeti & obtuso, nati sunt ad serviendum; & hoc utrisque utile est, ut docet Aristoteles *lib.* 1. πολιτικῶν.

Homo liber] Non tantum liber, sed etiam ingenuus, & juris sui; ne aut patrono, aut patri fiat injuria.

IN TIT. IV.

DE INGENUIS.

Matrimonio] Idem, si extra *matrimonium*. Atqui potest aliquis ingenuus esse, qui tamen natus sit servus; ut is, qui a Principe natalibus restitutus est, *l.* 2. *ff. de natal. restit.* Respondeo, eum ingenuum non esse, sed beneficio Principis in toto jure haberi pro *ingenuo*.

Nascitur libera] Quia partus, qui nati non sunt ex legitimo matrimonio, matrem sequuntur, *l.* 24. *ff. de statu hom.*

Incerto patre] Pater is est, quem nuptiae demonstrant, *l.* 5. *ff. de in jus vocan. l.* 6. *ff. de his qui sunt sui vel alieni jur.* idque praesumptione juris. Nam aliter pater probari non potest, *l.* 83. *ff. de cond. & demonst.*

Placuit] Hadriano & D. Pio. *l.* 18. *ff. de statu hom. l.* 4. C. *de poenis.*

In servitute fuisse] Ut si quis, cum re vera servus non esset, pro servo tamen habitus fuerit.

IN TIT. V.

DE LIBERTINIS.

Libertini] Antiquitus ita vocabantur qui e *libertis* procreati erant. Suetonius. Hodie idem significat nomen *liberti & libertini*, nisi quod hoc conditionis nomen est, illud relationis.

Ex justa] Prima Accursii expositio vera est: at ceterae ridiculae: possumus etiam accipere *justam* pro plena, non qualis est in addictis & nexis: sic & paulo infra, *justam* libertatem, & plenam libertatem pro eodem accipit. Item ex *justa*: nam ex falsa servitute manumissus, manet ingenuus. *tot. tit. de ing. & manum.*

Sacris] Id est, Imperatoriis.

Ecclesiis] Hoc est institutum a Constantino *l.* 1. C. *de iis, qui in Eccl. manumitt.*

Aut vindicta] Livius *lib.* 11.

Inter amicos] Qui fiebant tantum Latini, ex lege Junia. Ulpian. in *fragm. titulo primo.*

Aliis

Aliis multis modis] Quos vide in *tit. Cod. pro quib. causs. servi pro praem.* & *l. ult. Cod. commun. de manum.*

Semper] Id est, non tantum cum Praetor sedit pro tribunali, sed quocunque loco & tempore illis copia est. *l. 7. ff. de manum. vindict.*

Libertinorum autem] De his tribus generibus *libertinorum*, vide Ulpianum *tit.* 1. De *Latinis* autem eundem *tit.* 4. & §. *ult. infra de success. libert.*

Cives Romani] Ut si nomen suum volente domino in censum detulerant: aut vindicta liberati erant: aut testamento, cum essent majores XXX. annis.

Latini] Ut cum manumittebantur inter amicos, aut per epistolam, aut adhibitione in convivium. auctor Ulpian.

Dedititiorum numero] Ii erant, quos dominus poenae caussa in vinculis habuerat, quibus stigmata inusta erant, qui propter noxam torti, & nocentes reperti erant, &c. Ulp. *tit.* 1.

Nec aetatis manumissi] Nam olim minor 30. annis non poterat fieri civis Romanus manumissione. *l.* 2. *C. de lib. causs.* Ulpian. *tit.* 1.

T I T. V I.

Qui et Quib. ex Caus. Manum. non Poss.

Solvendo] Solvendo non dicitur, nisi qui potest solidum solvere. *l.* 114. *ff. de verb. signif.*

Servum] Quid ergo, si plures instituerit? Primo loco institutus solus heres, & liber erit. *l.* 55. *de hered. instit.*

Necessarius] Sunt autem illi tres casus: si fideicommissaria libertas ei relicta sit: si ea conditione venditus erat, aut donatus testatori, ut manumitteretur: si propria pecunia sua emptus erat.

Minori] Nota, in favorabilibus diem coeptum haberi pro completo, in odiosis contra: sed & annus coeptus in favorabilibus pro completo habetur.

Apud consilium] In Consilium autem adhibentur Romae quinque Senatores, & quinque Equites Romani: in provincia XX. cives Rom. auctor Ulpianus in *frag. tit.* 1.

Alumnum] Alumnos magis mulieribus est conveniens manumittere. *l.* 14. *ff. de manumiss. vind.*

Ma-

Matrimonii caussa] Etsi spado sit, qui manumittit, non tamen castratus. *d. l.* 14. *ff. eod.*

IN TIT. VII.

DE LEGE FUSIA CANIN. SUBL.

Sive falsa] Vide *l.* 9. *ff. de manum. vind.*

Tollenda] Legendum, *sublata.* Neque enim ait esse tollendam, sed docet jam esse sublatam. Vocanda est autem *Fusia*, non, ut vulgo, *Fusia*, & multis admodum locis nomen hoc depravatum est. Sic saepe apud Ciceron. *lex Aelia Fosia* pro *Fusia*: sic apud eundem in *Bruto*, *Lucius Fasius* pro *Fusius*. Sic apud Catullum *Sufenus* pro *Fufeno*. Sic apud Livium *Sufetius* pro *Fufetio*. apud Tacitum *lib.* 5. *Fasium* pro *Fusio*: saepe hoc nomen, ut rarum inventu, depravatum est. Certe quidem lex haec vocatur *Fasia* in *ff.* Florentinis, *l.* 37. *ff. de cond. & demonst. & l.* 215. *ff. de verb. signific.* Tulere eam Lucius Fusius & Cajus Caninius Cosf. anno ab V. C. DCCLII. De sententia autem legis Fusiae vide Ulpian. *in Fragm. tit.* 1.

Satis fuerat inhumanum] Cum & rei suae quisque liberum habere debeat arbitrium. *l.* 12. *C. mandati.* & libertatis favorabilis caussa sit, ut ei favere nemo impediendus sit. *l.* 3. §. 9. *ff. de liber. hom. exhib.* & testamenti stilus liber esse debeat. *l.* 1. *C. de sacros. eccles.*

IN TIT. VIII.

DE IIS QUI SUI, VEL ALIENI JURIS SUNT.

Cogantur] Ordinaria regula juris est, neminem invitum cogi ad vendendam rem suam *l.* 11. *C. de contrah. empt.* nec ad emendum *l.* 16. *C. de jur. deliberand.* Quibusdam tamen in casibus cogitur dominus rem suam vendere, ut hic; ut & si servus quid fecerit, propter quod libertate publice donari debeat. *tot. tit. C. pro quib. causs. serv. pro praem. lib. &c.* sic & in caritate annonae. vide quae notant Doctores ad *l.* 1. § 11. *ff. de offic. Praef. Urb. l.* 12. *pr. ff. de religiof. & sumt. fun.*

Fraudem fecerit] *Fraudem facere legi*, est quidem

verba illius servare, sed a sententia discedere, *l.* 30. *ff. de legib.*

IN TIT. IX.

DE PATRIA POTESTATE.

De patria potestate] Dictum est de *potestate domini in servos.* Sequitur, ut dicatur de *potestate patrum in liberos.*

Liberi] Id est, filii & nepotes ex filiis, & pronepotes, & alii descendentes. *l* 20. *ff. de verb. sign.*

Ex justis nuptiis] Ergo nati ex injusto concubitu *patris potestate* non continentur. *l.* 19. *l.* 24. *ff. de stat. hom.*

Conjunctio] Animorum, non corporum. Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit *l.* 30. *ff. de reg. jur.* Quare etiam sine concubitu perfectum potest esse matrimonium; non tamen dicetur consummatum. Sic emptio & venditio solo consensu perficitur; non tamen consummatur, nisi rei traditione & numeratione pretii.

Individuam] Quomodo individuam, cum antiquitus multa divortia fierent? Respondeo. *Individuam* dici voto & proposito, ut *l.* 1. *ff. de jur. dot.* Neque enim uxor ad tempus duci potest. Est autem memorabile, quod ab Historicis proditum est, totis quingentis annis nullum divortium Romae factum esse. Duas autem divortii caussas Romulus justas esse voluerat, adulterium & veneficium.

Jus autem] Omittit principem effectum patriae potestatis, nempe quod patres in filios habebant potestatem vitae & necis. *l.* 11. *ff. de lib. & posthum. l.* 10. *C. de patr. potest.*

Nulli enim alii] Non loquitur hic de iis, qui non subsunt imperio Romano: neque enim dubium est, quin illi quoque suis legibus habeant liberos in potestate. De illis ergo tantum loquitur, qui jure civili Romano utebantur: ex quibus qui non erant cives Romani, sed tantum Latini, non habebant talem potestatem in liberos: sed tamen constitutione Antonini Pii omnes liberi, qui subsunt imperio Romano, cives Romani sunt, *l.* 17. *ff. de stat. homin.* Quod autem hic a Justiniano dicitur, confirmatur a Philone *adversus Cajum* his verbis, *plenissima potestas in filium legibus Romanis patri permittitur.*

IN TIT. X.

DE NUPTIIS.

Cives Romani] Antiquitus enim Latini, peregrini, & denique quicunque cives Romani non erant, jus connubii non habebant, & justas quidem nuptias contrahebant, jure naturae seu gentium, sed non jure civili Romano. Hodie autem, sublato discrimine libertinorum, omnes homines liberi justas inter se nuptias contrahere possunt: praesertim post constitutionem Imp. Antonini, qua omnes, qui sunt in orbe Romano, effecti sunt cives Rom. *l.* 17. *ff. de stat. hom.* ideoque Roma vocatur communis patria. *l.* 33. *ff. ad municip.*

Viripotentes] Ubi Accursius citat *l.* 6. *ff. de adult.* memoria lapsus est: voluit autem citare *l.* 36. *ff. eod. tit.* Quae tamen ipsa quoque nihil facit ad id, quod tradit Accursius: sed tantum ait, minorem 25. annis posse teneri Lege Julia de adulteriis.

Consensum habeant parentium] Vulgo ita creditur, de jure civili *matrimonium esse patris consensum*, de jure canonico *matrimonium non esse*, sed requiri tantum ex honestate. Ego vero existimo, etiam jure canonico *matrimonium esse patris consensum. can. aliter. can. nostrates. can. qualis.* 30. *q.* 5. *can. non omnis. can. honorantur. can. malis. can. hoc sanctum.* 32. *q.* 11. Nec obstat *can. sufficiat.* 27. *q.* 11. ubi approbo posteriorem solutionem glossae: nec *can. tuae. extra. de sponsalib. & matrim.* nec *can. cum locum. eod. tit.* at vero *can. is qui fidem.* sequuta carnis copula non solvi.

Jussus parentis] Nota, jussum poni pro consensu, ut in *l.* 29. §. 3. *ff. de inoff. testam.* Idem tamen est, si postea ratum habuerit, *l.* 5. *C. hoc. tit.* regulariter enim ratihabitio aequiparatur mandato, & retrahitur. *l.* 1. §. 14. *ff. de vi & vi armata.*

Super filio] Et prima & secunda ratio aeque ineptae sunt. Vera caussa autem est, quoniam nepos ex filio, futurus erat avo heres suus, etiam invito; at nepos ex filia, non item: in toto autem jure iniquissimum, heredem invito dari.

Sive ab eodem patre] Apud barbaras quasdam gentes, ut apud Indos & apud Aegyptios, fratri licebat sororem germanam in matrimonio habere, ut Ptolemaeus, rex

Aegypti, Berenicem uxorem habuit, & ejus rei frequentissima in historiis exempla sunt. In Graecia non eodem omnes jure utebantur: nam apud Athenienses licebat fratri sororem eodem patre genitam ducere, dum non ex eadem matre. Apud Lacedaemonios fas putabatur, eadem matre natam ducere, dum ne ex eodem patre. Auctor Philo. Apud Romanos quamcumque sororem naturalem ducere nefas erat.

Si quis generum] Sic Claudius Imperator, cum vellet Neroni privigno suo Octaviam filiam collocare, eumque & generum & filium habere, prius Octaviam emancipavit.

Fratris vero] Temporibus tamen Claudii factum est SCtum in ipsius gratiam, quo fratrum filias ducere permitteretur. Cupiebat enim ille Germanici fratris sui filiam ducere: quod & fecit. Suetonius.

Quarto gradu] In quo gradu nuptiae legitimae contrahuntur.

Cujus enim filiam] Adversus hanc regulam objici potest id, quod traditur 4. *hoc. tit.* Nam filius meus uxorem ducere potest filiam fratris mei, aut sororis meae: matrem autem illius, id est, amitam aut materteram suam non potest. Argumentabimur igitur hoc modo: Aviae meae filium non possum ducere uxorem, neptem autem illius possum. Ergo falsum est, cujus filiam ducere non licet, ne neptem quidem licere. Sed regula haec in iis tantum intelligenda est, quae inter se ascendentium & descendentium locum obtinent. Quid? si marem adoptavero, qui filiam in potestate habeat? poterone filio meo uxorem dare? Resp. Non potero. Quae causa discriminis? Quoniam in hoc casu filia quoque ipsa transit in potestatem meam, & mihi & liberis meis agnascitur. At cum mulier adoptatur, liberi ipsius nunquam transeunt in potestatem adoptantis, cum eos nec ipsa in potestate habeat. Itaque ipsa quidem agnascitur, sed liberi ejus non agnascuntur.

Duorum autem fratrum] Hic §. in quibusdam libris affirmative legitur, in aliis negative. Apud Theophilum negative legitur; licet interpres Latinus negationem sustulerit. In Institutionibus Caji negatio est, sed, ut opinor, ab alio addita. Omnino autem nihil certius est, quam tales nuptias olim & permissas & usitatissimas fuisse. Nihil enim prohibebat, fratrum aut sororum liberos

inter se matrimonio jungi: cum & quarto gradu distent, neque inter se obtineant locum ascendentium & descendentium. Postea coepit Ecclesia abhorrere quodammodo a talibus conjunctionibus, quod usu ipso compertum; eas & infoecundas esse & infaustas; neque tamen adhuc prohibebantur. Primus Theodosius eas prohibuit; neque tamen hac de re constitutio ejus extat. Sed illius meminerunt Ambrosius Episcop. *ad Paternum*, August. *lib.* 15. *cap.* 16 *de Civit. Dei*, & alii. Hodie extat constitutio eadem de re filiorum ipsius Arcadii & Honorii, postquam non contrahebantur talia matrimonia, nisi permissu Imp. Illis enim temporibus Impp. multa ecclesiastica sibi temere arrogabant. Postremo talia matrimonia multis constitutionibus ecclesiasticis prohibita & damnata sunt.

Affinitas] Affinitas est necessitudo quaedam ex nuptiis orta: quae tamen semper desinit in unam personam tantum; aliter tamen jure canonico.

Duas uxores] Ne sponsus quidem duas; neque unam sponsam & alteram uxorem *l.* 18. *Cod. ad Leg. Jul. de adulter.*

Recte contrahunt] *L.* 34. §. 2. *ff. de ritu nupt.*

Licet habeant] Cur hoc addidit? Quia qui sunt fratres hujus tertii, videntur etiam inter se fratres esse, & hoc vulgo verum videtur, qui est frater fratris mei, est frater meus: sed tamen non usquequaque verum est.

Sunt & aliae personae] Ut, quod Praeses provinciae non potest ex provincia sua uxorem ducere. Quod tutor non potest ducere pupillam. Quod Senator non potest ducere libertinam, aut eam, quae corpore quaestum fecerit, &c.

Patrem habere] In jure enim pater is est, quem nuptiae demonstrant.

Aliquando autem] Docet, *filios naturales* duobus modis *legitimos* effici posse: *si offerantur curiae*, & *per subsequens matrimonium*. Quid sit *offerre curiae*, Accursiani ad unum omnes ineptissime exponunt. Antiquitus, quod erat Senatus Romae, id erat in singulis municipiis collegium Decurionum, sive Curialium: atque antiquissimis quidem temporibus, magno honori ducebatur ex collegio esse: sed posteriorum Impp. avaritia effectum erat, ut decurionatus seu curialiatus onus esset prope intolerabile: quamvis enim speciem quandam honoris obtinerent,

rent, & fruerentur quibusdam privilegiis, tam multos tamen sumptus facere cogebantur, ut eis ferendis impares essent. Quare ut antiquitus multi honorem illum ambiebant, ita postea omnes refugiebant, & saepe nominati ad Decurionatum aut excusabant se, aut appellabant. Sed Principes admodum in hac re rigidi erant; neque facile admittebant excusationes, neque audiebant querelas eorum, qui cupiebant se a Curiae nexibus liberare. Ut igitur allicerentur aliqui ad illa onera subeunda, constitutum est, ut si quis filium naturalem habens, obtulisset eum Curiae, eumque muneribus curialium obligasset, hoc ipso filius ille legitimus, & in ejus potestate fieret. Vide *tit. de Decur. & de auro coronario lib.* 10. *Cod.* Decuriones prorsus sublati sunt a Leone Philosopho Imperatore, ut constat ex *Novella Leon.* 46.

Libera] Hodie idem in ancilla.

Quod & aliis liberis] Stultum videtur, Justinianum dicere, se idem jus dedisse liberis, qui postea ex eodem matrimonio nascuntur: sunt enim per se legitimi, utpote ex justis nuptiis nati; neque ad hoc egent Imperatoris beneficio. Non igitur hoc dicit; sed vox *similiter* ponenda est ante illas duas voces *aliis liberis*: & pro *et*, melius legetur *ei*. & est modus loquendi Graecus, quales saepe reperiuntur, non tantum in scriptis Justiniani, seu Triboniani, sed etiam in antiquis JConsultis. Significat igitur Imp. se eos liberos, qui ante nuptias nati essent, voluisse, consecutis nuptiis legitimos esse, similiter aliis, qui postea ex eisdem parentibus nati essent. Tribonianus autem, homo Graecus, etiam Latine loquens, Graeco genere loquendi usus est, *similiter aliis*, pro eo quod est, aeque atque aliis, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις.

IN TIT. XI.

DE ADOPTIONIBUS.

Principali rescripto] Florente republica, adoptio fiebat aut per Populum, aut per Magistratum. Per Populum adoptabantur, qui sui juris erant: eaque species vocabatur Adrogatio, quia rogabatur Populus his fere verbis, *Velitis jubeatis Quirites, ut L. Titius, P. Clodii tam lege ac jure filius sit, tamque in ejus potestate sit,* quam

quam si ex eo matresfamilias ipsius natus esset. Per Magistratum adoptabantur filiifamilias. Sed omnibus in unius potestatem redactis, & toto jure P. Ro. translato in Principem, quod per Populum fiebat, coeptum est fieri per Rescriptum Principis, ut hic dicitur. De adoptione & arrogatione, vide Gellium *lib. 5. cap. 19.*

Sed hodie] Antiquitus per adoptionem solvebatur agnatio, ita ut qui adoptatus erat, non esset amplius, in patris sui naturalis potestate: sed in ejus, a quo adoptatus fuerat: neque amplius erat agnatus fratribus suis legitimis & naturalibus. Sed his tantum qui erant in familia adoptantis. Hoc a Justiniano mutatum est, & institutum, ut filiusfamilias, qui datur in adoptionem extraneo, maneat in potestate patris sui naturalis, neque illis agnatus esse desinat, neque sit agnatus ei, a quo adoptatur: sed tantum ei, a quo adoptatus est, intestato succedit, perinde ac si ei agnatus esset. Testamento autem adoptatus nihil ei relinquere cogitur, sed potest eum impune praeterire.

A nobis tributa] Quae non videbantur ei competere: nam legitimae successiones deferuntur agnatis.

Permittitur] Ex Constitutione D. Pii. Ulpian. in *fragment.*

Caveat] Imo vero satisdatio exigi solet. *l. 17. ff. h. t.*

Personae publicae] Tabelliones antiquitus erant servi publici, sive servi civitatis. Causa autem haec erat. Oportet, usu exigente, tabellionem seu tabularium posse stipulari unicuique civium, & illi adquirere. Regula autem juris civilis est, non posse nobis per alias personas adquiri, quam per eas, quae in potestate nostra sunt, & per filios, quos habemus in potestate, aut per servos nostros. Oportebat igitur eum, qui omnibus civibus stipulaturus & acquisiturus esset, nullius quidem privatim servum esse, sed publice omnium. Itaque antiquitus erant vere servi, sed cum, ut servilia ingenia fraudulenta sunt, multa ab eis in eo munere dolose fierent, statuerunt Arcad. & Honor. *l. 3. Cod. de tabul. scribisque.* ne servi in posterum ad id munus admitterentur, & tabellionibus, quanquam liberis, adversus illam veterem juris regulam stipulandi pro quolibet cive, & ei adquirendi potestatem dederunt.

Decesserit] Ideoque testamentum facere non poterat.

Decedens pater] Id est, adoptivus.

Jubetur] Ex Constit. D. Antonini. Ulpianus.

Quartam partem] Quanquam interpretes communiter probent, secundam responsionem glosſ. hic ut *quartam* intelligamus, scilicet ejus, quod perventurum esset ab intestato, falsa tamen est & commentitia. Prima autem verissima, ut haec *quarta pars* intelligenda sit omnium bonorum adrogatoris. Nec obstat, quod illi objiciunt, fore, ut melior sit conditio adrogati, quam liberorum naturalium, & legitimorum, si forte adrogator plures liberos habeat. Respondendum est enim, non modo ei, qui plures filios, sed nec ei quidem, qui unum habet, aut ea aetate est, ut generare possit, facile permitti adrogationem, *l.* 15. §. *ult. l.* 17. §. 2. 3. *ff. h. tit.* Sed dicet fortasse aliquis. Quid? si is, qui liberis carebat, & jam desperaverat, se generare posse, unum aut duos adrogaverit; deinde autem praeter spem quatuor aut quinque ex legitimo matrimonio susceperit? Respondeo. Aut qui adoptare vult, est ejus aetatis, ut adhuc generare possit; & tunc non permittitur ei alienos adoptare: aut ejus aetatis, ut omnis generandi spes plane sublata sit: & tunc periculum non est, ne in illud incommodum incidamus.

Naturam imitatur] Vocatur *naturae imago*, in *l.* 23. *ff. de lib. & postum.*

Nepotem in locum filii] Intellige nepotem suum, sed ex filio emancipato.

In plurimis] Non in omnibus: neque enim eadem commoda adferunt patri adoptivi, quae naturales. Nam si cui legatum sit in tempus liberorum, adoptando nihil efficiet, *l.* 52. *de legat.* 2. Item si is, cui fideicommissum sit, ut, si sine liberis decedat, hereditatem restituat tertio, non poterit adoptando voluntatem testatoris eludere. Sic in vacatione munerum, quae propter liberos tribuitur, non proficiunt adoptivi, *l.* 76. *ff. de condit. & demonst. l.* 2 *ff. de excus. & vac. mun.*

Spadones] Spadones sunt, quibus convulsi sunt testiculi, atque ii, quam diu durat illud impedimentum, generare non possunt: sed eo sublato, interdum generant. At *castrati* dicuntur, quibus abscissa sunt virilia, quibus cum omnis generandi spes prorsus adempta sit, fit, ut

edo-

adoptare non possint. Hodie tamen & castrati & feminae etiam sine speciali principis indulgentia adoptare possunt ex *Const. Leonis* 26. & 27.

IN TIT. XII.

Quibus modis jus potestatis solvitur.

Statum] Ultima solutio proxime accedit ad verum; etenim qui liberantur indulgentia Principis sive generali, sive speciali, eximuntur quidem poenae, sed non recipiunt ea, quae prius habuerant, imo vero manet in eis nota quaedam infamiae. *l.* 5. *C. Theodos. de indulgentiis crim.* At qui restituitur, recipit omnia, *l. ult. C. de sentent. pass. & restitut.*

Liberi relegati in potestate &c.] *Relegandi* mitius verbum est, quam *deportandi*. Ovidius;

Quippe relegatus, non exul dicor in illo,
Parcaque fortunae sunt tibi verba meae.

Nam *relegati sive ad tempus, sive in perpetuum*, retinent bona, civitatem, liberos in potestate, testamenti factionem, omnia jura uno verbo. *l.* 4. *ff. de interdictis & releg. l.* 8. *ff. qui testam. fac. poss.* nisi de statu suo dubitantes, vel errantes testamentum fecerint *l.* 5. *ff. eod. & l.* 1. §. 1. *ff. de leg.* 3. At *deportati* haec omnia amittunt: iccirco relegare ii, qui provinciis praefuit, possunt, deportare tamen non possunt.

Poenae servus] Ut qui ultimo supplicio damnatus est: statim enim & libertatem perdit & civitatem *l.* 29. *ff. de poenis.*

In metallum] Romani veteres multa *metalla* habebant, id est, multas fodinas, sive, ut Caesar vocat, secturas, ut in Macedonia, ut in Hispania. Itaque multos facinorum convictos damnabant in metallum, aut in opus metalli. Nam in metallum damnati graviora & laboriosiora: in opus metalli leviora & faciliora munera obibant. Itaque damnati in opus metalli, si fugerant, denuo comprehensi damnabantur in metallum; in metallum damnato, si fugerat, rursus capto poena mors erat. *l.* 8. §. 6. *ff. de poenis.*

Qui bestiis subjiciuntur] *Bestiis subjiciebantur*, ut eum eis depugnarent, spectante Pop. Rom. Talia autem spectacula vocabant *venationes*. Vide exemplum memorabile de Androdo apud Gellium. Nonnumquam etiam ut ab eis dilaniarentur, ut Sancto Ignatio factum est, qui etiam cum ad id supplicium duceretur, cum animi fiducia dicebat: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar. Sed & alii plurimi Martyres eo supplicio affecti sunt. Locus autem subterraneus, in quo asservabantur, vocabatur catabulum a καταβάλλω, id est, dejicio.

Vel consul] Hoc postea a Justiniano ipso correctum est.

Patriciatus] Dignitas haec quaedam erat, qua qui praediti erant, Patres Principis vocabantur, & iis tantum cedebant, qui actu Consules essent. Ideo autem haec dignitas Consulatu inferior erat, quia Consulatum ipsi Imperatores plerumque gerebant, ut constat ex Cassiodoro *lib.* 1. *Var.* Hotomanus dum de hac re nova quaedam tradere voluit, in sex foedissima errata delapsus est. Primum quod dixit, hunc honorem coepisse temporibus Justiniani; cum constet, sub Constantino & aliis tales *Patricios* fuisse. Secundo quod ait ex Suida, eos ex Senatu in legationes mitti solitos: cum apud Suidam citentur tantum verba historici cujusdam, qui scribit, missos esse ab Imperatore legatos eos, qui principem in Senatu locum obtinerent: fuisse autem illos *Patricios*. Tertio quod scribit, eos nullam unquam jurisdictionem habuisse: cum tamen ex formula, quae est apud Cassiodorum, illud tantum intelligatur, eo honore perfunctos, tunc quoque cum vacarent, & nullam jurisdictionem exercerent, cingulo usos esse, quod in eis praecipuum erat. Ceteri enim finito magistratu cingulum deponebant. Quarto quod putat in *l.* 3. *C. de Consulib.* *Patriciatum* notari Consulatum honorarium; quod longissime abest a vero. Quinto quod tradit hunc honorem Patriarchis Constantinop. tribui solitum: quod ita falsum est, ut nullus unquam Patriarcha honore illo functus legatur. Sexto quod negat, eum fuisse magistratum: cum tamen Sidonius Apollinaris *Epist.* 3. *lib.* 3. aperte eum magistratum vocet.

IN TIT. XIII.

DE TUTELIS.

Vis ac potestas] Idem plane significat, & idem est *vis*, quod auctoritas, sive facultas. Verum tamen est, quod Accursius ait, tutorem interdum & invito, & invitum dari.

In capite libero] Id est, in *caput liberum*. Servus enim tutorem habere non potest.

Data & permissa] Lex XII. Tabul. pupillis non habentibus tutorem, dat proximum agnatum, aut proximos agnatos, si plures sint eodem gradu. Eadem autem lex permittit parentibus testamento. Jus civile igitur hoc loco vocat legem XII. tab. ut saepe alibi. Quare errat Accursius, qui vocem, *data*, refert ad tutores datos a magistratu. Illi enim ex aliis legibus dantur, ut postea videbimus.

Potestate] Naturali filio, cui nihil est relictum, frustra a patre datur. *l.* 7. *ff. de confir. tut. vel curat.*

Confirmandus] Quaerit Accurs. utrum hic tutor, qui emancipato datus est testamento, postquam confirmatus est a Praetore, haberi debeat pro testamentario, an pro dativo. Super hac quaestione Doctores variant. Ego tamen non dubito, quin pro testamentario haberi debeat, & legitimo anteponatur. *arg. l.* 3. *ff. de confirm. tut. vel curat.* Quid enim opus esset hunc confirmari, si postea etiam confirmato legitimi anteponerentur.

Sine inquisitione] Aliud in eo tutore, qui a matre datus erat; nam hic confirmatur quidem, sed habita inquisitione, caussa discriminis propter muliebris sexus imbecillitatem *l.* 2. *ff. de confirm. tut. vel cur. l.* 4. *ff. de testam. tut.*

IN TIT. XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES DARI POSSUNT.

Libertatem directam] Antiquitus tantum fideicommissariam accepisse videbatur. Itaque oriebatur saepe magna difficultas. Nam si quidem pupillus exheredatus erat, & alius heres institutus, res facile expediebatur: heres enim

enim manumittebat servum, qui manumissus tutor erat. Idem, si additus erat pupillo coheres. At si pupillus solus institutus erat, res inexplicabilis videbatur. Nam neque pupillus poterat manumittere, cum sine tutore auctore nihil gerere posset; neque servus auctoritatem suam pupillo accommodare; cum adhuc neque liber, neque tutor esset. Huic difficultati subventum erat SCsulto Dasumiano, quo dabatur huic servo libertas, perinde ac si ex fideicommisso manumissus esset. Auctor Paulus *lib.* 4. *Sent. tit.* 13. At Justinianus totam illam difficultatem persecuit, dando eis libertatem directam.

Si per errorem] Errantis enim nulla est voluntas.

Utiliter datur] Et illa conditio, etiam si expressa non sit, habebitur pro adjecta. *l.* 9. *C. de fideicom. libert.* Ita igitur intelligendum est, eum jure ipso inutiliter datum esse. Sed aequitate & interpretatione voluntatis testatoris utilem dationem fieri, *arg. l.* 28. §. 1. 2. *ff de testam. tutel.*

Eo modo] Quod hic ait Accursius, totam stipulationem vitiari propter inutilem adjectionem, verum non est: & ea ipsa lex. quae citatur, aperte ait, solam adjectionem inutilem esse, neque vitiari utile per inutile, docet JConsultus in *l.* 1. §. 5. *ff. de verb. oblig.*

Furiosus] Interea vero dabitur curator.

XXV. anni] Hodie in urbe quicunque viginti annorum sunt, in eadem sunt caussa, atque ii, qui viginti quinque annos habent, *Statutor. urb. lib.* 1. *cap.* 42.

Ante heredis] Olim enim necesse erat incipere ab institutione heredis; & quicquid antea scriptum erat, non valebat: sed hoc postea mutatum est §. 34. *J. de legat.*

IN TIT. XVI.

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

De capitis deminutione] Homo tribus modis consideratur in jure, ut liber, ut civis Romanus, ut ex hac, aut illa familia. Et haec tria significantur nomine *status* aut *capitis*. Itaque qui horum aliquid amittit, dicitur *capite minui*. Servus horum nihil amittere potest, nihil enim horum habet. At homo liber si amittit libertatem, dicitur *pati maximam capitis minutionem*; perdit enim

etiam

etiam cetera. Si civitatem quidem amittat, sed retineat libertatem, dicitur *pati mediam capitis deminutionem*, quae alio nomine dicitur magna. Si horum utrumque retineat, sed familiam mutet, *minimam*. Exemplum primae; cum quis damnatur in metallum. Exemplum secundae, cum quis deportatur. Tertiae, cum emancipatur, aut adoptatur.

Mutatio] Est quidem haec definitio Caji *l.* 1. *ff. de cap. minut.* Neque tamen, si quis eam severe exigat, vera est. Nam qui morte patris fit juris sui, mutat statum, & tamen capite non minuitur; nihil enim amittit, *l.* 3. *in fin. ff. de SConsulto Maced.* neque is qui patriciatu, aut aliqua dignitate, *Novella.* 81. Si quis tamen Cajum defendere instituat, dicere poterit, hos ne statum quidem mutare, cum familiam quidem mutent.

Jus quoque] Diligenter notandum est, *cognationem* quidem ipsam non perire, sed *jus cognationis* perire, ut puta servitute alicujus cognati.

IN TIT. XVII.

DE LEGITIMA PATRONORUM TUTELA.

Legitima vocatur] Proprie tamen est *fiduciaria*, non *legitima*. Nam sublata agnatione per emancipationem, tollitur *legitima tutela*: omninoque duae tantum sunt *legitimae tutelae*, ea, quae defertur agnatis, & ea, quae patronis: hodie tamen, sublato agnatorum & cognatorum discrimine; omnes *tutelae fiduciariae* vocari possunt *legitimae*.

IN TIT. XIX.

DE FIDUCIARIA TUTELA.

Legitimam] Eodem jure, quo patronus est legitimus tutor liberti: nam hoc est emancipatio in liberis, quod manumissio in servis.

Virilis] *Virilis sexus*, & legitimae aetatis, & qui manserit in potestate.

Atqui] Ipsemet argumentatur adversus id, quod paulo ante docuit; deinde dissolvit argumentationem. Argumen-

manumissionis vis ac sententia haec est. Nulla causa est, cur illi tutores, de quibus hic agitur, debeant dici fiduciarii, ac non potius legitimi; nam ut patrono mortuo liberi ipsius sunt legitimi tutores eorum, qui ab eo manumissi sunt, ita mortuo patre, aut avo, qui emancipavit, liberi ipsius deberent esse legitimi tutores eorum, qui ab eo emancipati sunt. Respondet Imp. aliam esse rationem in hoc casu, & aliam in superiore. Nam si dominus servum non manumisisset; esset, domino mortuo, servus ille in potestate liberorum ipsius. At fratres minores, etiamsi a patre emancipati non fuissent, tamen eo mortuo non cecidissent in potestatem fratrum suorum. Haec ratio discriminis, quam adfert Justin. est quidem acute excogitata, sed non satis firma. Nam in fratribus quidem valet, at in uno manumittente nepotem ex filio, quem habet in potestate, non valet. Nepos enim si emancipatus non esset, morte avi recideret in potestatem patris. Vera autem haec est. Ad quoscumque lex XII. tab. hereditatem ab intestato pertinere vult, ad eosdem defert etiam onus tutelae. Defert autem hereditatem libertorum ab intestato, non tantum patrono, sed etiam liberis patroni. *l.* 10. cum *l. sequenti. juncta. l.* 4. *D. de jur. patron.* & Ulp. *tit.* 29. *in principio*, & §. 4. Ergo ipsi quoque legitimi tutores erunt. At hereditas ejus, qui ab avis emancipatus est, ex illa lege non defertur patri, qui mansit in potestate. *l.* 1. §. 5. *ff. si quis a par. fuer. manum.* Nam lex XII. tabul. agnatos tantum ab intestato ad successionem vocat. Hoc autem casu dissoluta est agnatio: pater igitur non erit legitimus, sed fiduciarius. Argumentum est tale in *Baroco*. Cuicunque lege defertur hereditas, eidem datur contra tab. Filio manumissionis lege non datur contra tab. in bonis nepotis emancipatoris *d.* §. 5. Ergo filio manumissionis lege non defertur hereditas nepotis emancipatoris.

IN TIT. XX.

DE ATILIANO TUTORE, ET EO QUI EX LEGE JULIA ET TITIA DABATUR.

Ex lege Atilia] Id est, ex plebiscito, quod factum est anno ab U. C. CCCCXXXXIII. a Lucio Atillio, & Cajo Martio, Tribunis plebis.

Julia & Titia] Haec quoque non est lex, sed plebiscitum.

Existat] Imo vero dabitur ei alius tutor, ad hereditatem adeundam, qui ea statim adita cedet tutori testamentario. *l.* 10. *ff. de testam. tut. l.* 9. *ff. de tut. & cur. dat.*

Jure postliminii] Quid? si decessisset apud hostes? Respondeo; is, qui datus erat, cedebat agnatis.

Consules] Jubente D. Claudio. Tacitus.

Ex constitutionibus] D. Antoninus unum ex Praetoribus esse voluit, cujus hoc proprium munus esset; qui ex eo vocabatur tutelaris.

Jussu Praesidum] Multa in gloss. ad *h. loc.* foeda errata sunt. Quod tutelae datio sit mixti imperii, cum in ea ipsa lege, quae citatur ad hoc probandum, aperte dicat JCtus, eam neque esse imperii, nec jurisdictionis. Quod ea, quae sunt mixti imperii, mandari non queant: cum certissimum sit, omnia, quae sunt mixti imperii, mandata jurisdictione transferri, *l. ult. ff. de off. ejus cui mand. est jur.* Quod dati tutores possunt mandare tutelam habenti jurisdictionem: cum constet, ne mandante quidem Praeside, tutelae dationem posse transferri *l.* 8. *ff. de tutor. & cur. dat. ab his &c.* Nec obstat *l.* 3. *ff. eod. tit.* loquitur enim non de magistratibus provincialibus, quibus nihil est necesse mandari tutelae dationem; nam & ipsis data est: verissimum autem est, tutelae dationem non posse mandari: cujus rei caussa est, quia nemo illam habet, nisi cui nominatim ac specialiter data est aut lege, aut SCto, aut constitutione *l.* 6. §. 2. *ff. de tut.* & talia mandari nequeunt *l.* 1. *ff. de off. ejus cui mand. est jur.* Quomodo igitur ait Imperator, *Pupillo, cujus facultates magnae non sunt, tutorem a magistratu municipali jussu Praesidis dari posse.* Respondeo. Praeses dationem tutoris universe mandare nemini potest. Sed

tamen ut illa molestia defungatur, ut huic aut illi pupillo egenti magistratus municipalis tutorem det, jubere interdum potest.

Juridicum Alexandrin.] Huic D. Marcus tutoris dationem jam concesserat. *l.* 2. *ff. de offic. Jurid. Alexandr.*

Quum igitur] Datur eis etiam vicissim actio contraria tutelae, qua repetunt, si quos sumptus in administratione tutelae fecerunt.

IN TIT. XXI.

DE AUCTORITATE TUTORUM.

Si quid dari] Idem, si quid pupillo acceptum feratur, *l.* 2. *ff. de acceptil.*

Si aliis pupilli promittant] Adde, idem est in eo, cui bonis interdictum est. *l.* 6. *ff. de verb. obligat.*

Namque placuit] Idem traditur in *l.* 11. *ff. de adquir. rer. domin.*

Mandatis, depositis] *Mandans & deponens* obligantur ad indemnitatem mandatarii & depositarii *l.* 5. *D. depos. tot. tit. D. mandati.*

Ipsi quidem] Quid? si pupillus cum pupillo contrahat? nihil agitur. *l.* 3. *ff. quod. fals. tut. auct.*

Pupilli non obligantur] Itaque si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex una parte claudicat contractus *l. si quis ff. de act. emp.* Idem in pacto. *l.* 1. *ff. de rescind. vend.*

Neque tamen hereditatem] *Hereditas* interdum damnosa est *l.* 33. *ff. mand.* etiamsi locuples videatur, ut propter negotia, vexationem, aes alienum, invidiam, vel offensam *l.* 4. *ff. ad SC. Trebell.* ideoque, ne pupillus in haec incommoda incurrat, non potest, nisi tutore auctore, adire hereditatem.

Nec ullum damnum habeat] Ita legendum est, ut constat ex Cajo, ex Theophilo, & ex libris vetustis. vide Ant. August. *lib.* 3. *cap.* 7. *Emendat.*

Auctor esse non potest] *l.* 1. *& l.* 7. *D. eod. tit.*

Non Praetorius] Antiquitus dabatur tutor ad ea omnia, quae desiderabant solemnitatem juris. *l.* 19. *D. hoc tit.* vide & Ulpian. *tit.* xx.

IN TIT. XXII.

QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

Puberes] Parum proprie loquitur. *Puberes* enim proprie non dicuntur feminae, sed *viripotentes*. Praeterea nec tum quidem liberantur puellae a tutela, cum viripotentes esse coeperint. Nam antiquitus perpetua tutela continebantur: ac cum in testamento requirantur septem testes puberes; ex eo collegerunt antiqui, feminas ad testamentum faciendum adhiberi non posse.

Pubertatem autem] Hac de re discrepantes veterum JCtorum sententias reperies apud Ulpian. ad finem *tit. xi. Liberantur*, inquit, *tutela masculi quidem pubertate. Puberem autem* Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est, qui generare potest: Proculejani autem eum, qui xiv. annos explevit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrerit, & habitus, & numerus annorum. Cassiani sequebantur Platonem *lib.* xi. νόμων, Proculejani Solonem; cujus hac de re judicium exponit Philo in *Cosmo*.

Vel deportati] Nam pubertati proximis in delictis non parcitur; *l.* 14. *ff. de SCto Syllan.* § 18. *J. de oblig. quae ex del. nas.* nisi quatenus miseratio aetatis judicem ad mitiorem poenam interdum perducit, *l.* 37. *ff. de minorib.* Nam fere in omnibus poenalibus judiciis, & aetati & imprudentiae succurritur, *l.* 108. *ff. de reg. jur.*

Redigatur] Non puto verum esse, quod ait Accursius de crimine ingrati; quod vix ullo modo de crimine ingrati ita cadere posse judico, ut propterea in servitutem retrahi debeat. Censeo itaque, ubi est, *vel si*, legendum, *ut si*.

Ab hostibus captus] Interea autem curator ejus bonis datur. *l.* 15. *ff. ex quibus causs. major.*

IN TIT. XXIII.

DE CURATIONIBUS.

Curatores accipiunt] A magistratu, si modo eos petant. regulariter enim *curator* non datur, nisi petenti.

Ex lege XII. *tabul.*] Ejus l. verba erant: *si furiosus*

existet, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque ejus potestas esto. Cic. *lib.* 2. *de Invent.* & *lib.* 3. *Tuscul.* ait, 12. tab. vetare, furiosum esse suarum rerum dominum. Hinc ductum est proverbium, quo, cum significare volebant aliquem insanire, dicebant eum ad agnatos & gentiles deducendum: eo utitur Varro. lib. 1. de re rustica. Horatius:

Nec medici credis, nec curatoris egere,
A Praetore dati.
— & ad sanos abeat tutela propinquos.

ubi *tutelam* pro curatione dixit. Formula, qua Praetor administrationem bonorum adimebat prodigo, haec erat: QUANDO TUA BONA PATERNA, AVITAQUE, NEQUITIA TUA DISPERDIS, LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PERDUCIS, OB EAM REM TIBI RE COMMERCIO INTERDICO. Paul. *lib.* 3. *Sent. tit.* 4.

Surdis & mutis] Id est, utroque vitio simul laborantibus.

Decreto] Cur hic opus est *decreto & caussae cognitione?* Respond. Quia novum est, ut dare possit actorem, qui procuratorem dare non potest. Tutor autem aut curator procuratorem substituere in locum suum non potest. *l.* 11. *C. de procurator.*

IN TIT. XXV.

DE SATISDATIONE TUTORUM VEL CURATORUM.

Ille gerere debet] Ceteri autem erant honorarii; sed tamen ad eos quoque pertinet. Debent enim esse quasi observatores administrantis, & eum, si male gerat, suspecti postulare. *l.* 3. §. 1. *ff. de administr. & peric. tut.*

Exigere solent] In provinciis Duumviri, aut *Defensores* civitatum: in urbe, *scriba*, aut is, quem Praetor delegaverit, *l.* 3. *ff. rem pup. sal. for. l. ult. C. de magistr. conven.*

IN TIT. XXV.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

Placuit] Verbum hoc subindicare videtur, aliquam ea de re controversiam fuisse. Sed tandem placuisse, tutelam numerari inter publica munera.

Publicum munus] *Tutelam & curam publicum munus* esse probatur ex *l.* 9. *ff. de iis, qui sunt sui vel. al. jur. l.* 17. §. 2. & §. 4. *ff. de excus. tut. l.* 2. §. 2. *ff. qui petant tutor. vel. cur. l.* 1. *& ult. ff. de munerib. & honor.* & ex hoc §. Item ex hoc argumento; aedilitas excusat a muneribus privatis. *l.* 17. §. 2. *ff. de excus. tut.* non excusat a tutela. *d.* §. 2. Ergo tutela non est munus privatum; sed publicum. Imo videtur esse privatum munus. *l.* 6. §. 15. *ff. de excus. tut. Tutela, inquit, non est reipub. munus, nec quod ad impensam pertinet, sed civile, nec provinciale videtur tutelam administrare.* Item ex hoc argumento, quo & Cujacius usus est. *l.* 6. §. 1. *ff. de excus.* Aedilitas excusat a muneribus privatis tantum. *d.* §. 4. Ergo tutela est munus privatum. Probatur minor per *d.* §. 4. quem ita intelligit. *Is qui aedilitate fungitur, potest tutor dari; sed statim excusatur;* nam qui jure non datur, non excusatur, *l.* 13. §. *ult. ff. de excus.* At Aedilis excusatur. Ergo jure datur. Item si tutela esset munus civile, vel publicum, excusaret ab aliis muneribus civilibus, seu publicis, *l.* 12. *ff. de muner. & honor.* At non excusantur *l.* 3. *C. de excus. muner. lib.* 10. Ergo non est munus publicum. Solutio. Recte videtur judicasse Cujac. in *notis ad Inst.* textum in *l.* 6. §. 15. *ff. de excus. tutor.* esse adulterinum: etiamsi postea mutavit sententiam in Commentario, quem scripsit ad illum. Tit. Pand. Et ille unus §. exhibet molestiam in hac quaestione tractanda, cum cetera omnia facilia sint explicatu. Vere autem dici potest, tutelam vi & natura sua non esse munus publicum: pertinet enim ad utilitatem unius domus privatae, non totius reipublicae: & munera publica, ut legatio, ut sitonia, & similia mandantur a populo, aut a Senatu, seu in municipiis ab ordine Decurionum. Item qui munus aliquod publicum gerit, habet etiam aliquam auctoritatem publi-

 cam;

cam; qualis non est ei, qui curam aut tutelam gerit. Et si quis tutelae causa absit, non dicitur abesse Reip. causa: ideoque qui habet immunitatem a muneribus publicis, non propterea excusatur a tutela. *l. 15. §. 12. ff. hoc tit.* Itaque Imperator non loquitur hoc modo; tutela est munus publicum, sed ita, *placuit tutelam esse munus publicum.* Hoc autem modo utuntur JConsulti, cum significant, favore pupillorum receptum esse, ut tutela & cura numerarentur inter munera publica: nempe ut quemadmodum adiguntur cives aut municipes ad suscipienda munera publica, etiam inviti: ita etiam ad tutelam & ad curam adigantur. Interest enim reipublicae, pupillorum patrimonia conservari: & ut datur actio in eos, aut in eorum heredes, si respub. ex eorum administratione ullum damnum patiatur; ita datur, si quid, quod pupillo profuturum esset, praetermiserint. Denique ubi agitur de commodo pupilli, tutela habetur pro munere publico; ubi de commodo tutoris, non habetur: & cum hoc semel placuisset prudentibus, & propter illorum auctoritatem receptum esset, ex illo coeperunt numerare tutelam ac curam inter munera publica, sive civilia personalia. Ita facile conciliari possunt, quae pugnantia videntur.

Qui in acie amittuntur] Hoc novellis constitutionibus derogatum est; quibus constat, & prodesse eos quoque, qui infirmitate in exercitu moriuntur.

In semestribus] Veteres dividebant annum in duas tantum partes: aestatem & hiemem, & attribuebant utrique senos menses. Sex autem mensibus aestivis solebant impp. bella gerere, sex hibernis conventus agere, & jus dicere. D. igitur Marcus libros Semestrium conscripserat, quibus Decreta, Sententiae, Edictaque ipsius continebantur.

Curator loco eorum datur] Imo tutor, *l. 12. ff. de tutelis.* Sed illic tutor pro curatore accipitur: confunduntur enim interdum haec nomina.

Hoc spatium habent] *L. 2. C. si tutor. vel cur. reip. causs.*

Potestatem] Id est, magistratum etiam municipalem. Juvenalis: *An Fidenarum Gabiorumque esse potestas.*

Nisi forte] Item is, cujus frater aut soror talem litem habet cum pupillo aut adulto *l. 16. C. hoc. tit.*

One.

Onera] Quod hic primum notat Accursius, falsum est: quaelibet enim tutela, quamvis levis, vocatur onus tutelae.

Divi fratres] Male accepit Theophilus *Divos fratres*, Severum & M. Antoninum. Nam Severus M. Antonini Magni pater fuit. *l.* 32. *ff. de donat. inter vir. & uxor. l.* 1. *ff. de requir. reis. l.* 11. *de muneri b. & honor.* Sunt autem Divi fratres M. Antoninus philosophus, & Lucius Verus, qui fuerunt filii T. Antonini Pii, nepotes Hadriani, *l.* 11. §. 23. *ff. de legat.* 3. *l.* 33. *ff. de poen. l.* 57. §. 1. *ff. de ritu nuptiar.*

Literas nesciunt] Adversari videtur, quod tradit Modestinus ex Paulo in *l.* 6. § 19. *ff hoc tit* Solutiones, quae adferuntur hoc loco a Doctoribus, ridiculae sunt. Cujacius in *tit. de excusat. l.* 6. §. 1. *in fin.* putat, quod a Modestino ex Paulo traditum erat, a D. Pio correctum esse; quod fieri nequit: cum D. Pius tanto ante Modestinum & Paulum fuerit. Puto dicendum, imperitos literarum duobus modis dici. Primo modo eos, qui eruditi & literis exculti non sint, & horum excusationem admitti non debere. Altero eos, qui neque scribere, neque legere sciunt, & hos excusari arbitror: neque enim possunt conficere rationes, neque scribere.

Milite] *L.* 8. *C. de legat. l.* 4. *C. qui tutor. dar. poss.* Veteranus honeste missus excusatur a tutelis pupillorum paganorum *l.* 2. *C. de excusat. veter.* Sed unicam tutelam filii commilitonis olim sui non potest recusare.

Grammatici] Qui primas literas docent, non habent immunitatem. *l.* 2. §. *ult. ff. de vacat. mun. l.* 11. *D. de mun. & hon.* Musici non habent, *l.* 5. *C. de excus. mun.* neque poëtae *l.* 3. §. 11. *C. de profess. & med.* neque calculatores *l.* 4. *tit. eod.* neque geometrae *l.* 22. *ff. de excus. tut.* saltem a tutelis: nam ab aliis muneribus habent vacationem. *l.* 2. *C. de excus. artific.* mensores frumentarii. *l.* 26. *ff. de excus. tutor.* & piscatores, qui sunt in collegio, & Ilienses, & fabri, aliique ex corporibus publicis *l.* 17. §. 1. & 2. & *l. ult. ff. eodem.*

Dati fuerint] Cujacius in *fragment.* Ulp. & *l.* 13. *ff. hoc. tit.* negat hoc ad legitimos pertinere, quibus negat excusationem dari.

IN TIT. XXVI.

DE SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS.

Crimen] Id est, accusationem: de removendo suspecto tutore nunquam agitur criminaliter. Itaque nulla est inscriptio, & Praetor, apud quem agitur de suspecto, non cognoscit de criminalibus. Verum quidem est, cum tutor remotus est, tanquam suspectus, si quis velit eum accusare, tanquam dolose versatum in tutela, & aliquid gravius ei objicere, posse id facere apud Praefectum urbi, qui cognoscit de criminibus: & tunc necessaria est inscriptio.

Ex lege XII. *Tabul.*] Cicero *lib.* 3, *de Officiis* scribit, dolum in tutela vindicatum fuisse legibus XII. Tabularum. Idem pro *Roscio Comoedo*, & pro *Caecina.*

Praetori] In urbe Praetor jurisdictionem non mandabat, nec ullum habebat legatum. Itaque stulta est hoc loco Accursii additio. Et Accursius ipse id, quod hic dicit, negat sibi placere, in *l.* 1. *ff. ad SConsultum Turpill.*

Legato Proconsulis] Aut etiam *Propraetoris:* nam *Propraetores* saepe *Proconsules* vocantur, ut in toto *tit. ff. de offic. Proconsulis.*

Quasi publicam] Non est plane publica; nam non descendit ex ulla lege publicorum judiciorum *l.* 1. *de public. judiciis.* sed ex l. XII. tabul. ut dixi. principio hujus tituli. Est tamen, *quasi publica;* quia in publicis judiciis, ita etiam in judicio de suspectis tutoribus accusatio prope omnis permissa est.

Et mulieres] Cum tamen eis publica accusatio, nisi ex certis caussis, permissa non sit. *l.* 1. & 2. *l.* 12. *C. qui accus. non poss.*

Interdicitur ei] Ita ut, si quis ei sciens solverit, non liberetur, *l* 14 §. 1 *D. de solut.*

Ministeriis] *Ministeria* vocat ministros tutoris, ut Sallustius *servitia* vocat servos ipsos.

IN LIBRUM SECUNDUM.

IN TIT. I.

DE DIVISIONE RERUM, ET QUALITATE.

Profluens] Inepte Accursius aquam pluviam intelligit: intelligitur enim aqua fluminis perpetua perennis. *l.* 1. *de fluminib.*

Accedere] Non tantum piscandi, sed aedificandi, occupandi, & usurpandi caussa. *l.* 14. & *l.* 50. *ff. de adquirendo rer. domin. l.* 3. *ff. ne quid in loco publ. fiat.*

Non sunt juris gentium] Sed eorum, qui illa posuerunt. *d. l.* 14. & *l.* 2. §. 8. *l.* 3. *ff. ne quid in loco publ. fiat.*

Quae in civitatibus] Quae sunt P. R. proprie dicuntur publica: quae autem alienarum civitatum, non proprie dicuntur publica, sed universitatis. Civitates enim loco privatorum habentur. *l.* 15. 16. *ff. de verb. signific.*

Mortuum] Et servum *l.* 2. *ff. de religios.* & *sumpt. fun.*

Invito socio] Nam in re communi potior est caussa prohibentis, *l.* 28. *ff. comm. divid.*

Ratum habuerit] Legendum sine negatione. *l.* 6. §. 4. *ff. de rer divis.* Caussa autem est, quia ratihabitio retrotrahitur, & aequiparatur mandato *l.* 60. *D. de reg. jur. l. ult. C. ad SConsultum Maced.*

Portae] Plutarchus negat: neque tamen dissentit a JConsulto, si recte intelligatur.

Nec interest] *Ferae* tamen, quas vivariis, & pisces, quos in piscinis inclusos habemus, a nobis possidentur, nec tolli possunt. *l.* 3. §. 14. *ff. de adquir. possess.*

Sed posteriorum] Bartolus tamen ait, de consuetudine observari opinionem Trebatii. Quid? si fera nobis aliquid eripuerit? Dic, ut in *l.* 44. *D. de adquir. rer. dom.* & in *l.* 8. *D. famil. hercisc.*

Agro tuo] Non tantum tuo, sed etiam & in quem habes aliquid juris: ex qua caussa si usumfructum habes in agrum, habebis & in id quod adjecit alluvio. *l.* 9. §. 4. *ff. de usufruct.* si pignus, augebitur hypotheca. *l.* 16. *ff.* de

de pignor. si venditus, nec dum traditus, accessio tibi jure fit. *l.* 17. *ff. de per. & comm. rei vend.*

Adjicit] Quid? si nihil adjecit, sed resedit, ac recessit ipsum flumen; meum erit, quod aquis nudatum est, etiam si publica vis interjecta sit. *l.* 38. *ff. de adquir. rer. dom.*

Communis] Non tamen pro indiviso, *l.* 29. *de adquirend. rer. dom.*

Quod si alteri parti] Quid? si vagetur per flumen? publica est. *l.* 65. §. 2. *ff. de adquir. rerum dominio.*

Quod si aliqua parte] Idem tradit Pomponius in *l.* 30. §. 2. *ff. de adquir. rer. domin.*

Novus autem alveus] Idem traditur in *l.* 1. §. 8. *ff. de fluminibus.*

Sabinianorum & Proculianorum] De his sectis vide Pomp. *l.* 2. *ff. de origin. jur.* Fluxerant autem Sabiniani a Capitone, Proculiani a Labeone. Nam Sabiniani favebant ei, cujus esset materia; at Proculiani, qui ex philosophia aliquid hauserant, intelligebant formam esse materia praestantiorem, ideoque favebant opifici.

Frumentum] Contra tamen Cajus in *l.* 7. §. 7. *ff. de adquirendo rer. domin.* cujus sententia verior, & rationi magis consentanea videtur.

Qui dominus fuit] Recte *fuit*: neque enim amplius dominus est, cum purpura pro extincta sit.

Cum in suo solo] Inanis est hic glossa. Nam non licet proprietario ullo modo commutare speciem rei, cujus est alienus ususfructus, *l. ult. ff. de usu & habit.*

Ne aedificia] Decora enim civitatis facies diligenter conservanda est, *l.* 6. *C. de operibus publicis.*

Nam scienti alienum esse potest objici culpa] Super hac quaestione videtur non satis convenisse inter veteres: nam Cajus *l.* 7. § 12. *ff. de adquir. rer. dom.* aperte ait, eum, qui sciens in alieno solo sua materia aedificaverit, sua voluntate amisisse proprietatem materiae, ita ut, ne diruto quidem aedificio, possit eam vindicare. At Ulpian. in *l.* 37. *ff. de rei vind.* ait, hoc ei concedendum esse, ut sine dispendio domini areae tollat aedificium, quod posuit. Imperator autem in *l.* 2. *C. de rei vindic.* ait, dissoluto tali aedificio, materiam ejus ad pristinum dominum redire, sive bona fide, sive mala aedificium constructum sit, nisi qui aedificavit, id fecerit donandi

animo. Haec ita sunt concilianda. Si aedificavi in tuo bona fide, fit quidem aedificium tuum, sed cogendus es persolvere mihi pretium materiae & operarum; nisi mavis aream quoque mihi vendere, & hoc stante aedificio: eo autem diruto, possum ego, si libuerit, materiam meam vindicare. Sin mala fide aedificavi; stante quidem aedificio, vindicare materiam meam non possum. Sed si tu petas, illud tuum esse, cogeris mihi persolvere pretium materiae & operas fabrorum, aut repelleris per exceptionem doli mali; nisi mavis permittere mihi, ut sine ullo tuo dispendio demoliar aedificium, & materiam auferam: diruto quidem aedificio, dabitur mihi non quidem directa vindicatio, sed utilis in rem actio ad materiam, aut aestimationem illius consequendam. Dicet aliquis; quid amplius igitur habet, qui bona fide aedificavit, quam qui mala? Respondeo, longe plurimum. Nam illi dici non potest; demolire, aedificasti, & aufer tibi materiam: imo vero, persolvendum ei est, quicquid utiliter impendit. At huic dici potest, ut diruat, quod aedificavit, & abradat, si quid potest: quod cum sine gravissimo dispendio facere non possit, constat, eum conventurum esse cum domino areae, quamlibet duris & iniquis conditionibus.

Chartis] Cum charta mea sit, & quod in ea scriptum est, meum est *l.* 3. *D. ad exhib.*

Tabulam picturae cedere] Ita totidem verbis scribit Cajus in *l.* 9. §. 2. *ff. de adquir. rer. dom.* Ab eo tamen aperte dissentit Paulus in *l.* 23. §. 3, *D. de rei vindic.* Nec haec dissensio ulla vera ac solida ratione conciliari potest.

Quem dominum esse] Idem, si sciverit, non esse dominum, sed tamen habere jus alienandi, aut esse procuratorem domini, aut habere ad eam rem speciale mandatum. *l.* 109. *ff. de verb. significat.*

Fructus] Multis agitata dissensionibus quaestio est; num bonae fidei possessor fructus percipiendo, id est, a terra separando faciat suos: & vulgo quidem distinguunt, sintne fructus naturales, id est, sine ulla hominum industria provenientes, ut glandes in sylvis; an industriales: ita enim vocant eos, in quibus aliqua requiritur hominis industria, quales sunt fructus arvorum aut vinearum, ut hi quidem ipsius fiant pro cultura, & culturae cura; non autem ii, qui neque curam, neque culturam ullam

requirunt. Mirifice tamen obstare videtur *l.* 48. *ff. de adquir. rer. domin.* ubi ait JCtus, bonae fidei emptorem percipiendo fructus ex aliena re suos facere, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus provenerunt, sed omnes. Quod illi communi consensu ita interpretantur, ut dicant, sive ipse agrum exempli caussa seruerit, serendumve curaverit; sive etiam extraneus quisque, fructus illos percipiendo ipsius fieri. A qua sententia, cum omnium consensu probata sit, discedere non ausim. Si quis tamen exercendi ingenii caussa defendere voluerit, omnes fructus, cujuscunque generis sint, bonae fidei emptorem percipiendo suos facere, poterit, ut opinor, tueri se adversus ea, quae adversari videntur, hoc modo. Distinguendum erit, quomodo quis bona fide possideat: nam ad bonam fidem interdum sufficit, si quis sine fraude & dolo malo rem alienam esse ignoret, etsi nesciat quomodo ad se pervenerit. *l.* 3. *ff. de L. Fab. de plag.* Talis autem bonae fidei possessor qui nescit, quo titulo possideat, non facit fructus naturales suos. At bonae fidei emptor, aut qui justo alio titulo bona fide possidet, facit omnes fructus suos, & hoc est, quod dicitur in *l.* 45. *ff. de usur. & fruct.* non quemlibet bonae fidei possessorem facere fructus suos; sed eum demum, qui justo titulo nititur.

De colono] *Colonus est*, qui mercede alienum agrum colit; merces autem aut est aliqua pars fructuum; unde dicuntur *tertiarii* aut *quartarii coloni*, aut omnes fructus, pro quibus *colonus* quotannis certam pecuniam pendit.

Partus vero ancillae] Hac de re magnam apud veteres dissensionem fuisse cognosces ex Cicer. *lib.* 1. *de Finibus*, & ex *l.* 68. *de usufr.*

Ex foetu] Aliunde ita submittere cogetur, si, dum id facere moratur, editum foetum amiserit.

Per traditionem] Intellige tamen eam traditionem, quam justa aliqua caussa praecesserit. *l.* 37. *ff. de adquir. rerum dom.*

Cujuscunque generis] Dummodo non sint earum, quae exemptae sunt commercio.

Fidem] *Lex commissoria* est, qua inter emptorem & venditorem convenit, ut, si ad diem pecunia soluta non sit, res inempta sit. *l.* 2. *ff. de leg. commissoria.*

IN TIT. IV.

DE USUFRUCTU.

Utendi] Glossa haec inutilis est; verbum enim *utendi* eo tantum ponitur in definitione, quia in usufructu etiam usus continetur: *utendi* igitur per se, fruendi etiam per alios: potest enim locare, donare, vendere.

Salva rerum substantia] Id est, quam diu res, in qua constitutus erat ususfructus, manet id, quod fuerat: si enim esse desinat, extinguitur ususfructus. Exempli caussa: Legatus est mihi ususfructus aedium, aedes collapsae sunt vi venti, aut terrae motu, aut vetustate; quaero, an meus sit ususfructus saltem areae? & placet, meum non esse.

Vestimenta] Ineptit Accursius, dum somniat, *vestimenta* fuisse, quae perpetuo durarent: sed ut vini, olei, & similium, sic & *vestimentorum* hodie ususfructus legari potest.

Duabus capitis deminutionibus] Hoc a Justiniano constitutum est: nam ante eum etiam minima *capitis deminutione* extingnebatur *ususfructus*. Sed quaeritur, si *ususfructus* relictus sit universitati alicui, aut civitati, quando extinguatur? Respondeo, centum annis: putarunt enim, eum esse humanae vitae longissimum terminum & cursum. *l.* 56. *ff. hoc tit.* aut si aratrum in civitate ducatur, ita ut civitas esse definat, *l.* 21. *ff. quib. mod. ususfr.*

Nihil agitur] Quod attinet ad *usumfructum* transferendum. Itaque potest quidem fructuarius permittere alii, ut utatur fruatur, potest vendere, donare, locare; ita tamen ut, si usufructuarius ipse moriatur, vel capite minuatur, statim extinguatur ususfructus.

IN TIT. V.

DE USU ET HABITATIONE.

Quotidianum] Toto caelo errat Accursius, neque leges, quas adducit ad sententiam suam confirmandam, ullo modo ad rem propositam pertinent: imo vero, si plurium fundorum usus legatus sit, omni-

bus uti potero; eodem modo, ut si mihi alimenta a duobus legata sint, ab utroque eorum petam.

Sed si cui habitatio] Interest inter *usum* & *habitationem*: nam *usus* etiam in aliis rebus constitui potest, ut in sylva, in prato, in servo, in equo: at *habitatio* non potest. Sed inter *usum* aedium, & *habitationem* non multum interest, *l.* 10. *ff. hoc tit.*

IN TIT. VI.

DE USUCAPIONIBUS, ET LONGI TEMPORIS POSSESSIONIBUS.

De usucapionibus] Quomodo cohaeret titulus hic cum superioribus? hoc Imperator docuit ad finem tituli superioris. Etenim cum sub titulo de rerum divisione docuisset, quibus modis res singulorum fierent jure gentium; dein autem propter injectam divisionem rerum in corporales, & in incorporales, ipsa docendi ratio videbatur exigere, ut de rebus incorporalibus diceret. Egit quidem de nonnullis earum, ut de *servitutibus praediorum*, de *usufructu*, de *usu* & *habitatione*; sed distulit tractationem hereditatum & obligationum, quae ipsae quoque incorporales sunt, in alium commodiorem locum; nunc abruptum quodammodo ordinem pertexit: exponitque, quibus modis res jure civili adquirantur: quos duos ponit, *usucapionem* & *donationem*. Sed cur alios modos omittit, ut *mancipationem*, & *in jure cessionem?* quia jam pridem in usu esse desierant. Sed cur *usucapionem* tribuit juri civili: cum Isocrates in Archidamo, eam apud omnes gentes valere testetur? Idem de donatione etiam quaeri posset: nulla enim gens est, apud quam donationes non valent. Ratio est, quia tam multa jure civili specialiter in earum utraque constituta sunt, ut merito tribuantur juri civili. Sic quamvis apud omnes populos testamenta fierent; quia tamen jure civili certa quaedam forma testamentis data est, testamenta jure civili valere dicuntur. Sic quamvis ubique gentium homines & stipulentur & spondeant; stipulatio tamen propter certam formam ei a jure civili traditam, juris civilis dicitur. Quod vulgo legitur de *usucapionibus* & *longi temporis praescriptionibus*, in plerisque omnibus anti-

quis

quis libris legitur, & longi temporis posſesſionibus, eodemque modo interpretatur Theophilus: & hanc ſcripturam ſummo conſenſu eruditisſimi interpretes probant: praeſertim cum hoc tot. tit ne nominetur quidem praeſcriptio. At vulgares & ſordidi interpretes ſomniarunt, *uſucapionem* proprie dici in rebus mobilibus; in rebus autem ſoli pro eodem dici *praeſcriptionem*: idque jam vulgo ita receptum eſt, ut ne dubitetur quidem. Certo tamen certius eſt, in libris juris *praeſcriptionis* nomine perpetuo ſignificari exceptionem, etſi in hac re nutat alicubi Cujacius: ſed quoniam domino negligenti, poſt longum tempus volenti vindicare rem ſuam, opponitur *praeſcriptio*, id eſt, exceptio longi temporis, iccirco creditum eſt *praeſcriptionem* vocari *uſucapionem*. Sunt autem haec tria diſtincta *posſesſio*, *uſucapio*, & *praeſcriptio*: longa posſesſione res *uſucapitur*: *res uſucapta* vindicatur, domino opponitur *praeſcriptio*.

In Italico ſolo] Hoc eo, quoniam qui agros tributarios, aut ſtipendiarios colebant antiquitus, ut dictum eſt, non erant illorum domini: ideoque nec agri illi alienari poterant; quare nec uſucapi: ut & hodie agri, quos quis in feudum obtinet, ab alio uſucapi non queunt.

In incerto esſent] Et ut esſet aliquis finis litium *l. ult. ff. pro ſuo.* unde Cicero pro *Caecina* dicit, *uſucapionem* esſe finem ſolicitudinis & litium.

Per triennium] Verum eſt, quod in prima parte hujus glosſ. dicitur, in *uſucapione* rerum tam mobilium quam ſoli, tempus numerari continuum: requiritur etiam illud, ut posſesſio ſit continuata, id eſt, nulla uſurpatione interveniente. Eſt autem uſurpatio *uſucapionis* interruptio, *l.* 2. *ff. hoc tit.* Sed falſum eſt diſcrimen, quod vulgo conſtituunt inter *uſucapionem* rerum mobilium, & *uſucapionem* rerum ſoli, quam ipſi *praeſcriptionem* vocant; quod in *uſucapione* dies ultimus coeptus habeatur pro expleto, in *praeſcriptione* autem ſecus. JCtus enim aperte dicit, in *uſucapionibus* diem ultimum totum numerari, non de momento ad momentum; neque diſtinguendum, utrum capiatur res mobilis, an res ſoli. Eſt autem vulgata talium Doctorum regula; ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, ac pro ſe adducunt *l.* 6. *ff. de obligat. & action.* ubi ita legitur: *In omnibus temporalibus actionibus, niſi noviſſimus totus dies*

dies compleatur, *non finis obligationem*; quod ipsi ita accipiunt, ut dicant, eam actionem, quae datur domino praedii ad vindicandam rem suam, esse temporalem, ideoque requiri, ut totus ultimus dies expleatur. Sed quaerendum est ex ipsis, num ea quoque, quae datur domino rei mobilis, non sit temporaria. Sed certissimum est, legem illam nihil ad id, de quo agitur, pertinere; loquitur enim tantum de iis actionibus personalibus, quae tempore finiuntur; qualis est actio injuriarum, & similes, de quibus suo loco dicemus, quae non finiuntur, nisi totus novissimus dies compleatur: idque constat ex eo, quod actionis nomen in jure plerumque significat actionem personalem, *l.* 178. §. 2. *ff. de verb. sign.* itemque ex eo, quod JCtus ibi ait, non finiri obligationem; nam vindicatio non nascitur ex obligatione, neque datur in personam, sed in rem ipsam, a quocumque teneatur. Neque ille, qui vindicatione agit, intendit rem sibi deberi, sed suam esse. Res autem sua nemini deberi potest. Aeque stultum est, quod adducit, usucapionem favorabilem esse, praescriptionem autem odiosam. Hoc enim ideo vel maxime diceretur, si praedia semper pretiosiora essent rebus mobilibus. At una gemma saepius pluris aestimatur, quam multa praedia. Lex autem *ult.* C. *de Ed. Divi Hadr. toll.* & *l.* 19. *ff. de lib. & posthum.* probant quidem ea, quae odiosa sunt, coarctari potius deberi, quam amplificari: sed de usucapione & praescriptione non loquuntur.

Dominia rerum] Opinio Martini est vera: & quaecumque vulgares Doctores commenti sunt de *dominio utili*, mera somnia sunt. *Dominus utilis*, aut *dominium utile*, nusquam in jure reperitur. Martini opinio aperte confirmatur per ipsam definitionem usucapionis; quae est, *Usucapio est adeptio dominii. l.* 3. *ff. hoc tit.* Nam definitio illa communis est tam *usucapioni* rerum mobilium, quam soli. Nec obstat, si quis dicat, esse adeptionem quidem dominii, sed aut directi, aut utilis: utile enim dominium, ut dixi, est somnium. At Bulgarus aliter sentit argumento *l.* 13. *ff. de jurejurand.* ubi dicitur, si quis juraverit post longi temporis praescriptionem fundum suum esse, eum etiam utilem actionem habere debere. Sit ergo Syllogismus hoc modo: Qui habet utilem actionem, non est vere dominus; qui longo tempore possedit,

dit, habet utilem actionem: ergo non est vere dominus. Major nota est: verus enim dominus habet directam vindicationem. Minor probatur per textum in *d. l.* 13. Respond. quamvis eadem res pluribus nominibus mea esse non potest; nihil tamen prohibet, me ad eandem rem consequendam plures actiones habere, ut adversus furem datur vindicatio, datur & condictio. JCtus autem ibi ait, eum qui post longam possessionem juravit, habere etiam utilem actionem, id est, non tantum habere vindicationem ex longa possessione, sed etiam utilem actionem ex jurejurando. Adducitur etiam pro opinione Bulgari text. in *l.* 8. *C. de praescription.* 30. *vel* 40 *annor.* ubi Imper. vocat eos, qui praescriptione longi temporis repelluntur, *dominos rerum.* Sit itaque syllogismus: Nulla res eodem tempore plures dominos habet. Res longo tempore possessa habet alium dominum. Ergo, qui longo tempore possedit, non est illius dominus. Respondeo, argumentum leve & nugatorium esse. Imperator enim dominos vocat dominos veteres, qui domini erant, antequam usucapio finiretur. Imo illa lex apertissime facit pro opinione Martini; statim enim ait, ei, qui longo tempore possessionem possedit, vindicationem dari. At *lex* 1. *ff. de pignorib.* nihil prorsus ad hanc rem facit, neque *l.* 7. *Cod. eod.*

Lex XII. *Tabularum*] Cujus haec erant verba: *Quod surreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas esto.* Gell. *cap.* 7. *lib.* 17.

Si quis quum non emerit] Quid? si servus, vel procurator, cui mandarat, ut emeret, emisse se persuaserit? usucapio procedit, *l.* 12. *ff. pro emptore.*

Diutina possessio] Nota, principium hujus §. pertinere tantum ad res immobiles; nam de illis tantum dicitur longa vel diutina possessio.

IN TIT. VII.

De Donationibus.

Est & aliud genus &c.] Donatio proprie dicitur pura & simplex, quaeque a mera liberalitate proficiscitur; nam qui donat alteri, quia is aliquid fecerit, facturusve sit, non tam donare, quam quasi mercedem aut honorarium

aliquod, vel persolvere videtur, vel in antecessum dare. *Donationes* quoque sub conditione, & *donationes* mortis causa, sunt quidem *donationes*, sed quarum effectus est in pendenti. Cur donatio attribuitur juri civili? Respondeo. *Donatio* antiquitus non valebat, nisi aut traditione, aut mancipatione confirmata esset, praeterquam inter parentes & liberos, *l.* 4. *l.* 7. *C. Theod. de donat.* Traditio est juris gentium: mancipatio juris civilis. De traditione igitur dixi in *tit. de rer. divis.* Supererat, ut diceretur de donatione, quae confirmatur mancipatione, qua ratione pertinet ad jus civile. Quanquam autem mancipatio sublata est, tamen propter illud jus antiquum, dominium refertur ad jus civile, praesertim cum tam multa ad eam pertinentia jure civili constituta sint.

Acquisitionis] Dominium acquisitio est, si donatarium spectes; alioqui enim donare, est potius perdere, *l.* 7. *ff. hoc tit.*

Mortis causa] *Mortis causa donatio*, & similes, ut ante dictum est, non sunt verae donationes, sed *donationes* sub conditione. *l.* 1. *ff. hoc tit.*

Ad legati instar] Nam legatum quoque est *donatio* quaedam mortis causa relicta. *l.* 36. *ff. de leg* 2.

Fere legatis] Tertium discrimen, quod Accursius constituit inter *donationem mortis causa* & *legatum*, hanc sententiam habet; *in donatione ipsum donantem* obligari ad praestandum, quod donat; in *legato* autem non obligari ipsum testatorem, sed heredem. Sed hoc discrimen ridiculum est, & nullius momenti. Sic peraeque & in *legato* & in *donatione mortis causa* substitui potest, *l.* 50. *ff. de leg.* 2.

Si fuerint perfectae] Alioqui enim revocari possunt, *l.* 10. *ff. hoc tit.* Perficiebantur autem olim quidem aut traditione, aut mancipatione. Sed Justinianus voluit eas perfici, etiam nuda voluntatis declaratione. Itaque hodie non revocantur, nisi propter crimen ingrati, aut alias perpaucas causas, de quibus infra dicetur.

Secundum enumeratos] Sunt & aliae, ut si praeter spem nova soboles suscepta sit, *l.* 8. *C. de revoc. donat.* Item, si *donatio* facta sit inofficiosa, ad intervertendam inofficiosi querelam, *l.* 87. §. 3. *ff. de leg.* 2. Item, etsi abfuerit improbum consilium, sed re tamen, & effectu donatio inofficiosa sit, *l.* 5. *Cod. de inoff. donat.*

IN TIT. VIII.

QUIBUS ALIENARE LICET, VEL NON.

Alienare] *Alienatio est* omnis actus, per quem dominium transfertur, *l.* 1. *C. de fundo dotali.* Is autem, qui possessionem tantum, non etiam dominium transfert, *alienare* non dicitur, *l* 119. *ff. de reg. jur.*

Ipsius sit] Magna controversia est, dominus dotis sit maritus, an uxor. Dicendum autem puto, eam quodammodo utriusque esse, quod & dicere videtur Tryphoninus JCtus, in *l.* 75. *de jure dot.* ubi ita legitur, *quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris est.* Sed cum ejusdem rei constet duos in solidum dominos esse non posse, quomodo eamdem rem & mariti & uxoris esse dicemus? Hoc clare dicere videtur Imp. in *l.* 30 *C. de jure dot.* ubi ait, dotem in patrimonium mariti transire subtilitate quadam legum, sed naturali jure in uxoris dominio permanere.

IN TIT. IX.

PER QUAS PERSONAS NOBIS ACQUIRITUR.

Exceptis videlicet] Idem in peculio quasi castrensi. Sed sciendum tamen est, antiquo jure quicquid quoquo modo acquireret filius, patri quaesitum fuisse, ut testatur aperte Dionys. Halicarnass. & Sext. Empiricus. Postea Imperatores, ut invitarent juvenes ad militiam, voluerunt eos in peculio castrensi pro patribusfamilias haberi. *l.* 2. *ff. de SC. Macedon.* Idem postea receptum est in quasi castrensi.

Invitis obvenit] Quod objicit Accursius ex *l.* 19 §. 2. *ff. de donationibus*, nullo negotio solvi potest: aliud enim est *invito*, & aliud *nolenti*: *invitus* dicitur non tantum, qui expresse dissentit, sed etiam qui expresse non consentit. *l.* 8. §. 1 *ff. de procur.* *l.* 5. *ff. de servit. urb. praed.* & *nolens* est, qui aperte dissentit, aut certe re cognita ratum non habet, quod actum est: & hoc sensu recte dicitur, *invito beneficium non dari*, & *liberalitatem nolenti non acquiri.*

Non possidet] *Fructuarius* naturaliter quidem possidet, sed civiliter non possidet: id est, illa possessio non pro-

deſt ei ad uſucapionem, ut hic dicitur: ideoque dicitur ſimpliciter *non poſſidere*, ut in *l.* 1. *ff. de acquir. poſſ.*

I N T I T. X.

De Testamentis Ordinandis.

Teſtamentum] eſt juſta conteſtatio mentis, ſeu voluntatis de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit, *l.* 1. *ff. hoc tit.* Etymologia autem, quae hic traditur, negari non poteſt, quin ridicula ſit: & tales ſunt pleraeque omnes, quae a JConſultis ponuntur. Solent autem interpretes verboſisſime hoc loco disputare de argumento ab etymologia, valeatne, an minus: de quo non Doctores legum, ſed Dialectici conſulendi ſunt, qui vere tradunt, nullam esſe neceſſitatem argumenti a notione, neque ad ajendum, neque ad negandum: ad jocandum interdum aliquid valet, ut, cum Cicero jocatur in Verrem de ſervo furaci, cui Tullio nomen erat, dictum eſt merito vocari Tullium quaſi Tollium, quod tolleret omnia.

In uſu esſe deſiit] Temporibus Conſtantini Magni, qui primus ſuſtulit omnia, quorum imaginarius erat uſus, *l.* 15. *C. hoc tit.*

Septem teſtium] Idem teſtium numerus requirebatur in divortiis, *l.* 9. *ff. de divortiis.*

Uno eodemque &c.] Id eſt, ut paulo poſt dicitur, *uno contextu:* ita enim fieri debet teſtamentum, & vitiatur, ſi actus aliquis externus interjectus ſit.

Septem teſtibus adhibitis] Leo philoſophus Imperator *Novella conſtitutione* 43. ſtatuit, in omnium teſtamentis ſufficere quinque teſtes; in eorum, qui ruri & locis infrequentibus habitant, tres.

Conſtitut.] Falſa haec gloſſa: nam ſubſcriptiones teſtium in uſu erant multo ante tempora Juſtiniani, ut conſtat ex *l.* 22. §. 4. & ex *l. ult. ff. hoc tit.* Itaque quis Imperator hoc primum inſtituerit, ignoratur.

Per manum] Hoc poſtea ſublatum eſt *authent. & non obſervato. C. hoc tit.*

Cum quibus teſtamenti factio eſt] *Teſtamenti factio* duobus modis dicitur; active & paſſive: aut enim qui poteſt *teſtamentum facere*, aut qui ex alieno teſtamento capere, *teſtamenti factionem* habere dicitur: & hoc pe-

ile-

ſteriore modo accipienda hic eſt *teſtamenti factio*. Alioqui enim exceptio, ut vulgus loquitur, non esſet de regula, quod vitioſisſimum eſt.

Improbos inteſtabilesque] Verba ſunt ex leg. XII tab. quibus alicubi utitur Horatius in *Satyris*: mentio autem eſt eorum apud Gellium *cap.* 13. *lib.* 5. & *cap.* 7. *lib.* 6.

Adhibere] Adde, quod *teſtes* alterius rei causſa rogati ad teſtamentum non ſunt idonei, *l.* 21. §. 2. *ff. hoc tit.*

Secundum obtinentem] Nempe ut omnia exempla aeque ſignata & ſubſcripta ſint: alioqui non habetur fides exemplo, ſive archetypo, *l.* 2. *ff. de fide inſtrum.*

IN TIT. XII.

QUIBUS NON EST PERMISSUM FACERE TESTAMENTUM.

Permiſerint] Ratio, quam affert Accurſius, falſa eſt; communis enim eſt etiam donationi: verior autem eſt, quia *teſtamenti factio* publici, non privati juris eſt, *l.* 3. *ff. de teſtam.* Jus autem publicum privatorum pactis immutari non poteſt, *l.* 38. *ff. de pactis.* Ad pias tamen causſas, filiusfam. patre conſentiente, teſtari poteſt.

Nullum eorum animi] Antiquis temporibus pupillis Tribunis militum teſtamentum facere licebat: ſed id Juſtinianus ſuſtulit, *l. ult. C. de milit. teſtam.* Conſtantinus etiam pupillis coelibatum profitentibus indulſit teſtamenti factionem, ut teſtatur Sozom. & Niceph. Calliſt.

Teſtamento valente] Ita ut, ſi in illo dilucido intervallo rite teſtamentum fecerit, idque poſtea, ſuperveniente furore, laceraverit, valeat tamen, *l. ult. ff. de injuſt. rupt. & irr. fac. teſtam.*

IN TIT. XIII.

DE EXHEREDATIONE LIBERORUM.

Antiquitati] *Antiquitatem* hic accipere oportet, non legem XII. tabul. Illa enim nullum diſcrimen conſtituebat inter mares & feminas, ſed mediam jurisprudentiam, id eſt, interpretationem prudentum.

Ad certam portionem] Errat Accurſius: accreſcebat

enim suis quidem heredibus scriptis in partem virilem, extraneis autem in partem dimidiam totius hereditatis, ut constat ex Ulp. *tit.* 22. & ex Paulo *l.* 3. *Sentent. tit.* 4.

Nominatim] Idem traditur in *l.* 1. 2. & 3. *ff. de li. & posth.*

Non extet] Qui plures filios habet, si dixerit tantum, *filius exheres esto;* neque nominatim expresserit, quem velit exheredem esse, nemo exheredatus videtur: nam exheredationes non sunt adjuvandae, *l.* 19. *ff. de lib. & postum.*

Totum infirmatur] Ita ut ne legata quidem debeantur: neque quicquam valeat, quod in eo scriptum sit. Vulgo tamen putant, hoc correctum esse a Justiniano per authen. *ex caussa. C. de liber. praeter.* Sed falluntur: illic enim exheredatio quidem refertur ad patrem, aut avum, aut proavum paternum: praeteritio autem ad matrem, vel aviam, ceterasque similes personas, quarum praeteritio pro exheredatione habetur.

Provisum] Et inde vocantur *postumi Vellejani*, ut & ii, qui post testamentum vivo testatore nascuntur.

Promittit] Non potest quidem facere Praetor, ut qui heres est, esse desinat: neque ut, qui heres non est, fiat: sed scripto heredi aufert bonorum possessionem, & dat eam praeterito, idque contra tabulas testamenti. Is autem postea heres quidem non est, sed tamen in omnibus juris articulis heredis loco habetur.

In Tit. XIV.

De Heredibus Instituendis.

De heredibus instituendis] In materiae testamentariae tractatione, primum erat videre, quid esset *testamentum*, & quae ejus conficiendi ratio. id ergo expositum est *tit. de testam. ordin.* Sed quia ex illa ratione condendi testamenti, multa remittuntur militibus; iccirco secutus est *tit. de militari testam.* His expeditis videndum fuit, qui possent testamentum facere, & qui non possent: secutus est ergo *tit.* 12. *Quibus non est permiss. fac. testam.* Ex quo intelligitur, ceteris omnibus permissum esse. Jam qui testamentum facit, primo loco debet heredem instituere: nam illa est propria vis testamenti,

menti, cetera omnia sunt accessiones: necesse est autem, ut testator liberos habeat, aut non habeat, & si habeat, aut instituere eos, aut exheredare debet; si velit instituere, nulla est in eo difficultas: satis fuit igitur dicere, quomodo exheredandi essent, idque actum est tit. proximo: nunc dicendum est, quomodo is, qui aut liberos non habet, aut eos exheredaverit, alios heredes constituere debeat.

Cum libertate] Id est, facta expressa libertatis mentione: sed in alienis servis instituendis illud quoque requiritur, ut eorum servi sint, quos ipsos heredes instituere possimus, *l.* 31. *ff. hoc tit.* idque tribus temporibus spectatur, *l.* 49. *ff. eod.*

Nudam proprietatem] Nam usufructus non est pars dominii, *l.* 25. *ff. de verb. signif.*

Alio usumfructum habente] Sed nonne fiet injuria illi, qui usumfructum habebat? Respondeo, minime: nam etiam libero facto quodammodo utetur fruetur: & quicquid libertus ille ex operis suis, aut ex re fructuarii lucrabitur, ad fructuarium pertinebit, quod autem aliunde acquisiverit, sibi adquiret.

Servus autem alienus] Cum quis servum alienum vult heredem suum esse post mortem domini, duplici ratione dubitari potest, nunquid talis institutio valeat: primum quod heres neque ad certum tempus, neque a certo tempore institutus videtur. Sed dicendum est, hoc certum non esse, cum dies mortis omnibus incertus sit. Altera ratio est, quod incerta persona heres institui non potest: at incertum est, mortuo domino hujus servi, quis hujus dominus futurus sit. Sed hoc casu dicendum est, non vitiari institutionem; cum certa sit persona ejus, qui instituitur, quanquam incertum est, cui hereditatem acquisiturus sit.

Cum hereditariis servis] *Hereditarii servi* sunt, qui servi fuerant ejus, cujus hereditas adhuc jacet, neque a quoquam adita est. Est autem etiam cum talibus servis testamenti factio, quamvis incertum est, quis futurus sit eorum dominus: fortasse scripti heredes repudiabunt, aut hic, cui legati sunt, non agnoscet legatum. Est autem eadem illorum ratio, quae servi alieni, quem quis post mortem domini sibi heredem instituit. Idem igitur utrobique jus.

Sescunx] Nomen *sescunx* in hoc §. delendum est, quod ne Latinum quidem est. *Sescunciam* enim dicimus unciam semis, non *sescuncem*, *l.* 8. §. 8. *ff. de inoff. testam.* hic autem legendum est *uncia*.

Et si plures] Hoc casu fit *dupondius*, id est, hereditas dividitur in 24. uncias. Hujus autem rei sunt quidem & alia, sed maxime exemplum perspicuum in *l.* 87. *ff. hoc tit.*

Sine parte] Idem, si institutus in residuo. Sed quid? si ei quoque certa pars scripta fuerit? Dividetur hereditas in tot uncias, quot factae sunt a testatore, ut supra dictum est.

Ex certo tempore] Summa stultitia esset instituere eum heredem, quem constaret, nunquam fore heredem. Ut si quis instituatur, *cum morietur*, certo certius est, nunquam eum futurum heredem. At dicat aliquis, poterit hereditatem transmittere ad heredes suos? minime: nam hereditas non adita, transmitti non potest. Falsa est igitur opinio, quae tamen a plerisque Accursium secutis admittitur. Falso autem putant, eam confirmari per *l.* 9. *C. hoc tit.* quae & depravate legitur, & depravatius explicatur ab Interpretibus. De vero ejus sensu alibi dicemus.

Impossibilis conditio] Obtinuit, *impossibiles conditiones* testamento adscriptas pro nullis habendas *l.* 3. *ff. de condit. & dem.* Multo autem magis idem dicendum est, si positae sint in non faciendo. *l.* 30 §. 1. *ff. hoc tit.* & idem confirmatur in *l.* 1. 6. 9. 14. 15. *ff. de condition. instit.* Ex quibus illud etiam discimus, turpes & inhonestas conditiones pro impossibilibus haberi. Si tamen ipsa institutio contineat aliquid impossibile, vitiosa est, ut illa, *Si Titius heres erit, Maevius heres esto: Si Maevius heres erit, Titius heres esto. l.* 16. *ff. de condition. instit.* Hanc vulgo *perplexam conditionem* vocant. Duae tamen difficultates hoc loco objiciuntur; una de §. *ult. J. de leg.* Sed aliud est poenae nomine legare, aut heredem adjicere, ut illic dicitur: quo casu neque talis institutio, neque tale legatum valet: aliud institutioni aut legato adjicere conditionem impossibilem, quo casu conditio pro non scripta habetur. Altera difficultas est ex eo, quod dicitur, valere vulgo argumentum a contractibus ad ultimas voluntates, & contra: at in contractibus impossibilis conditio adjecta vitiat contractum, *l.* 7. *ff. de verb.* obli-

obligat. Ergo debet vitiare institutionem. Sed dicendum est, cum contractus fiant utriusque consensu, eum, qui quid ab alio stipulatur, sibi ipsi imputare debere, quod talem conditionem adjicere passus sit; at heredi aut legatario nihil tale imputari potest.

IN TIT. XV.

DE VULGARI SUBSTITUTIONE.

De vulgari substitutione] Quid est *substitutio*? est secundi ordinis institutio, *l.* 43. *ff. hoc tit.* sed nonne tertio & quarto gradu & deinceps licet substituere? fateor: sed semper is, qui succedit tanquam substitutus, secundus est ab eo, cui succedit. At videtur posse esse *substitutio* secundi heredis, ubi tamen non sit *substitutio*, ut ecce, si quis ita scribat in testamento: *Lucius & Maevius & Titius heredes sunto;* & secundus & tertius heres institutus est, & tamen nulla est *substitutio.* Ad hoc respondeo, hi omnes simul heredes sunt, at in *substitutionibus* gradus numerandi sunt ab ordine successionis. Quotuplex est *substitutio?* Vulgo faciunt sex genera: quamvis autem vere defendi potest, duo tantum esse *substitutionis* genera, tamen exponenda sunt ea, quae *substitutionum* in genere obtinent. Haec igitur *substitutionum* genera esse dicuntur, *vulgaris*, *pupillaris*, *exemplaris*, *compendiosa & breviloqua*, & *fideicommissaria. Vulgaris* est, qua quilibet cuilibet potest substituere. Quae est illius formula? *Titius heres esto, si Titius heres non est, Maevius heres esto.* Illud autem, *si heres non erit*, ita accipitur, si aut noluerit, aut non potuerit. Haec expirat statim adita hereditate, *l.* 5. *C. de impub. & alior. substit.* Quid est *pupillaris*? qua quis ei, quem in potestate habet, impuberi substituit, *si moriatur impubes.* Nam cum impubes testamentum facere non possit, permisit lex patri aut avo, ut cum testamentum sibi faceret, etiam filio nepotive, quem in potestate haberet, testamentum facere posset. Quae formula est substitutionis pupillaris? *Filius heres esto, si filius heres non erit, aut intra pupillarem aetatem decesserit, Maevius heres esto.* Non est necesse utrumque casum exprimere: nam in *substitutione pupillari expressa* intelligitur *tacita vulgaris;*

& qui vulgariter substituit pupillo, tacite videtur etiam pupillariter substituere. Itaque qui substituit pupillo suo, satis est, si in unum casum substituat. *l.* 4. *ff. de vulg. & pupilli substit.* Quando expirat *substitutio pupillaris*? Cum primum pupillus in tutelam suam pervenit. Haec sola sunt vera genera *substitutionum*. Itaque nullus titulus de aliis, neque in Codice, neque in Digestis reperitur. Sed ut patribus permissum est pupillis suis testamentum facere, quia ipsi, dum impuberes sunt, nullum animi judicium habent: ita permissum est ei, qui habet filium furiosum, aut mente captum, ut possit illi testamentum condere: eadem enim ratio subest, *l.* 9. *C. de impub. & alior. subst.* Hanc Doctores vocant *substitutionem exemplarem*, quod ad exemplum *pupillaris* recepta sit. Sed poterat vocari *pupillaris*. Sic autem tutela patronorum, quae recepta est ad exemplum legitimae tutelae parentum, ipsa quoque legitima vocatur. Quid est *substitutio compendiosa*? Multa in testando privilegia militibus concessa sunt, quorum unum est, ut possint substituere liberis suis, non tantum usque ad pubertatem, sed etiam usque ad quodlibet aliud tempus, etiam usque ad mortem: itaque nonnunquam ita testantur: *Filius heres esto, si filius intra* 30. *annos decedat, Titius heres esto.* Interdum compendio verborum utuntur hoc modo: *Quandocunque filius decesserit, Titius heres esto.* Et ex eo vocaverunt hanc *substitutionem compendiosam*, quae multo rectius vocaretur *militaris*. Sed haec non deberet poni ut genus diversum a ceteris substitutionibus: nec enim est ex jure civili, sed ex ceteris constitutionibus, ut cetera privilegia militum. Quam vocant *breviloquam substitutionem*? Cum plures coheredes substituuntur invicem, ut, *Titium, Maevium, Sempronium heredes instituo, eosque invicem substituo.* Sed haec rectius vocatur *reciproca*, neque tamen facit separatam speciem substitutionis: semper enim aut *vulgaris* est, aut *pupillaris*. Quid est *substitutio fideicommissaria*? Cum quis non verbis civilibus sive directis, sed precariis, petit ab herede, sive illius fidei mandat, ut hereditatem alicui restituat. Haec non est proprie *substitutio*, sed cum hac additione precaria aut fideicommissaria. Nam ille, cui ex fideicommisso restituitur hereditas, non propterea fit heres, etsi in omnibus articulis juris loco heredis habeatur.

Haec

Haec hodie omnium usitatissima est, nec frustra, cum omnium tutissima sit, neque tantum in testamento, sed in codicillis fieri possit.

Novissima loco] Potestne etiam servo substitui? & vix est, ut possit. Quomodo enim heres non esse potest, qui velit nolit heres esse cogitur? Sed tamen multis modis potest evenire, ut ne sit heres; quid enim? si praemoriatur domino? Quid? si aliqua ratione incapax fiat? Quid? si dominus eum post conditum testamentum alienaverit? Quid? si manumiserit. Itaque verius est, ei quoque substitui posse.

IN TIT. XVI.

DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

Sed eo amplius] Qui pupillo suo etiam in unum casum expresse substituit, tacite etiam in alterum substituère videtur, *l.* 4. *ff. hoc tit.* Idem testatur Cic. in *Bruto.*

Moribus] *Substitutio vulgaris* est ex *l.* XII. tabularum: *pupillaris moribus* recepta est.

Resipuerint] Aut etiam filios susceperint, argum. *l.* 43. *ff. hoc tit.*

Periculo insidiarum] Cupiditas enim consequendae hereditatis, saepe inducit ad insidias pupillo struendas: quo nomine quendam a Galba in crucem sublatum esse traditum est. Persius substitutos ait plerumque tale votum facere, *pupillumve utinam, quem proximus heres Impello, expungam:* Cic. pro *Cluentio* mulierem quamdam Milesiam, quod accepta a secundis heredibus pecunia, abortum sibi procurasset, rei capitalis damnatam esse narrat; & refertur in *l.* 39. *ff. de poenis.*

Et sibi] Merito repudiatur a ceteris Accursiana distinctio: neque enim ullo idoneo testimonio, neque ulla satis firma ratione nititur. Certum autem est, ordinem scripturae nihil obstare, quo minus valeat substitutio. Ulpianus autem in *l.* 2. § 4. *hoc tit.* plane pugnantia loqui videtur; quod quia credibile non est, non dubito, quin locus corruptus sit. Et Goveanus eum suo modo emendat: ego autem sic emendandum puto: *Prius autem sibi quis debet heredem scribere, deinde filio, & non convertere ordinem scripturae: & hoc Julianus putat.* Ceterum

etsi ante filio, deinde sibi testamentum faciat, valere: quae sententia rescripto Imperatoris nostri ad Virium Lupum Britanniae praesidem comprobata est.

Excesserint] Idem, si ipso die natali suo, aut etiam pridie sibi testamentum fecerint, ut recte hic notat Viglius.

IN TIT. XVII.

Quibus Modis Testamenta Infirmantur.

Quibus modis testamenta infirmantur] Sub hoc titulo agitur de vitiis *testamentorum*. Sunt autem tria, *injustum*, *ruptum*, & *irritum*. Quid est *injustum testamentum*? quod recte factum non est, sive in quo omissum est aliquid ex solemnibus juris. Quot modis rumpitur *testamentum*? Tribus, primo, agnatione sui heredis: secundo, quasi agnatione: tertio, alio testamento rite facto. Quomodo *irritum fit testamentum*? si testator patiatur capitis minutionem: aut si ex eo non adeatur hereditas. Confunduntur interdum haec vocabula.

Manente] In vulgatis libris Theophili legitur, *non manente*: sed negatio delenda est, etsi aliter Hotomanus.

Testatore] Si testator ipse capite minuatur, testamentum proprie non dicitur rumpi, sed *irritum fieri*, §. 4. *hoc tit.*

Si quis enim] Quid? si arrogetur is ipse, qui institutus fuerat? non rumpitur *l.* 18. *ff. de injust. rup. & ir. test. l.* 28. *ff. de lib. & postum.*

Filium] Aut alias heredem suum; ut si quis nepotem adoptet ex filio, & praemoriatur filius.

Posteriore quoque] Semper enim novissima voluntas testatoris servanda, *l.* 17. *C. de testam.* Interdum etiam per testamentum posterius imperfectum, rumpitur prius jure factum: nempe si in *priori testamento* instituti erant extranei, in secundo autem venientes ab intestato.

Ex eo autem solo] Quid? si testator testamenti tabulas dilaceret, si cancellet, si signa testium revellat, aut tale quid faciat? Dicendum est non valere: haec enim nuda voluntas non est.

IN TIT. XVIII.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

De inofficioso testamento] Superiore titulo dictum est, valere testamentum, dummodo in eo filii in potestate, vel postumi sui, aut instituti, aut nominatim exheredati essent. Sed quia evenire potest, ut injuste exheredentur, licet eis accusare testamenta tanquam inofficiosa, & petere hereditatem. Erant autem haec judicia antiquitus centumviralia; sed e centumviris eligebantur septem, qui de inofficioso cognoscerent; unde hoc judicium vocatur interdum septemvirale. Interdum autem hanc actionem vocant querelam, interdum accusationem, nonnumquam petitionem hereditatis

Parentes] Etiam matres, *l.* 5. *ff. hoc tit.*

Si nullo alio jure] Non datur ergo suis praeteritis: nam jure civili testamentum nullum est: non emancipatis praeteritis; nam Praetor dat eis possessionem bonorum contra tabulas.

Alio jure] Ut jure donationis, *l.* 8. §. 11. *l.* 10. *ff. h. tit.*

Quiescente] Quae tamen olim dabatur, *l.* 6. *C. hoc tit.*

Legitimae] *Legitima* debetur ab intestato: quarta *legitimae* ex testamento.

Si tutor nomine pupilli] Qui agnoscit legatum, non admittitur ad querelam: qui testamentum impugnat, nihil ex eo capit. Sed hoc fallit, cum quis suo nomine agnoscit, alieno impugnat, *l. penult. ff. hoc tit.*

IN TIT. XIX.

DE HEREDUM QUALITATE ET DIFFERENTIA.

Vivo quoque patre] Idem notatur in *l.* 11. *ff. de liber. & post.* Terentius: *Donec salvus redierit meus particeps.* Cic. *lib.* 3. *in Verrem*: *Quibuscum vivi bona nostra partimur.* Ideoque non dicuntur hereditatem percipere, sed adipisci liberam administrationem. *d. l.* 11. non heredes fieri, sed existere, *l. ult C. de curat. furios.* non repudiare hereditatem, sed abstinere beneficio Praetoris.

toris. Non ex ea furari, surripere, expilare, sed amovere, *l.* 71. §. 3. *ff. de acquir. hered.*

Sed sive] Vide *l.* 24. §. 2. *ff. de minor,* & *l. ult. C. de repud. vel abstin. hered.*

IN TIT. XX.

DE LEGATIS.

Donatio]. Itaque cum *donatio* nunquam possit esse damnosa donatario, fit, ut legatum quoque nunquam damnosum esse possit, *l.* 32. *ff. mandat.*

A defuncto relicta] Et propterea ea, quae legantur, recta via, ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transire dicuntur, *l.* 64. *ff. de furt.*

Ad herede praestanda] Nisi testator ipse vivus fecerit, ut in *l.* 22. *ff. de leg.* 2. & *l.* 11. *C. de legat.* Quid ergo, si legatarius id, quod sibi legatum est, suo jure occupaverit? cogitur restituere, *l.* 1. *ff. quod legator.* debet enim petere ab herede. Cum autem legata ab herede praestanda sint, si heres institutus hereditatem repudiet, legata evanescant. Quid? si creditor leget debitori id, quod sibi debebatur, quid praestabit heres? liberationem praestabit, ne eo nomine legatario molestus sit.

Genera quatuor] De his quatuor generibus legatorum, vide Ulpianum in *Fragm. titulo* 24.

Defecerit] Tres illi casus, qui ponuntur in fine glossae, quibus ait Accurs. deficere quidem, sed non accrescere collegatario, vere quidem ponuntur de jure Digestorum; sed hodie, quocunque modo deficiat legatum, collegatario accrescit. Vide Duaren. *lib.* 1. *de jure accrescendi cap.* 18.

Recte eum agere] Is, qui fundi alieni sibi legati, antequam dies legati cederet, consecutus est quidem proprietatem ex caussa onerosa, usumfructum autem ex caussa lucrativa, potestne petere fundum, id est, plenam proprietatem (plena autem proprietas vocatur cum usufructu) ab herede ejus, a quo fundus sibi legatus est? Et Julianus ait, jure peti posse. Nam de proprietate quidem nulla dubitatio est, quin possit legatarius petere id, quod sibi abest, id est, pretium, sive aestimationem. In usufructu plus difficultatis est; cum enim eum habeat, & qui-

& quidem ex caussa lucrativa, videtur eum petere non posse. Sed Julianus ait, in petitione legatarii usumfructum considerari ut servitutem, & sic legatarius dicere potest, se illum non habere, cum res sua nemini serviat: ideoque rigore juris recte petit plenum dominium sibi dari: sed ex aequitate judex hoc ita temperabit, ut jubeat ei tantum restitui, quanti nudam proprietatem mercatus est.

Plus valet] Regulariter verum est, minorem esse vim veritatis, quam opinionis: sed *opinio* tamen interdum impedit, ne id, quod agitur, valeat: ut si quis putet se necessarium heredem, cum sit voluntarius: quam diu ita opinatur, non potest repudiare hereditatem. Etenim opinio ipsius jure potentior non esse debet. Jure autem constitutum est, ut necessarii non possint repudiare.

Utile esse] Quod opponitur ex *l.* 82. *ff. de leg.* 2. nullo modo solvi potest. Plane enim super ea re Paulus a Papiniano dissentiebat. Sententiam Papiniani habet *l.* 5. *ff. ad. L. Falcidiam.*

Idem est, si fundus] Non est idem *legare fundum instructum*, & *fundum cum instrumento;* sed multo amplius *legare fundum instructum*, ut aperte constat ex *l.* 12. §. 27. *ff. de instruct. vel. instrum. legat.* Aliud etiam est *legare fundum & instrumentum.* Quanquam Labeo in *l.* 5. *ff. eod. tit.* putat inter haec tria nihil interesse. Sed merito in ea re a Paulo reprehenditur, qui ait, legato fundo cum instrumento, si testator ipse fundum alienaverit, nihil legatum esse, ex ceteris scripturis instrumentum peti posse: idemque tradit idem Paulus in *l.* 1. *ff. eod.* Sed Paulus ipse sibimet pugnat. Nam in *d. l.* 1. ait; sive cum instrumento fundus legatus sit, sive instructus, duo legata intelligi: quo posito sequitur, etiam si fundus alienatus sit, instrumentum peti posse. Nam argumentatur ipsemet Paulus in *l.* 3. *ff. de pecul. leg.* At in *d. l.* 5. ait, hoc casu nihil legatum videri. Hos Pauli locos inter se posse conciliari, non puto.

Si peculium legatum fuerit] Cum libertas in testamento relinquitur servo, hic servus liber fieri non potest, nisi adita hereditate; oportet enim eum ab herede manumitti. Ergo si libertas ei relicta sit cum peculio, quicquid ipse ante aditam hereditatem, quacunque ex caussa acquisierit, peculio accrescet, & totum illud secum au-

fe-

feret, una cum libertate. At si quis mihi servi sui peculium legaverit, quia dies illius legati cedit statim mortuo testatore, iccirco intelligitur testator illud tantum peculium mihi legasse, quod haberet is servus, cum ipse moritur. Si quid igitur ante aditam hereditatem acquisierit, distinguendum est. Nam aut acquisiit ex re peculiari, & tunc meum erit hoc quoque; aut aliunde, ut puta industria sua, aut donatione ipsi facta: & hoc casu quod ita quaesitum est, non meum est, sed heredis, qui est dominus ipsius.

Non transmittebat] Contra in *l.* 19. *ff. de optione legat.* sed fatendum est, ex illa lege detractam esse negationem a Triboniano.

Incertis vero personis] Hac de re vide Ulpian. in *Fragm. tit.* 21. Extat & vestigium juris antiqui in *l.* 24. *C. de Episc. & Cler.*

Uxor esse non potest] Ut si sit in utero Latinae, aut peregrinae, aut adoptatae. Testamenti enim factio non est, nisi cum civibus. Etenim, cum quibus connubium non est, cum eis nec testamenti quidem factio est.

Conditionaliter] Interdum quae demonstratio videri posset, conditio est: ut decem, quae Titio debes, lego Sejo, demonstratio est. At Sejo lego decem, quae mihi Titius debet, conditio est, *l.* 75. *de leg.* 1. Idem traditur in *l.* 33. 34. *ff. de conditionibus & dem. l.* 27. 28. *ff. de auro & arg. leg.* & hoc, si addatur rei legatae: sin personae, distinguendum est: interdum enim nocet, ut *l.* 4. *C. de heredib. inst.* nisi testator falsum esse sciat, *l.* 58. *ff. de hered. instit.* interdum non nocet, ut in exemplis hic positis.

Inutiliter] Quia non potest legari heredi a se *l.* 18. *l.* 126. *D. de leg.* 1. At qui legat servo, legare videtur domino, *l.* 31. *ff. de hered. instit.*

IN TIT. XXI.

DE ADEMPTIONE ET TRANSLATIONE LEGATORUM.

Sive contrariis] Olim ita erat. Antiquitus enim non valebat *ademptio*, nisi contrariis verbis facta, ut constat ex Ulp. *tit.* 24. Ratio autem antiqui juris haec erat, quia

quia verba verbis demum resolvuntur, quae inter se congruunt, *l.* 14. *ff. de acceptil.*

IN TIT. XXII.

DE LEGE FALCIDIA.

Lex Furia] non permittebat, quemquam ex alieno testamento plus mille asses legati nomine capere, praeter quasdam personas. Ulpian. *tit.* 1. & *tit.* 28.

Lex Voconia] Hujus erant haec praecipua capita, ne quis census virginem, mulieremve heredem faceret. Cic. in *Verr.* Ascon. Livius *lib.* 41. Permittebatur autem mulieri capere 25 millia nummorum: is erat quadrans censae hereditatis. Dio *lib.* 56. ne ultra consanguineos feminae ab intestato succederent. Paul. *lib.* 3. *Sentent.* ne quis *legatarius* plus acciperet quam heres. Cic. in *Verr.* Hujus legis meminit Augustin. *lib.* 3. *de Civit. Dei.*

IN TIT. XXIII.

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBUS.

Consulibus] Hi Consules ordinarii non fuerunt, sed suffecti: ideoque eorum nulla in fastis est mentio: quae res imposuit Ausonio, ita ut in gratiarum actione scripserit, divitem quidem Senecam, sed Consulem non fuisse.

Stipulationes] De his ita Ulpian. *tit.* 25. *Partis autem & pro parte stipulationes proprie dicuntur, quae de lucro & damno communicando solent interponi inter heredem & legatarium partiarium, id est, cum quo partitus est heres.*

Non valeant] Quaerit Accursius, quo jure non *valeant legata*, nisi in testamento legata: & dicendum est, veteri jure, ut constat ex definitione legati. Nec obstat *l.* 1. *ff. de l.* 1. Illic enim cum locutus esset Ulpianus de eo discrimine, quod antiquitus fuerat inter legata & fideicommissa in retentione quartae, aut, ut alii, de interdicto, *Quod legatorum*, ita concluserat disputationem, ut diceret, hac in re per omnia exaequata esse legata fideicommissis, hoc Tribonianus ita mutilum, & decurtatum ex-

excerpsit, & in lib. 1. retulit, ut jus vetus cum eo, quod postea Justinianus statuerat, concordaret.

IN TIT. XXIV.

DE SINGULIS REBUS PER FIDEICOMMISSUM RELICTIS.

Non posse] Ne hodie quidem potest legari ab alio, quam ab herede, si legandi verbo proprie utamur. Sed tamen verum est, si quid per fideicommissum, sive ab herede, sive a legatario relictum sit, id non minus firmum esse iis, quae proprie legata dicuntur: & haec sententia est *l.* 2. *C. commun. de legat.*

Recepit] Nam si recepit, etiam minus cogitur vendere, *l.* 6. *C. de fideicom libert. l.* 36. *ff. ad l. Falcid.* Legatarius autem rogatus manumittere, si legatum agnovit, omnino cogitur, *l.* 23. *ff. de fideicomm. libert.*

IN TIT. XXV.

DE CODICILLIS.

Papinianus] Hanc Papiniani sententiam pulchre exposuit Plinius *lib.* 2. *epist.* 16.

IN LIBRUM TERTIUM.

IN TIT. I.

DE HEREDITATIBUS QUAE AB INTESTATO DEFERUNTUR.

Nuptialia instrumenta] Quaeri solet, an in hoc casu necesse sit adhibere scripturam tabellionis publici, & dotem aliquam constitui, ut filii prius nati legitimi fiant, & ut matrimonium valeat. Et Pileus quidem utrumque necessario requiri putabat. Accursius instrumentum quidem publicum, & dotem, ut liberi legitimi fiant; sed sine eis tamen matrimonium valere: idque putat probari ex novella de triente & semisse. Ego neutrum requiri ar-

arbitror; sed verba illius novellae male intellecta, erroris occasionem dederunt.

Ex Sabiniano SCto] Hujus SCti prope nomen solum relictum est. Quantum tamen ex Theophilo conjici potest, videtur haec illius sententia fuisse. Qui unum tantum aut duos filios habebant, si eos in adoptionem dare, & domo quodammodo ejicere voluissent, non satis humane facere videbantur. At qui tres aut plures habebant, si exonerare se vellent, & in aliquam locupletem familiam unum ex eis dare in animum inducerent, videbantur id facere benevolentia adducti, ut liberos opulentiores relinquerent: praecipue autem cum multa privilegia tribuerentur iis, qui tres liberos habebant. Si quis igitur e tribus filiis masculis unum in adoptionem dedisset, cum se multis commodis privaret, aequum erat aliqua ratione succurri. *Sabiniano* igitur SCto cautum erat, ut ei, qui ex tribus maribus adoptatus esset, is, in cujus potestatem adoptatione venisset, non minus quam quartam partem hereditatis suae relinqueret. At Justinianus, qui filiumfam. ab extraneo adoptatum, in patris naturalis potestate nihilominus manere voluit, omnem auctoritatem illi SCto abrogavit.

IN TIT. II.

DE LEGITIMA AGNATORUM SUCCESSIONE.

Improprie] Omnino *improprie* legendum est. Nam adoptio non affert jus sanguinis, sed agnatio tantum, *l.* 33. *ff. de adoption.*

IN TIT. III.

DE SENATUSCONSULTO TERTULLIANO.

Tristi] Vocatur & *luctuosa*, *l. ult. C. de instit. & substit.*

Trium liberorum jus] Vide Paulum *lib.* 3. *sent. tit.* 9.

IN TIT. IV.

DE SENATUSCONSULTO ORPHITIANO.

Constitutionibus Principalibus] De quibus dictum est supra, §. *ult. de hered. quae ab int. defer.* & *l.* 4. *C. Theod. de legit. hered.*

IN TIT. V.

DE SUCCESSIONE COGNATORUM.

Cum aliqua deminutione] Ut singuli, qui manserunt in potestate, duplo plus habeant, singulis emancipatis; sed hoc a Justiniano sublatum est.

IN TIT. VI.

DE GRADIBUS COGNATIONIS.

De gradibus cognationis] In jure civili facilis & expedita est dinumerandorum graduum ratio; ut enim ait Justinianus, *unaquaeque persona generata gradum* adjicit. Sed in jure Canonico paulo difficilior reddita, imo potius obscurata: quae tamen paucissimis verbis ita concludi potest *In ascendentibus & descendentibus*, utrumque jus concordat. In iis, quae sunt *ad latus*, jure Canonico tenendae sunt hae regulae. Cum de duorum inter ipsos *cognatione* quaeritur, aut aeque distant a communi stipite, aut alter propior est, aut remotior. Si aeque distant, quot gradibus distant ab illo, totidem inter se distare videntur: ob idque fratres & sorores inter se, sunt in primo gradu; quoniam a communi stipite patre & matre, aeque omnes uno gradu distant: fratrum & sororum filii, qui jure civili sunt in quarto gradu, jure Canonico sunt in secundo; duobus enim gradibus distant. Sin alter remotior sit, quot gradibus distat remotior a stipite communi, totidem gradibus eos inter se distare dicimus, ut quoniam ab avo meo disto duobus gradibus, iccirco avi mei filius, id est, patruus meus, est mihi in secundo gradu; sed & filius ipsius mecum est in eodem gradu: nam ipse aeque mecum a communi stipite duobus gradibus di-

distat: nepos autem patrui mei, erit mihi in tertio gradu, & sic in ceteris citra quintum gradum. Et quidem numeratis gradibus secundum canones, matrimonium, nisi permissu pontificis, contrahi non potest. Quoties potestas contrahendi matrimonii petitur inter eos, qui non aequaliter distant a communi stipite, non satis est, dicere in libello supplici, eos inter se esse in hoc aut illo gradu; sed etiam exprimendum, quoto gradu uterque distet a communi stipite. Legatus Pontificis habens potestatem dispensandi in III & IV. non potest dispensare inter duos, qui sunt in III. *Affinitas est* conjunctio, quae ex matrimonio contrahitur inter virum & cognatos uxoris, aut inter uxorem & cognatos viri. Jure civili *affinitas* non contrahitur, nisi per matrimonium; at jure canonico per quamlibet commixtionem maris & feminae. Non contrahitur autem *affinitas* inter ipsos coëuntes: nam si hoc esset, non possent matrimonio conjungi post copulam carnalem; sed inter marem & cognatos feminae, & contra *gradus affinitatis* sumuntur ex *gradibus cognationis.* Ex causa, quia frater est mihi in primo gradu, quamcunque mulierem frater meus cognoverit, ea est mihi affinis in primo gradu, quam patruus, in secundo, ut & quam consobrinus: at ea, quam consobrini filius, in III. In quinto gradu *affinitatis* libere contrahitur matrimonium: dum ne inter eos, qui obtinent inter se locum ascendentium & descendentium: citerius non potest, nisi obtenta venia summi Pontificis.

Illud certum est] Non est titulus per se, neque debet separari, cum pars tantum sit tituli, *de gradibus cognationum.*

IN TIT. IX.

DE BONORUM POSSESSIONIBUS.

De bonorum possessionibus] Dictum est de heredibus tum ex testamento, tum ab intestato. Sequitur, ut dicatur de *bonorum possessionibus*. Quod enim est hereditas jure civili, hoc ipsum est *bonorum possessio* jure praetorio: & in omnibus juris articulis *bonorum possessor* pro *herede* habetur, ita ut prope solo nomine differre videantur.

Alienus postumus] *Alienus postumus* dicitur, quicun-

que suus heres testatori, si natus fuisset, quo tempore factum est testamentum, *l. 29. ff. de lib. & postum.*

Non poterat] Cur non poterat? an quod id jure civili prohibitum esset? minime. Nam si hoc esset, ne *bonorum possessio* quidem ei daretur, *l. 12. ff. eod.* sed ideo non poterat, quia lex non dederat ei nominatim jus hereditatis adeundae. Praetores igitur suppleverunt id, quod legi deerat.

Honorario tamen jure] *L. 3. ff. de bonor. possess. sec. tab.*

Sunt autem bonorum possessiones] *Bonorum possessio* duplex est; ex testamento, & ab intestato. Ex testamento, quae datur, cum factum est testamentum, & ea quoque duplex, contra tabulas, & secundum tabulas. Contra tabulas, quam Praetor dat emancipatis a testatore praeteritis: & vocatur *contra tabulas*, quia non datur secundum heredem scriptum, sed directe contra ipsas tabulas testamenti: ideoque vocant eam etiam contra lignum, *l. 19. ff. hoc tit.* Priore autem loco agitur de bonorum possessione contra tabulas: quoniam quamdiu est aliquis, qui potest contra tabulas petere, nunquam datur secundum tabulas, quae datur heredibus rite scriptis. Ab intestato autem sunt octo, de quibus ordine hic agitur.

Quinto, tum quem ex familia] Legendum est, *tanquam ita ex familia*, atque intelligendum, quinto loco vocari eos, qui essent ex familia ipsius liberti: exempli caussa, uxorem, quae in manum ejus convenisset, & filium adoptivum: hi enim una cum patrono in semissem succedebant.

Viro & uxori] Hoc intelligendum est de iis tantum *uxoribus*, quae usu tantum habebantur: nam hae non succedebant ab intestato.

Incuriosum] Id est, *neglectum*; sic & Tacit. *lib. 2. an.*

Ut sex tantummodo] Conturbare aliquem potest, quod in *l. 1. ff. quis ordo in poss. serv.* Enumerantur enim tantum quatuor gradus ab intestato, iidem plane & eodem ordine, quo hic ab Imp. enumerantur. Sed sciendum est, legem illam interpolatam fuisse, & ad jus, quod a Justiniano constitutum fuerat, accommodatam.

IN TIT. XII.

De Successionibus Sublatis, quae Fiebant per Bonorum Venditionem, et ex Senatus-consulto Claudiano.

Per multas ambages] Cum enim oporteret unum aliquem bonorum emptorem constitui, si quis reperiebatur, qui idonee caveret de solido creditoribus solvendo, hic anteponebatur & cognatis, & extraneis, eadem bona emere volentibus. Sin creditores parati erant cum emptore decidere de parte ejus, quod sibi debebatur, cognati, affines, clientes, liberti anteponebantur extraneis.

Judicia ordinaria] *Judicia ordinaria* hoc quidem loco vocat judicia, quae exercebantur antiquo ritu, & antiquis formulis, quae postea omnes a Justiniano sublatae sunt: dictumque ex eo, *omnia judicia facta extraordinaria.*

Ex SCto Claudiano] Hujus SCti sententiam exponit Tacitus *lib.* 12. cujus verba ex vulg. ita corrigenda sunt: *Statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute, si consensisset, pro liberta haberetur.*

IN TIT. XIV.

Quibus Modis Re Contrahitur Obligatio.

Condictio] Quamvis condictionis nomen generale est ad omnes actiones in personam: specialiter tamen dicitur de actione, quae oritur ex mutuo, quae vocatur *condictio.*

IN TIT. XV.

De Verborum obligatione.

De verborum obligatione] *Verborum obligatio* contrahitur stipulatione. Est autem stipulatio verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturumve se, quod interrogatus est, respondet, *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Stipulationum exempla multa sunt apud Plautum, & Varronem *de rustica re.* Quaeri solet, sitne stipu-

latio contractus per se, an adhibeatur tantum ad alios contractus confirmandos? & dicendum est, utrumque esse. Nam & per se obligationem parit, & ad alios contractus confirmandos utiliter adhibetur. Cum autem contractuum quidam sint unilateri, quidam bilateri, stipulatio ex priore genere est; solus enim promissor obligatur. Scribebantur interdum stipulationes, cujus rei exemplum est apud Plaut. in *Milit.* & in *l.* 7. §. 12. *ff. de pactis.* in *l.* 18. *ff. de acceptil. l.* 40. *ff. de reb. cred.* Non est autem idem stipulatio, & *verborum obligatio;* sed *verborum obligatio* stipulatione contrahitur. Nonnunquam etiam *verborum obligatio* sine stipulatione contrahitur, ut datione dotis, de qua Ulpian. *in fragm. tit.* 6. *de dotibus.*

Condictio] Tam stultum est quaerere, sitne aliqua *condictio certi* generalis separata a specialibus, quam quaerere, sitne quoddam separatum ab animalibus ceteris. Sed quod ait Accursius, *condictionem* triticariam dari, sive certum, sive incertum petatur, falsum est; nunquam enim datur, nisi cum petitur id, cujus aestimatio in dubium vocari potest.

Utrum autem Latina, an Graeca] Quae juris civilis sunt, *Latina* tantum *lingua* fieri possunt. Stipulatio autem est cautio quaedam juris civilis, *l.* 1. §. *penult. ff. de de contrah. empt. l.* 5. *ff. locat.* ideoque videbatur *Latina* tantum *lingua* fieri posse, ut antiquitus, ante constitutionem Theodosii, *Latine* tantum fieri poterat testamentum, saltem jure Romano. Sed quia stipulatio ad confirmandos omnes contractus juris gentium, qui qualibet lingua fieri possunt, iccirco placuit, eam quoque qualibet lingua fieri posse.

Omnis stipulatio] Eadem varietas obligationum exponitur in *l.* 10. *ff. de verb. signific.*

Confestim] Nam in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur, *l.* 14. *ff. de regul. jur.*

In diem] *Dies* in obligatione duobus modis accipitur; aut enim ex die debetur, aut usque ad diem. *Ex die*, ut si quis promittat decem Kal. Mart. Et tunc debetur quidem statim, sed nondum peti potest usque ad *diem.* ut hoc modo, dum vivet Cicero, huic quotidie dare spondes? & tunc quoque illo mortuo durat obligatio.

tio. Nam juris civilis regula est, neminem posse obligari ad tempus; sed si quis ex ea agat, repelletur exceptione pacti, *l.* 44. *ff. de oblig. & action.*

IN TIT. XVI.

DE DUOBUS REIS STIPULANDI ET PROMITTENDI.

De duobus reis] *Rei*, auctore Cicerone, dicuntur omnes, quorum res agitur. Itaque & *stipulandi*, & *promittendi*, & *credendi*, & *debendi*, & *satisdandi* & *satis accipiendi reos* dicimus. Usitatius tamen vocamus *reum*, qui convenitur convenirive potest. Quod autem hic tit. concipitur de duobus *reis*, eadem omnino intelligenda sunt de quamlibet multis.

Hodie contra] Falso putat Accursius, quod hic dicitur, jure Authenticarum correctum esse. Nam novellae illae constitutiones loquuntur tantum de iis, quorum uterque pro altero fidejussit, quibus Justinianus tribuit beneficium D. Adriani: contra id quod dixerat Papinianus in *l.* 11. *D. h. t.*

IN TIT. XVIII.

DE DIVISIONE STIPULATIONUM.

De divisione stipulationum] Hic titulus totus sumptus est ex *l.* 5. *D. de verb. oblig.* & ex *l.* 5. *D. de stipulat. Praetor.* Significat autem, *stipulationes* quasdam esse, quas judex interponi jubet, etiamsi promissor forte nolit: quasdam, quae ex Praetoris edicto interponuntur: quasdam quae modo Praetoris, modo judicis jussu, quasdam conventionales, quae ineuntur consensu partium.

De dolo cautio] Quae exigitur interdum in actione in rem, *l.* 10. *ff. de rei vindic.* aut in actione ob metum, *l.* 9. §. 5 7. *ff. quod metus caussa.*

Quae a mero Praetoris] Id est, quae ex edicto Praetoris necessario interponuntur.

Damni infecti] *Damnum infectum* est, quod nondum factum est, sed ne fiat timetur.

Aedilitiae] Ut stipulatio de evictione, ex qua datur actio in duplum; ut actio redhibitoria.

In Tit. XIX.

De Inutilibus Stipulationibus.

Si quis alium] Nemo, alienum factum promittens, obligatur, *l.* 38. & *l.* 83. *ff. de verb. oblig. l.* 65. *ff. de fidejussor.*

Obligari possunt] Filiusfamilias in sex casibus obligatur. I. Si res, super qua contractum est, reducta sit, aut in peculium ipsius, aut in patrimonium ejus, cujus in potestate erat, & postea hic exheredatus sit. II. Si se abstinuerit ab ejus hereditate. III. Si emancipatus. IV. Si citra emancipationem sui juris factus est. V. Si eo in alienam familiam dato, pater naturalis decesserit. VI. Si ex minima parte sit institutus: quolibet enim illorum casuum convenitur in id tantum, quod facere potest, non in solidum.

Mutum] Quid? si quis cum antea didicisset literas, postea casu aliquo surdus mutusve factus sit, poteritne scripto stipulari? & dicendum est, posse eum quidem aliis modis & obligare & obligari: stipulari autem non posse. Omnino enim stipulatio verba, auditum, intellectum, praesentiam requirit.

Item verborum] Cum tamen ceteri omnes contractus fieri possint inter absentes, *l.* 35. §. *ult. ff. de verb. obligat.*

In Tit. XX.

De Fidejussoribus.

De fidejussoribus] Cum de stipulationibus proxime dixerit, subjicit de *fidejussoribus*; quoniam *fidejussio* est quaedam stipulatio.

Divi Hadriani] Id est, Antonini Pii, qui & ipse *Hadrianus* vocatur. Falso autem putant & Cujac. & Hotom. illam epistolam etiam edicto Praetoris comprehensam, ex verbis Pauli *l.* 1. *Sentent. tit.* 20. Ibi enim legendum est, *ex Epist. D. Pii*, non ut vulgo, *ex edicto Praetoris*: scriptum enim erat ex E. D. P.

Obligatur] Mihi prior Accursii opinio magis probatur: nam ut si stipulanti decem, spondeas viginti, valet stipulatio, saltem in decem: ita si pro eo, qui debet centum,

tum, fidei tuae jubeas ducenta, obligaris saltem in centum. Nec obstat *l.* 8. Haec enim dicit, *fidejussorem non omnino* obligari, id est, non in omne id, quod promittit: & sic Duar. exponit *l.* 5. *ff. de verb. oblig.*

IN TIT. XXI.

DE LITERARUM OBLIGATIONE.

De literarum obligatione] De hoc genere *obligationis*, quae fiebat *nominibus*, nihil est in Pandectis, nec in Cod. propterea quod in usu esse desiit: hodie tamen in usum revocata videtur, cum quotidie & credi & solvi pecuniam videamus per scripturam argentariorum.

Principalibus constitutionib.] Imo habemus *l. unic. C. Theod. si certum pet. chirographis.* & *l. unic. C. Hermogenian. de cauta, non numerata pecunia.*

IN TIT. XXIV.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

De locatione & conductione] *Locare* est certa mercede aliquid utendum aut faciendum dare: *Conducere* aliquid utendum faciendumve accipere.

Actio praescriptis verbis datur] Quoties negotium aliquod ita gestum est, ut aequum sit, ex eo actionem dari; neque tamen ejus actionis nomen jure proditum est, *praescribuntur* verba ipsius conventionis, & ex eis datur actio, quae vocatur *praescriptis verbis*. Quod autem hic dicitur de *fullone & sarcinatore*, confirmatur etiam in *l.* 22. *ff. de praescr. verbis.*

IN TIT. XXV.

DE SOCIETATE.

Aequales scilicet partes] Ita videlicet, si aequales quoque partes contulerint; sin minus, pro rata portione.

Contra sensit] Mucius scripserat talem pactionem, *ut lucri aliam partem socius ferat, aliam damni, injustam esse, nec ratam habendam.* Servius illam Mucii senten-

tiam vidit dupliciter accipi posse: uno modo ita, ut si ex eadem societate & damnum & lucrum proveniret; aliam damni partem, aliam lucri unus ex sociis ferat, & hoc sensu dixit, illam pactionem esse impossibilem & inexplicabilem: neque enim potest eadem societas & damnosa & lucrosa esse, cum una summa omnium colligatur, & detracta omni expensa, omnique damno, id, quod superest, lucrum vocetur; contraque si quid deest ex toto illo, quod collatum est a sociis, damnum. Itaque illo sensu ridicula fuerit Mucii contentio, cum id ponat, quod fieri non potest. Sed recipit etiam aliam interpretationem, nempe hanc. Si convenerit inter socios in societate coëunda, ut si quid lucri fiat, ejus duae tertiae partes ad unum pertineant, alter autem, etiam si tantumdem contulerit, reliqua tertia contentus sit, sin contra fiat aliquid damni, cujus damni is ipse, qui lucri duas partes laturus erat, tertiam tantum ferat: &, si ita intellexit Mucius, falso dixit, *hanc pactionem esse iniquam, neque ratam esse debere.* Quae sententia ipsius priore modo accepta ridicula est, posteriore falsa.

IN TIT. XXVII.

DE OBLIGATIONIBUS QUASI EX CONTRACTU.

Quod veteres quidam] Ut Paul. *l. 1. sentent. tit.* 19.

IN TIT. XXIX.

QUIBUS MODIS OBLIGATIO TOLLITUR.

Sed etiam reus] Imo vero solvente *fidejussore*, non omnino liberatur reus; cogendus est enim creditor actiones in debitorem suas fidejussori cedere, & ita reus manet fidejussori obligatus; sed non creditori, *l.* 28. *D. mandati. l.* 95. §. 10. *D. de solutionib.*

In LIBRUM QUARTUM.

In TIT. I.

De obligationibus quae ex delicto nascuntur.

Contrectatio] Interdum *furtum* fit etiam fine *contrectatione*, saltem ejus rei, quae sit ejus, cui *furtum* fit, ut in *l.* 52. §. 21. 23. *ff. de furt.*

Fraudulosa] Scil. lucri faciendi caussa; nam si quis alia de caussa faciat, non tenetur furti, *l.* 29. *ff. eod.*

Vel ipsius rei] Glossa ad hunc locum falsa est; nunquam enim *furto* quisquam dominus fit.

Quod lege naturali] Quomodo igitur permissa erant *furta* apud Lacedaemonios, cum jus naturale peraeque apud omnes homines valeat? Respondeo, non effici vitiosa alicujus gentis consuetudine, ut ea, quae natura turpia sunt, talia esse desinant; non magis, quam amara sint, quae febricitantibus amara videntur: neque filiorum commixtiones cum matribus, aut fratrum cum sororibus ideo turpes non sunt, quod apud Persas usitatae erant ac permissae. Qua in re dum nimis ingeniosus videri vult, foede lapsus est Alciatus in *l.* 42. *ff. de verb. signif.*

Interdum etiam liberorum] Mater subrepti filii *furti actionem* non habet, *l.* 38. *ff. de furt.* vindicatur autem non simpliciter, sed hoc adjecto, *ex jure Romano*, *l.* 1. *ff. de rei vindic.*

Non tenetur furti] Hoc intelligendum est, si hortatio ipsius effectum non habuerit, neque factum sequutum sit, ut constat ex *l.* 53. *ff. de verbor. signific.*

Unde constat] Si res pignori data creditori, subrepta est a debitore, quamvis debitor idoneus sit, quia tamen plus cautionis est in rem quam in personam, creditor aget in eam furti: & quamvis poenam consequatur, illa tamen non computabitur in creditum. Si ab extraneo subrepta sit, aut intervenit culpa aliqua creditoris, aut nulla. Si intervenit, quia dominus solvit id, quod debet, potest reposcere pignus suum a creditore, aut ejus aestimatione, aut compensatione uti, aut etiam petere, quanti pluris fuerit pignus: icirco actio furti datur ipsi creditori; neque enim saepe expediret ipsi domi-

no, omisso creditore persequi furem: cum fures plerumque fugitivi & egentes esse soleant. Si sine ulla culpa creditoris subreptum est, hoc casu creditoris nihil interest. Sed quid? si, exempli caussa, centum aureos tibi mutuo dederim, acceptis a te pignori decem annulis, qui singuli decem aureis aestimati erunt, & unus aut alter culpa mea mihi subtractus est, egoque detecto fure, duplum ab eo consecutus sim, puta XX. aut XL. aureos, debeone id lucrari, an in partem debiti computare? Quis autem dixerit culpam meam mihi lucrosam esse debere? Detractis igitur praemiis judicii, & sumptibus, si qui necessario facti sunt in fure persequendo, reliquum in partem debiti imputabitur.

Quia expedit] Plus enim cautionis est in rem, quam in personam, *l.* 25. *ff. de reg. jur.* Sed si poenam aut dupli aut quadrupli a fure consequatur? poena illa imputabitur in partem crediti, nisi debitor ipse pignus surripuerit, *l.* 22. *ff. de pignor. action. l.* 79. *ff. de furt.*

Item si fullo] Quanquam omnes vulgo putant, aliud juris esse in his, quam illis, de quibus §. seq. dicetur; ego tamen non dubito, quin si statim a principio dominus eos liberare velit actione locati, malitque persequi furem, hoc ei permittendum erit. Sed si cum jam aestimationem rei suae ab ipso perceperit: postea fure detecto, velit praeterea consequi poenam, non audietur: illis enim dabitur actio furti, quorum interest eam recuperari. Et ut, si eam tantum recuperaverint, neque quicquam praeterea ob ejus egestatem extorquere potuerint, non teneantur eam rem domino reddere, cujus jam aestimationem solverunt: ita, si quid poenae nomine consecuti fuerint, nullam ejus partem ei, cui jam satisfactum est, conferre cogentur.

Et si in partem] Nam solvendo esse non dicitur, nisi qui potest solidum solvere, *l* 114. *ff. de verb. signific.*

Quae de fullone] Si *res commodata* sine culpa *commodatarii* perit, *commodatarius* non tenetur: ideoque si fur detectus sit, actio furti adversus eum datur domino: sin *commodatarius* in culpa fuit; aut certum est, quis eam furatus sit, aut incognitum, & si fur notus sit, aut habet unde solvat, aut non habet. Si autem ignotus est, aut talis est, ut ab eo nihil abradi possit, cum ipse *commodatarius* solvendo sit, quis non videt, magis expedire

do.

domino consequi aestimationem rei suae sine sumptu & molestia, quam investigare furem, quem forte cum deprehenderit, nihil ab eo extorquere poterit? Dabitur igitur ei *actio commodati*, qua consequetur suum: ipsi autem *commodatario actio furti:* ex qua si quid consequatur, lucri faciet. At si constet de fure, & ejusmodi sit fur, ut dominus eum persequi malit; hoc casu, dummodo liberet *commodatarium*, & sic efficiat, ut sua tantum, non *commodatarii* intersit, ipsi domino dabitur actio furti. Quae de commodatario diximus, eadem omnia ad *depositarium*, qui culpam suscepit, transferenda sunt.

Furti actio sive dupli] Generale est, *actionem furti* dari ei, cujus interest rem subreptam non esse, sive dominus sit, sive non: per eam autem non petitur res, neque aestimatio rei, sed tantum poena, id est, duplum jure civili indistincte; jure autem praetorio pro furto manifesto quadruplum intra annum, post annum vero simplum. Res autem ablata si extat, vindicatur: si non extat, odio tamen furis, & condici, & agi ad exhibendum potest.

IN TIT. II.

DE BONIS VI RAPTIS.

De vi bonorum raptorum] Quaeri potest, cur additum sit *vi*, cum ipsum *rapiendi* verbum vim significare videatur? Sed sciendum est, duplicem esse *vim*, *publicam*, & *privatam*. *Publica* est cum armis: *privata* sine armis. Qui ergo cum armis *vim* facit, tenetur lege Julia de *vi publica*, qui sine armis, lege Julia *privata*. Sed illae leges tantum statuunt, quae poena sumenda sit de eo, qui *vim* adhibuit, suntque illa *judicia publica*. Ast si per *vim* alicujus bona rapta sint, statuit Praetor hac parte edicti, quantum solvendum sit ei, cujus bona rapta sunt; estque hoc judicium privatum. I. Sed quomodo potest esse *raptor non manifestus*? II. Quae caussa est, cur *fur manifestus* gravius, quam *raptor* puniatur. III. Quomodo conciliandi sunt inter se Paulus & Papinianus? Ille enim *l.* 1. *ff. hoc tit.* ait, *raptorem* furti non manifesti teneri: at Papinianus in *l.* 80. §. 3. *ff. de furti* ait, raptorem manifestum furem existimandum? IV. Quae caus-

sa est, cur actio de *vi bonorum raptorum* in quadruplum annua sit, post annum sit tantum simpli: actio autem furti sit perpetua? Ad primam quaestionem respondeo. Si quis hominibus armatis aut inermibus coactis, aut etiam cum uno, & interpretatione legis etiam solus, per *vim*, ut effractis foribus, convulsis repagulis, in alienas aedes ingressus sit, & aliquid inde rapuerit, neque a quoquam deprehensus sit, sed postea ex rebus apud eum deprehensis, aut indicio alicujus conscioum constiterit eum rapuisse, *raptor* quidem est, sed non manifestus, *l.* 52. *ff. de furt.* quae lex in vulgatis libris est 53. in Florent. autem est §. *ultim. l.* 53. Sed melior videtur distinctio vulgatorum. Existimo autem *l.* illam ita legendam: *Si quis ex domo, in qua nemo erat, rapuerit, convenietur furti non manifesti, videlicet si nemo deprehenderit tollentem.* Ad quaestionem 2. respondeo. Non est verum mitius agi in *raptorem*, quam in furem manifestum: nam fur manifestus, ubi quadruplum exsolvit, non amplius tenetur: at *raptor*, etsi poenae nomine solvit tantum triplum, multo tamen duriori conditione est; tenetur enim etiam post poenam solutam aut lege Julia de vi publica, cujus poena capitalis est. *l.* 10. & 11. *ff. ad l. Jul. de vi pub.* aut saltem lege Julia de vi privata, cujus poena est infamia, & amissio tertiae partis bonorum, *l.* 3. & *ult. ff. ad leg. Jul. de vi privata.* Ad tertiam quaestionem respondeo. Papinianus ait, *raptorem* esse manifestum, id est, ita manifeste furem esse, ut ne ipse quidem inficiari possit. Quod & verum est: non tamen ait eum teneri poena furti manifesti; aliis enim gravioribus, ut dictum est, punietur. Ad quartam quaestionem respondeo. *Actio furti* descendit ex leg. 12. tabul. saltem in duplum: ideoque perpetua est: at actio furti manifesti in quadruplum, & actio *de vi bonorum raptorum* praetoriae sunt, ideoque annuae.

Qui res] Adversus *raptorem*, non tantum agi potest *vi bonorum raptorum*, sed etiam *furti*. Sed quaero, utrum manifesti? Respondeo, liberum esse laeso, utro modo velit agere, quod semper intelligitur, dummodo probari possit, rem raptam esse. Dices; quis erit tam fatuus, ut non semper potius agat manifesti, quam nec manifesti. Etenim si manifesti egerit, consumpta est omnis actio, & cum quadruplum erit consecutus, nihil amplius

plius

plus agere poterit. At si egerit nec manifesti, poterit postea agere vi bonorum raptorum, in id quod plus est: & is qui damnatus est tanquam raptor, hoc ipso potest accusari, & condemnari lege Julia de vi: atque ita gravius punitur, quam qui esset fur manifestus.

IN TIT. III.

DE LEGE AQUILIA.

Alienum hominem] Quid? si suum, sed oppigneratum, aut in quo usumfructum quis habebat, aut quem bona fide possidebat? tenetur actione in factum, *l.* 17. *ff. h. t.* Quid? si communem? tenetur *Lege Aquilia* pro parte, *l.* 19. & 20. *ff. eod.* Quid? si heres occiderit legatum? sufficit actio ex testamento.

IN TIT. IV.

DE INJURIIS.

Generaliter injuria dicitur] Primum docet, quot modis accipiatur nomen *injuriae*. Accipitur autem quatuor modis: Primo latissime, & significat quicquid non jure fit: & hoc modo furtum, rapina, adulterium, caedes, & similes *injuriae* nomine continentur. Sed hoc tit. non tam late accipitur. Secundo significat *culpam*: ut cum in lege Aquilia dicitur damnum *injuria* datum. Tertio significat *iniquitatem* seu *injustitiam*: ut cum dicimus, *injuriam* factam a judice esse ei, adversus quem judicavit: & ne ii quidem modi pertinent ad hunc titulum. Postremo *injuria* significat contumeliam, quae fit aut dicto, aut scripto, aut facto: & ita hic accipitur. Definitur autem a Cornif. in *lib. ad Heren. Injuria est, quae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut turpitudine vitam alicujus violat.* A qua definitione non abhorrent Jurisconsulti.

Pronunciat] *Injuriam* quidem facit judex, cum sciens injuste judicat; sed errat tamen, qui putat hoc nomine cum eo agi posse *injuriarum*: prodita est enim alia actio. Non obstat *l.* 32. *ff. hoc tit.* quae hoc tantum dicit, ne magistratibus quidem licere cuiquam contumeliam dicere,

cere, aut facere, & dari in eos quoque *actionem injuriarum*.

Viri illustres] *Illustrium* gradus numerantur in *l.* 2. *C. ut dignitat. ord. serv. lib.* 12. Supra *illustres* autem sunt *patricii*, id est, *patres* Principis, Consules, & Praefecti urbis.

IN TIT. V.

DE OBLIGATIONIBUS QUAE QUASI EX DELICTO NASCUNTUR.

Litem suam fecerit] Ex *l. ult. ff. de var. & extraord. cognit.* & ex *l.* 5. §. 4. *D. de oblig. & act.* Quando autem dicatur *judex litem suam facere*, disce tum ex illis *ll.* tum ex *l.* 15. *D. de judiciis.* Poena autem judicis, qui dolo malo injuste judicat, quae sit, cognosce ex *l. ult. C. de poena judicis, qui male judic.* In authenticis autem, illa de judicibus verba, nihil praeter juramentum continentia, quae tantum torquent interpretes, ita erant e Graeco vertenda: *Nihil effecturum esse illud jusjurandum, sed perinde irritam fore sententiam, ac si juratum non esset.* Adde: qui accepta pecunia male judicat, tenetur etiam repetundarum, *l.* 3. & 4. *ff. de leg. Julia repetund.*

IN TIT. VI.

DE ACTIONIBUS.

De actionibus] *Actionis* nomine significari quicquid ab hominibus agitur, nemini ignotum est. Sed de illa hujus vocis significatione disserere, hominum est otio abutentium. Constat enim, actionem hic vocari, qua quisque in judicio experitur, ut ex definitione magis intelligitur. Multa hic quaeri solent. Primum, a quo jure ortae sint actiones, gentium, an civili? Secundum, verene dicitur, obligationem esse matrem actionis? Tertium, num idem sit caussa & actio? Quartum, idemne sit lis, controversia, judicium, actio? de quibus omnibus breviter est agendum. *Actionum* aequitas naturalis est, & juris gentium. Nulla enim gens est, apud quam non liceat id, quod

quod sibi debetur, aut suum est, per judicem petere. Sed unaquaeque gens habet suas formulas agendi: ita quodammodo dici potest, actiones ortas esse ex jure gentium, & quodammodo ex civili. Nam semper *actio* ex obligatione nascitur. Cum enim sua res nemini obligata esse possit, vindicatio ex obligatione nasci non videtur: nisi quis dicat, eum, qui rem meam possidet, obligatum esse ad cedendum mihi ejus possessionem. Sed certe verius & simplicius est, ex obligatione oriri tantum *actionem personalem*, non etiam esse vindicationem. Aliud constat esse litem, & aliud *actionem*. Caussa autem in judicio, & lis, aut idem, aut prope idem sunt. Dico autem, prope idem; quia caussam civilem & criminalem dicimus, litem criminalem non dicimus: sed utcumque sit, constat idem non esse caussam & actionem. Constat enim aliud esse judicium, & aliud actionem. Sed tamen in quibusdam loquendi generibus haec omnia nomina pro eodem accipiuntur, ut movere litem, aut intendere litem, controversiam, actionem, judicium, pro eodem accipiuntur. Sed & Praetor cum dicit, *judicium dabo*; & cum dicit, *actionem dabo*, idem dicere videtur: non tamen dubium est; quin horum nominum non sit eadem significatio.

Actio autem] *Actionis* nomen aliquando *generaliter* accipitur; ita ut complectatur, *actionem* in rem, in personam, persecutionem, interdictum, praejudicium, *l.* 37. *ff. de oblig. & action.* Interdum angustius: ita ut complectatur tantum actionem in rem, & actionem in personam, & distinguatur a ceteris; interdum personalem tantum, ut in *l.* 138. *ff. de verb. signif. l.* 28. *ff. de oblig. & actionib.* interdum accusationem, ut in *l.* 1. & *l.* 3. *ff. stellionatus.* Sic actio inofficiosi, interdum accusatio dicitur; interdum significat formulam, quomodo hic homines eruditissimi accipiunt; a quibus tamen dissentio. Certe enim *actio* significat agendi facultatem jure permissam; ut loquitur Ulp. in *l.* 1. *ff. de eo quod cert. loc* Sed definitio, quae hic traditur, si proprie loqui velimus, complectitur proprie actiones in personam; res enim sua nemini deberi potest.

Judicio] Actiones in jure dantur, in *judicio* exercentur: in jure, id est, apud Praetorem; in judicio, id est, apud judices datos. Si quis hanc definitionem velit com-

nomen facere actionis in rem & in personam, ita dicet, *persequendi quod suum est, vel quod sibi debetur.*

Arbitrosve] Arbitrorum duo genera sunt, dati & compromissarii. Dantur a Praetore in judiciis bonae fidei: & eorum sententia est efficax; sunt enim judices, nisi quod judices proprie dicuntur in judiciis stricti juris; *arbitri* autem in judiciis bonae fidei. *Compromissarii* sunt, in quos ab ipsis litigantibus *compromissum* est: eorum enim sententiae nemo stare compellitur; sed tantum poena, si qua compromisso addita est, peti potest: hic autem intelligendi sunt arbitri dati a Praetore.

Vel ex contractu] Et tunc certa species contractus nominatim exprimenda est, *l.* 1. *ff. de edendo. l.* 1. C. *de litis contest.*

Vel ex maleficio] Vel ex quasi contractu, vel ex quasi maleficio. Interdum tamen dantur actiones personales etiam adversus eum, qui neque ex contractu, nec ex maleficio, & quasi obligatus est, ut actio ad exhibendum, & condictio sine caussa, *l.* 3. *ff. ad exhibend. l.* 3. *ff. de cond. sine causs.*

Dare] Quid igitur dicemus in actione commodati, aut depositi. *Dare* enim est accipientis facere §. 14. *J. hoc tit. l.* 13. *ff. de reg. jur.* Sed dicendum est, *dare* interdum nihil esse aliud, quam tradere, ut in *l.* 44. *ff. de cond. & demonstr.*

Et aliis quibusdam modis] Interdum enim dantur actiones personales quidem, sed in rem scriptae: quae interdum etiam dantur adversus eum, qui neque ex contractu & quasi, nec ex maleficio & quasi obligatus est. Talis est actio quod metus caussa, & actio de dolo malo. Ita hunc locum explicat Cujac. ad *l.* 9. §. 8. *ff. quod met. causs.*

Nullo jure] Ut si quis emerit rem meam bona fide, aut a fure, aut ab eo, cui fur vendiderat: ipse quidem mihi nullo modo obligatus est: sed tamen licebit mihi, & ab eo, ab alio quolibet possessore rem meam vindicare.

Possideat quis] Recte possideat: nam qui vult petitorio agere, inprimis rogare debet adversarium, an possideat, *l.* 36. *ff. de rei vindic.* alioqui nullum esset judicium, *l. unic.* C. *de alien. jud. mut. causs. fac.* reus autem si mendacii convincatur, statim amittit possessionem,

nem, etsi actor non probet rem suam esse, *l. ult. ff. de rei vindic.* Idemque de eo, qui dolo desiit possidere: ita duntaxat, si prima possessio vitiosa fuerit. *l. 4. ff. de vi & vi arm.*

Dominum se esse dicat] Item, etsi hoc non dicat: neque possessoris est, probare se *dominum* esse, sed ejus, qui rem ab eo vindicat.

Aeque si agat quis] Docuit, pro rebus corporalibus dari vindicationem: nunc docet, eam etiam pro incorporalibus dari, ut pro servitutibus, quae tamen non proprie vindicatio est, sed quasi vindicatio. Servitutes, ut supra dictum est, constituuntur pactionibus, & stipulationibus, aut testamento. Cum igitur ex omnibus istis caussis dentur actiones personales, non reales, cur hic dicitur in rem agi ob servitutem? Respondeo, obligatione servitutem nostram non fieri; sed eum, qui illam constituit, ad tradendum vel patiendum obligari, *l. 3. ff. de obligat. & act.* cum traditionibus & usucapionibus, non nudis pactis rerum dominia transferantur, *l. 20. C. de pactis.* Acquiruntur ergo servitutes traditione, vel patientia, *l. 11. §. 1. ff. de Publiciana actione.* Ideoque ob servitutem constitutam quidem, sed nondum acquisitam datur actio personalis: at ob servitutem jam adquisitam datur realis, non in eum modo, qui eam constituit; sed adversus quemlibet possessorem.

Altius aedes suas tollendi] Aedes plane liberas, id est, quae neque serviunt, neque servierunt, potest quis arbitratu suo altius tollere, *l. 9. ff. de servit. urb. praed.* liberae autem praesumuntur, nisi de earum servitute doceatur, *l. 8. C de servit. & aqua.* Eas autem, quae servierunt, remissa servitute, ita tollere licet, ut antiqua forma servetur, *l. 11. & l. 20. ff. de servit. urban. praed.*

Projiciendi] Quid sint *projecta*, & quid intersit inter projecta & immissa, nosces ex *l. 222. ff. de verb. signif.*

Nam in his agit, qui non possidet] In rebus corporalibus numquam datur vindicatio possidenti, sed adversus possidentem. Nam possidenti satis est sua possessio, *l. 1. §. 6. ff. uti possidetis.* At in rebus incorporalibus etiam possidenti datur vindicatio, ut statim docetur.

Sane uno casu] Legendum est sine dubitatione, *in uno ca-*

casu; & intellige eum ipsum casum, qui paulo ante expositus est: nempe cum libertatem fundi sui vindicat is ipse, qui est in quasi possessione illius, *l.* 6. §. 1. *ff. si servitus vind.* ubi pro *eum*, legendum est *eumdem.*

Quibusdam & aliis] Ut adversus eos, qui propter magistratum in jus vocari non poterant, aut qui corrupto judice effecerant, ne secum agi posset, aut ob ferias indictas, *l.* 26. §. 9. *ff. ex quib. causs. maj.*

Item si quis in fraudem] Notandum est, hunc §. pertinere tantum ad actionem Paulianam, non autem ad Fabianam, neque ad Calvisianam: quo posito, multae difficultates tolluntur. Id autem ex eo constat, quod de creditoribus tantum loquitur, non etiam de patronis. Tam *Fabiana*, quam *Calvisiana* dantur soli patrono. *Fabiana* quidem, si libertus testatus sit; *Calvisiana* autem, si intestatus decesserit, *l.* 3. §. 3. *ff. si quid in fraud. patr. & l.* 2. *C. eod.* Est autem earum utraque in personam, *l.* 1. §. 26. *ff. eod.* At *Pauliana* est in rem, ut ex ordine, quem Imperator sequitur, & ex Theophilo constat.

Hypothecaria] *Pignoratitia & hypothecaria actio* usitate dicitur ea, per quam debitor, offerens id quod debet, repetit pignus suum. Quodsi creditor sumptus aliquos necessario fecerit in rem sibi oppigneratam, ipse etiam ad repetendos eos habet contrariam pignoratitiam. Sed hic *hypothecaria*, aut etiam *pignoratitia Serviana* vocatur, qua locator agit adversus locatorem, pro jure pignoris vel hypothecae, quod habet in rebus illatis vel conductis. *l.* 3. §. 3. *ff. ad exhibendum.*

De rebus coloni] Theophilus ait nominatim in *rebus rusticis* id fieri; & idem traditur in *l.* 4. *ff. in quib. causs. pig. vel hypoth.* At in praediis urbanis ipso jure sine ulla conventione obligantur invecta: caussa discriminis, quod in rusticis nata tacite obligantur, *l.* 7. *ff. eod. tit. l.* 61. §. 8. *ff. de furtis.* Iis satis cavetur domino; at in urbanis, quia nil nascitur, tacite obligantur invecta.

Nihil interest]. Posterior pars glossae ad *h. loc.* plane falsa est, neque quicquam verius est, quam eum, qui pignoris aut hypothecae aliquid acceperit, nullo unquam tempore id usu posse capere: neque enim potest bona fide possidere pro suo, id quod necessario in usucapione re-

requiritur: leges autem, quae hic citantur, hoc tantum dicunt, eum, qui in re quapiam habet jus pignoris vel hypothecae, si ipso vidente, sciente, tacente, ea res justo titulo in alium translata sit, qui quidem in debitoris locum non successerit, & ab eo per longum aut longissimum tempus possessa sit, amittere actionem pignoratitiam, sive hypothecariam, & repelli praescriptione, id est, exceptione longi temporis; sed tamen actionem personalem adversus debitorem ejusve heredem illi salvam manere.

In personam quoque actiones] Ingreditur nunc explicare *actiones personales* praetorias, quae hujusmodi sunt: actio de pecunia constituta, actio de peculio, actio ex jurejurando, & aliae.

Cui similes videbantur &c.] *Constituere* se aliquid facturum, & recipere idem sunt. Itaque non immerito inter actionem receptitiam, & actionem de *pecunia constituta* magna dicitur fuisse similitudo. Sed hoc differebant, quia receptitia dabatur adversus solos argentarios, qui se aliquid aliorum nomine soluturos receperant. *Actio* de *constituta pecunia* dabatur pro quacunque re: receptitia pro iis tantum rebus, in quibus consistit mutuum. At Justinianus, quod erat amplius in receptitia, transtulit in hanc de *pecunia constituta*, & receptitiam sustulit. Constitutio autem, qua receptitia sublata est, non extat, sed mentio ejus fit in *l.* 2. *C. de constit. pec.*

Nulla stipulatione] Nominatim expressum est a Praetore, ut hoc casu detur actio ex nudo etiam pacto. Regula enim, quae dicit, ex nudo pacto nunquam dari actionem, semper vera est, nisi in iis casibus, in quibus, ut ex nudo pacto detur actio, specialiter aut lege, aut edicto, aut constitutione aliqua comprehensum est.

Accommodat] Hoc verbo significatur actio non directa, sed utilis, *l.* 29. *ff. de jurejur.*

Poenales quoque actiones] Ex actionibus personalibus praetoriis, quaedam sunt poenales, quarum hic exempla ponuntur. *Poenalis* autem actio est, per quam actor potest consequi id, quod sibi non abest, aut reus damnari in id, quod sibi non adest.

Ex albo] *Album Praetoris* duplicis generis erat: unum, in quo scribebatur id, quod ad perpetuam jurisdictionem pertinebat: alterum, in quo quoad singulas caussas: il-

lud qui corruperat, damnabatur poena 50 aureorum; &, si plures erant, a singulis solida poena exigebatur. Edictum rei privatae qui corrumpebat, puniebatur poena arbitraria.

In jus vocasset] Hoc vero constitutum erat, quoniam in *vocatione in jus* vis quaedam adhibebatur; & qui neque sequebantur, neque vades dabant, obtorto collo trahebantur, ut ex Horatio, Plauto, Terentio constat.

In rem esse videntur] *Praejudiciales actiones* sunt tres; una, qua quaeritur, libertus sit, an non sit. Altera, qua liber sit, an servus? Tertia, qua filius sit, an non? Quanquam autem sunt personales, tamen videntur esse in rem, propter formulam verborum, qua concipiuntur. Ceteroqui distinguuntur ab actionibus in rem *l.* 1. §. 2. *ff. de rei vindic.* Sed, ut dixi, formula proxime accedit ad formulam vindicationis. Nam qui vindicat, dicit, *Ego te filium, aut servum, aut libertum meum esse ajo.* In iis autem caussis, quis sit actor, aut quis sit reus, cognosces ex *l.* 14. *ff. de probation.* & ex *l.* 12. *ff. de exception.* & *l.* 7. §. *ult. ff. de liber. caussa.*

Fere una illa] Haec enim sola descendit ex leg. XII. tab. Sed cur additum est *fere?* ita saepe ponitur tantum ornatus caussa Cicero: *Aetates vestrae nihil, aut non fere multum differunt.* Terentius: *Fere in diebus paucis, in quibus haec acta sunt, Chrysis vicina moritur.* Sic etiam nonnunquam ponitur, *admodum.* Cicero: *Curio enim nihil admodum literarum sciebat.*

Quaedam actiones mixtam] Tres actiones, quae hic proponuntur, mixtae quodammodo videntur esse, id est, & in rem, & in personam Actiones enim in rem dantur domino adversus possidentem In iis autem judiciis omnes pro parte possident, omnes pro parte domini sunt. Itaque par videtur omnium caussa, *l.* 13. *ff. de jud.* re vera tamen sunt in personam, licet pro vindicatione rei sint, *l.* 1. *ff. fin. regund.*

Actionum autem] In actionibus bonae fidei non petitur certum praecise, sed quantum ex bona fide praestari oporteret. Itaque totum judicis arbitrio permittitur. Quare Q. Scaevola dicebat, magni judicis esse de iis cognoscere: & Cicero, *magnum in iis esse usum Jurisconsulto:* veniunt enim non tantum ea, quae lingua nuncupata sunt, sed & quae postulat aequitas ex caussa.

sa. Quamvis in deposito nihil convenerit nominatim de usuris; si tamen depositarius pecuniam suae fidei creditam, suo tempore non reddiderit, & dolo malo diutius eam retinuerit, quam convenerat, a tempore morae current etiam usurae, *l.* 24. *ff. depositi.* Sic & in actione negotiorum gestorum, *l.* 6. § *ult. ff. de neg. gest.* Cum in contractibus stricti juris non debeantur, nisi a tempore litis contestatae; & in contractibus bonae fidei spectatur potius quid actum sit, quam quid dictum *l.* 6. §. 1. *ff. de contrah. empt. & vendit.* Cum in contractibus stricti juris ea tantum spectentur, quae lingua nuncupata sunt; at in contractibus bonae videi veniunt ea, quae sunt moris, quamvis expressa non sint. *l.* 31. §. 20. *ff. de Aedili. edic.* at in stipulatione secus, *l.* 99 *ff. de verbor. oblig.* Judicis itaque potestas in judiciis bonae fidei multo major est, quam in aliis, *l.* 7. *ff. de dolo malo.*

Communi dividundo] Cur omittit actionem finium regundorum? quia constat non esse bonae fidei; cum in ea non veniant fructus, nisi post litem contestatam. *l.* 4. §. 2 *ff. fin. regund.*

Praeferri autem] Regulariter creditor, qui prior est tempore, praefertur, *l.* 2. *l.* 7. *l.* 8. *C. qui potior. in pig. habeant.* Sed haec regula fallit in tribus casibus: in muliere agente de dote: in eo qui mutuam dedit pecuniam, expresse ad eam rem faciendam aut reficiendam, *l.* 5. 6. *ff. eod. tit.* In eo cujus numis empta militia est, dummodo hoc expressum sit, *d. l.* 5. *l.* 7. *ff. eod.* Mulier ergo anteponitur omnibus creditoribus non privilegiatis indistincte, sive tacitam hypothecam habeant, sive expressam. Cum privilegiato autem si agat, si quidem de donatione propter nuptias, cedet ei, ut utatur jure communi. Sin de dote, habebitur inter eos ratio prioritatis, *l.* 2. *C. de privil. fisci. l.* 9. *C. de jur. dot.* & *Novell. constit.* 97. Fiscus non habet hoc privilegium, ut anteponatur anterioribus creditoribus; sed hoc tantum, quod mulier cum ceteris etiam anterioribus anteponatur adversus fiscum: si fiscus anterior sit, non utitur hoc privilegio. Unde si fingamus, tres esse creditores Maevii, Titium, qui duobus ceteris anterior sit, & fiscum, & uxorem agentem de dote repetenda, ita ut Titius sit anterior fisco, fiscus autem anterior uxore: uxor, quae, si cum solo fisco contenderet, vince-

retur, hoc casu superior futura est; nam Titius anteponitur fisco ut anterior, mulier autem, cui privilegium suum adversus fiscum non prodesset, uteretur eo adversus Titium, & sic utrique illorum anteponeretur.

M. A. MURETI NOTAE

AD TIT. D. DE MILITAR. TESTAMENT.

AD LEG. I.

Liberam] Solutam ab iis solemnibus, quae in paganorum testamentis requiruntur.

Temporalis] Quam diu in hac vel illa expeditione morarentur.

Mandatis] Mandata & constitutiones hoc differunt. Constitutiones ad omnes pertinent, & publice proponuntur: mandata specialiter dantur ituris in provincias.

Militia] Quidam ex Festo hic legunt *mollitia*, ut dictum sit per antiphrasin pro duritia, quod ridiculum videtur: legendum autem, *malitia*. ita enim vocabant vexationem & durum rerum statum, Graecorum more, qui κακοῦν dicunt vexare; & κακότης, durum & miserum vitae statum.

Ductum] Haec omnia usque ad vocem *quasi* puto redundare & delenda esse: nam neque ullam idoneam sententiam contineat; & nomini *militis* communi nihil faciunt.

AD LEG. II.

Singularia] Contra rationem juris: ideoque non producuntur ad consequentias, *l. 14. ff. de leg. & SConsult.*

AD LEG. III.

Pomponius dubitat] Videbatur enim *miles* privilegio militari uti noluisse.

Quisquam] Lego, *quisnam*.

AD LEG. IV.

Multum] Ineptit Accursius, cum putat accipiendum de eo, qui naturalis sit: nam ne admitteretur quidem ad militandum; &, si tales essent idonei ad militiam, non acciperent caussariam missionem.

Caussariam] Secus, si post missionem testamentum faceret.

In numeris] Id est, in ordinibus.

AD LEG. V.

Etiam his qui heredes] Quod paganis non licet; nam illi non possunt dare heredem heredibus suis, eisque testamentum condere, praeterquam filiis impuberibus, quos in potestate habent: idque ea conditione, si impuberes decesserint, quae *pupillaris substitutio* vocatur. At *militibus*, ut alia, sic hoc quoque contra regulas juris permissum est.

In his duntaxat] Neque enim substituere possunt in his, quae heres aliunde habet.

AD LEG. VI.

Intestatus] Itaque residuum ad proximos agnatos pertinebit: at ita institutus a pagano, haberetur pro instituto ex asse.

Miles enim] Aliud in pagano, quem jus nostrum non patitur & testatum & intestatum decessisse, *l. 7. ff de reg. jur.* in hoc tamen privilegium militare ad veteranos non porrigitur, *l. 13. ff. hoc. tit.*

AD LEG. VII.

Vel non fuit praegnans] Eo scilicet tempore, quo testamentum condebatur, sed tamen postea praegnans facta est, & vir ipsius vel in expeditione decessit, vel intra annum missionis.

Non rumpitur] Aliud in pagano, a quo nisi venter vel institutus, vel nominatim exheredatus fu[illegible], [illegible]pitur testamentum.

AD LEG. VIII.

Adrogaverit] Secus in pagano: etenim adrogatione, quasi agnatione sui heredis testamentum rumpetur.

In locum filii] Puta filium, qui in potestate erat,

mortuum esse, quo casu nepos ex illo succedit in locum patris, & efficitur avo heres suus.

AD LEG. IX.

Si hoc maluit miles] Dummodo constet, eum hoc maluisse: quomodo autem constet, habes in *l.* 20. in *fin. ff. h. tit.* alioqui enim ad jus commune pertinet, *l.* 25. *ff. eod. tit.*

AD LEG. X.

Hostium potitus] Id est, ab hostibus captus. Plaut. Captivis: *Nam postquam meus gnatus est potitus hostium.*

AD LEG. XI.

Ex militari delicto] Quae sint *militaria delicta*, disce ex *l.* 2. & *l. ff. de re militar.*

Si non sacramenti fides rupta sit] Id est, si non fuerit proditor, aut transfuga; tales enim pro hostibus, non pro militibus habentur: idem, si secreta hostibus nunciaverint, *l.* 7. 7. *ff. de re mil.*

Sed sola castrensia] Nam de illis solis cogitabat, cum testamentum conderet: & sic decedet pro parte testatus, pro parte intestatus.

AD LEG. XII.

Haberent] In aliis *habent*; ita enim legit Accurs. Ego autem legendum puto, *apparent:* id est, quorum ipsi manifesto sciant, se dominos esse.

Scriptis] Supple *heredibus*.

AD LEG. XIII.

Sed si jam veteranus decesserit] *Veterani* enim, cum amplius non militent, non possunt pro parte testari, & pro parte intestati decedere.

Testamenti factionem] Passive accipiendum est.

In[illegible]iatur] Ut si forte a Principe ei indultum fuerit.

Convalescere] Quia regula Catoniana cessat in testamento militis: de qua regula vide *lib.* 34 *Digest. tit.* 7. Sed dicet aliquis, nihil hic praecipuum tribui militi; cum regula Catoniana ad legata tantum pertineat, non etiam ad hereditates, *l.* 3. *ff. de reg. Caton.* Respondeo, Catonianam regulam non pertinere quidem ad insti-

institutiones conditionales, sed ad puras pertinere, ut ex *l.* 4. *eod. tit.* in illa autem *l.* 3. assentior Cujacio, qui legit non *ad hereditates*, sed *ad libertates.*

Quem liberum esse credidisset] Aliud, si scivisset, eum suum servum esse: tunc enim etiam jure communi videretur, eum ut liberum & heredem esse noluisse.

Voluisse] Aliud est in pagano: sed miles inter cetera hoc quoque praecipuum habet, quod nuda voluntate pot. est hereditatem dare & adimere, *l.* 15. §. 1. *ff. hoc tit.*

AD LEG. XIV.

Nihil novi statuendum] Id est, communi jure utendum, ita ut res redeat ad caussam intestati. Nam si voluisset testator, poterat aliud testamentum condere, cum sciret ex eo, quod ante fecerat, nullum fore.

Nova voluntate] Sic & infra in *l.* 34. & *l.* 35. *hoc tit.*

AD LEG. XV.

Si militis voluntas] Id est, nisi constet contrariam illius voluntatem fuisse. Sola enim voluntate contraria potest adimere hereditatem: oportet tamen aliquid subsecutum esse, quo ejus voluntas indicetur, ut dictum est in *lib.* 9.

Si quis se scribat] Lex Cornelia, quae vocatur de falsis, alio nomine dicitur testamentaria; pertinet enim proprie ad testamenta: in eam autem committebant etiam, qui sibi adscribebant in testamento, & in eosdem constituta erat poena SConsulto Liboniano. Vide *tit. C. de iis qui sibi adscrib. in testam.*

Tametsi sibi non fecerit] Cum tamen paganus non possit filio, quem in potestate habet, testamentum facere; nisi faciat etiam sibi.

Bonorum possessione] Tempora quaedam definita sunt iis, quibus Praetor defert bonorum possessionem: intra quae si eam non agnoverint, non possunt eam amplius postulare. Est autem usitatum centum dierum: quod tamen ex caussa a Praetore prorogari potest. Quaeritur ergo, num in testamento militum, aliquid in hac repraecipuum sit? & ait JConsultus, hac quidem in parte nihil eis praeter jus commune tribui.

ad Leg. XVII.

Per praeceptionem] Quid sit *per praeceptionem legare*, cognosces ex Ulpiano in *fragm. tit.* 24.

Aut defendere] De sententia convenit mihi cum ceteris, de genere verborum ambigo: nam solvere totam hereditatem creditoribus, pro eo quod est deserere illam, & permittere, ut ipsi eam inter se pro portione dividant, neque Latine, neque ex JCtorum consuetudine dictum videtur. Quare lego: *Aut deserere totam hereditatem, aut totum creditoribus solvere:* & hoc est quod dicitur in *l.* 2. *ff. de acquir. vel omitt. hered.*

Juris civilis regulam] Ita ut codicilli valeant tantum communi jure.

Confirmati sunt] Codicilli per se non valent jure civili, nisi robur ac firmitatem accipiant a testamento. *Confirmari* autem dicuntur testamento, sive ante testamentum, sive post facti fuerint. Erat igitur hoc argumentum. Accessio sequitur naturam principalis: codicillus est accessio testamenti: ergo debet sequi testamenti naturam. Sed negat JCtus, hac ratione quicquam effici: privilegium enim, quod militantibus adversus juris rationem concessum est, non debet extendi ad eos, qui non militant.

Legi Falcidiae] Lex Falcidia vult, quadrantem saltem hereditatis remanere penes heredem: ideoque si testator ultra dodrantem legaverit, tantum pro rata parte detrahi de legatis oportet, ut quadrans apud heredem maneat. Sed illa lex locum non habet in testamentis militaribus.

ad Leg. XVIII.

Pro dodrante & quadrante] Id est, ut ejus, quod superit, dodrans pro rata dividatur inter legatarios; quadrans autem maneat penes heredem. Exempli caussa, sit hereditas MCC. legata in testamento DCCC. legata in codicillis CCCLX. solventur illa DCCC integra, e quadringentis reliquis heres habebit C. legatarii CCC.

Quid ergo] Sit totus as MCC. legata testamento MCC. codicillis item MCC. si haec omnia testamento legata essent, necesse esset contribui omnia, & unicuique pro rata parte decedere: quare nunc quoque ita fiet; & te-

sta-

stamentariis quidem solventur sexcenta sine ulla deductione, codicillariis CCCCL. penes heredem manebunt CL.

Qui si post utraque] Sint legata testamento DC. codicillis C. computatis solidis legatis deprehenditur manere apud heredem centum: detrahentur igitur pro ratis partibus 25. iis, quibus ex codicillo debetur.

AD LEG. XIX.

Directam institutionem] *Directa institutio* fit verbis civilibus, sive imperativis: precaria per fideicommissum.

Quaerebatur] Multa ex hac l. colligi possunt: sunt autem haec. Miles potest testamenta facere, &, si voluerit, omnia valebunt. Miles potest ex parte testato, & ex parte intestato decedere, ut dictum est in *l.* 6. potest efficere, ut institutio directa, fiat precaria, & contra: ut ex quaestione hujus l. hoc manifeste videtur. Nam & institutio heredis, & legata, & libertatum dationes, & denique omnia, quae priore testamento continebantur, per posterius rediguntur ad causam fideicommissi.

Ad §. ult. Heres ad tempus] Quod pagano non licet, *l.* 34. *ff. de hered. instit.*

AD LEG. XX.

Milites] Duobus modis militare desinunt, missione, & per successionem: missione, ut gregarii milites: per successionem, ut tribuni militum, centuriones, praefecti castrorum, & similes: hi enim non mittuntur, sed iis successor ab Imperatore aut a Senatu mittitur: illi simulatque missionem acceperunt, militare desinunt: hi, simulatque successor eorum in castra venit. Itaque statim desinunt testari posse jure militari.

AD LEG. XXI.

Quantum ad verba] Existimo tamen, Tribunos, & Praefectos, & ceteros, ex sententia constitutionis idem privilegium habituros, quamvis eisdem verbis non comprehendantur. Iniquum enim esset, eos, qui majores honores in militia consecuti sunt, minus juris habere quam ceteros, ac pro illo idem subjecisse Africanum; aliter enim nihil opus erat dicere, *Quantum ad verba*.

Ad Leg. XXIX. §. 1.

Aliqua] Lege, *alia qua:* sic apud Tacitum *lib.* 1. *annal.* vulgo legitur, *aliquid*, pro, *aliud quid.*

Edictum Praetoris] De hoc *edicto* vide *l.* 8. *ff. de condition. instiut.*

Ad Leg. XXXI.

Deliberante Sejo] Agnosceretne legatum, an repudiaret

Omisisset] Quid? si Sejus legatum agnoverit? Antiquo quidem jure pars Titii adcrescebat Sejo: hodie autem servatur, quod habes in *l.* 1. §. 5. *C. de commun. serv. man.*

Interim] Deliberante legatario. Hac autem l. nihil proprie militibus tribui videtur.

Ad Leg. XXXIII.

Praenoscenda sunt haec: primum, agnatione sui heredis rumpitur testamentum tam militis, quam pagani. Secundum, suus heres est, qui in potestate est, quemque nemo antecedit. Tertium, miles, quam diu militet, testamentum jam factum sola voluntate & infirmare potest, & rursus confirmare. Quartum, praeteritio filii aut nepotis in milite habetur pro exheredatione.

Ad Leg. XXXIV.

D. Hadrianus] Qui idem vocatur D. Antoninus in *l. ult. ff. de bonis eor. qui ante &c.* aliquot similes locos congessit Cujac. in Instit. *ad tit. SCt. Tertull.*

Rescripsit] Hoc quoque commune militibus cum paganis.

Ad Leg. II. §. 3.

Exceptione doli mali] Quod dolo faciant, qui petunt ea, quae sciunt testatorem solvi noluisse.

Ex persona petentis aestimantur] Significat, hanc exceptionem dari possidenti adversus petentes: ut ecce si legatarii petant, hac exceptione repelluntur: si heres solverit, & postea velit repetere ipsemet, hac exceptione repelletur.

AD LEG. XXXIX.

Corneliam] Ejus legis quae ſententia fuerit, cognoſce ex *l.* 22. *ff. de capt. & poſtl. reverſ.*

AD LEG. XL.

Notario ſuo] *Notarii* dicebantur, qui per *notas* ſcribebant admirabili celeritate: hanc rationem a Cicerone primum excogitatam fuisſe, tradit Plutarch. in *Caton. Uticenſ.* Communi autem jure teſtamentum, per *notas* ſcriptum, non valet; jure militari valet.

Idem reſpondit] Si tale legatum pagano relinqueretur, plane inutile esſet; perinde enim foret, ac ſi heres ſibimet ipſi legatum aliquod praeſtare jusſus esſet.

Ignorasſe] Ignorantia enim juris in milite, & in ruſtico excuſatur: at in aliis non item.

AD LEG. XLI.

Si miles]: Hic §. male diſtinguitur in omnibus vulgatis libris, in quibus ultima vox illius eſt *reliquerit*, & principium §. ſequentis *exheredato*. debet autem continenter legi *reliquerit exheredato*; ut principium §. ſequentis ſit *miles*: hoc recte notavit Viglius Zuichemus.

M. A. MURETI NOTAE

AD TIT. D. DE INJUSTO, RUPTO, ET IRRITO FACTO TESTAMENTO.

AD LEG. I.

Nullius esſe momenti] Hoc etiam injuſtum vocatur in *l. ſequenti.*

Poterit] Accurſius legit, *potuit*, quod & verius videtur: rumpitur autem prius teſtamentum, etiamſi ex ſecundo nullus heres extiterit, dummodo aliquo caſu exiſtere potuerit.

AD LEG. II.

Rite] Id est, observatis omnibus solemnibus juris.

Superius rumpitur] Posterius tamen valet, non tanquam testamentum, sed tanquam ultima voluntas. Recte autem suspicatur Accurs. hanc postremam partem, non esse Ulpiani, sed additam ab iis, qui jussu Justiniani concinnarint libros Digestorum. Certe enim hoc a Theodosio primum est institutum, *l.* 8. *C. de testam.*

AD LEG. III. §. 1.

Dicimus] Antiquo jure, quo hi soli postumi vocabantur: alii sunt Vellejani, de quibus statim.

Ad §. 2. *Inter gradus*] Id est, inter substitutiones. *Posteriorum*, Accurs. *postumorum*.

Faciunt] Statim a principio.

AD LEG. IV.

Heredibus] Omnino hic aut addendae, aut supplendae voces duae, *defuncto postumo*.

AD LEG. V.

Exheredibus] Non est legendum *exheredatus est*, ut notat Cujac.

Quia nullus est] Itaque tunc testamentum incipiet a secundo gradu, & ille, qui substitutus erat, heres erit, cum ab eo postumus exheredatus sit.

Quo aliquis ex institutis vixit] Sed si omnes instituti moriantur, antequam adeant, & post eorum mortem nascatur postumus, non rumpet testamentum. Nam primo gradu sublato, qui secundus fuerat, factus est primus, & ab eo postumus exheredatus erat.

AD LEG. VI. §. 5.

La race des hommes] Les hommes ressemblent aux fueilles des arbres. Voi Homere au sisiesme de l'Iliade & au vint & uniéme. *Jouvence*] Jeunesse, viel mot François. *L'anesse*] Voi la fable dans les Theriaques de Nicandre, de L'anesse qui portoit la déesse Jeunesse sur son dos, & comme a la fin elle la donna a un serpent nommé διψὰς, pour lui enseigner quelque ruisseau pour boire. *Le mauvais tonneau*] Voi le dernier livre de l'Iliade d'Homere, & Pindare en ses Pythies.

SUR LA IV. ODE.

Les plis de sa robe pourprée] Ses fueilles vermeilles repliées l'une pres de l'autre, comme les plis d'un beau vestement.



AUCTA-

AUCTARIUM

OPERUM

M. ANTONII MURETI.

PETRI LAZERI DIATRIBA *

DE VITA ET SCRIPTIS

M. ANTONII MURETI.

1. Pervenimus ad Muretum, cujus unius gratia de aliis omnibus dictum est. Itaque accuratiores in eo esse debemus, atque etiam, in summa brevitate, quam longitudo orationis huc usque provecta efflagitat, conabimur; mirabili adjumento usi, sive novo quodam genere monumentorum, quod, nisi attentiores fuissemus, negligi a nobis fortasse, & contemni facile potuisset. Est vero id, quod Muretus, veluti in adversariis quibusdam, in primis & postremis paginis librorum puris scriptitare, homo minime obliviosus, nec multum copiosus solebat. Si dicam, nihil nobis ad ejus vitae & rerum gestarum annos rite consignandos, magis profuisse; non mentiar. Igitur a. 1526. natus est M. Antonius Muretus pridie Id. Aprilis; ita enim ipse epistolam quamdam (1) subscripsit; *Romae prid. Id. April. die ipso natali meo, quem tu mihi faustum ac felicem precare:* de anno Bencius & ceteri consentiunt. Lemovicem praeterea

* Hanc Diatribam sumsimus ex *Lazeri* Praefatione, praemissa Tomo secundo. *Miscellaneorum ex* MSS. *libris Bibliothecae Collegii Romani Societatis Jesu.* D. R.

(1) *Lib.* 2. *ep.* 34.

tereà eum fuisse constat; nec solum ita eum appellant, qui laudant, atque inter testimonia operibus ejus praefixa recensentur, sed & Lambinus eidem scribens (1); *Amabo te, non tu etiam Gallus es? Quid respondebis Lemovicibus civibus tuis ex Italia te revocantibus, ac vendicantibus?* Imo Lemovicem se ipse appellat in epitaphio, quod sibi vivens conscripsit. Sed utrum Lemovici, ipsa in Urbe, quae est tractus Lemovicensis caput, natus sit, an in alio ejus regionis oppido; de eo sane non constat. Primum asseverat Thuanus (2) cum *Ratiasti Lemovicum* ortum scribit: est enim, ut in Latinarum vocum explicatione ibidem legitur, *Ratiastum*, Lemovici oppidum ipsum, populari nomine *Limoges*. At in Scaligerianis alteris legitur; natum eum Mureti, qui est ejusdem regionis pagus: idemque in funebri oratione Bencius, addens de majoribus & generis nobilitate; *Natus est . . . . . in pago suburbano Lemovici, cui Mureto nomen, loco honestissimo, patre Jurisconsulto, genere perantiquo & nobili; quippe quod & pagum illum antiquitus possederit, unde & familiae nomen; & quadringentis ab hinc annis tulerit Stephanum, Grandimontensium Ordinis auctorem.* Hanc pariter Mureto patriam assignant Baillet (3), Niceronius (4), & recentiorum multi (5), Bencium credo secuti. Verum illud (multo vero magis de Mureti genere & nobilitate) num certo aliquo auctore Bencius affirmaverit, an suspicione quadam & conjectura sua; uti eumdem alia nonnulla protulisse eodem modo de Mureto volunt: mihi non constat. Nam quod hujusce rei argumentum olim habebam, ut Lemovicensi urbi Muretum asse-

(1) *Epistol. clar. vir. Bruti pag.* 384.
(2) *Lib.* 82 *num.* 15.
(3) *Num.* 333.
(4) *Tom.* 27. *pag.* 145.
(5) *A. Vita in Veron. edit. &c.*

asfereretem, a Joannis Aurati, poëtae illa aetate nobilis, natali solo; cum quo se junctum communione sanguinis & patriae, Muretus affirmat (1); video mihi esse ereptum ab iis (2), qui de ea ipsa Aurati patria valde dubitant. Fatebor tamen, me Bencio de patria, de qua doceri a Mureto ipso potuit, non illubentem assentiri; praesertim cum id & in Scaligerianis Puteanorum legatur (3).

2. De puerili institutione Mureti nihil memoriae proditum est, praeter illud, quod ipse de se, cum Graecas sententias fratris filio mitteret, narravit: quod ipsius verbis (non enim commodioribus possimus uti) referemus (4); *At mihi puero cum alia multa, tum praeceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare possum, post annum aetatis meae duodecimum, nullo me ad ullam artem, neque privatim, neque publice, praeceptore usum esse. Quamquam enim Pictavii, quo me parentes ad excolendum ingenium miserant, ibam interdum ad eos, qui Jus civile profitebantur, perraro tamen id faciebam, neque tam, ut quidquam ex eis discerem, quam ut meis animum explerem, qui me ei studio addixerant. Eveniebat id mihi indomita quadam perversitate, ac pervicacia ingenii, ut nullum Doctorem triduum ferre possem: cujus improbitatis valde me postea, ac diu poenituit, poenitetque.* Hinc ergo novimus, Pictavium ad Jus civile discendum

(1) *In postrema Ode ipsi inscripta sub fin. Juvenil. & carm. xi. lib. 2; tom. 3. pag. 67. edit. Comin.*

Nil daturum me auribus hic tuis
Velim arbitreris; sim licet & olle
Pridem tibi, & communitate
Sanguinis, & patriae alligatus.

(2) *V. Niceron. tom. 26. pag. 109.*
(3) *Pag. 225. edit. Hagae Comit. 4. 1669.*
(4) *Tom. 3. oper. Mur. pag. 154. edit. Comin.*

dum a parentibus missum fuisse. Bencius in ea, quam diximus, funebri oratione, multa habet; ut scilicet imbutus est Muretus litteris, quibus informari ad humanitatem aetas puerilis solet, in patria sua Lemovici primum, deinde vero Aginni, eas docere coepisse, *cum esset adolescentulus, aut potius puer.* Verum Bencius antiquiora Mureti narrans, fidem apud eruditiores homines non invenit; ac de eo Scaliger (1); *Bencius, vir doctus, & amoeni ingenii . . . . . multa per conjecturam de Mureto dixit, tam incredibilia, quam a vero remota.* Scaligero vero subscribit etiam Menagius (2). Nolim equidem hoc de Bencio diffiteri; amorem in Muretum, sive pietatem potius ei quaedam extorsisse, quorum non admodum erat probabilis conjectura; ex quibus fortasse illud est, quod de generis nobilitate, & Mureto pago, quem illius olim familia possederit, narravit. Sed quis non animadvertat, longe esse facilius, in istis peccare, in quibus, cum sint tenebris obsita, & vetustate poene obliterata, liberior est aliquanto, nemine certo revincente, augurandi locus; quam quae de recentibus factis alicujus dicuntur, quorum testes multi esse possunt; & Bencius rescire ex Mureto ipso potuit, atque interrogando ex eo quaesivisse, pro mirabili in eum amore, omnino existimo? Sit exemplum in eo ipso, quod hic Bencius affirmat, Aginni litteras docuisse Muretum, & Scaliger pernegat. Nam idem Scaliger verum id esse aliquando dixit, atque in Scaligerianis alteris affirmatur. Novi Menagium, Scaligero in *confutatione fabulae Burdonianae* assentire malle, fidem vero Scaligerianis his alteris denegare, quae non Scaliger scripsit, sed Jo. de Vassan a Scaligero accepit; suspicatur etiam in excipiendis Scaligeri effatis verbum aliquod praeteritum: & cum ille *Villanovanum Aginii* dixis-

(1) *In confutat. fabul. Burdon. pag.* 404.
(2) *Antibaill. tom.* 1, *p.* 326.

dixisset; *Aginium* hunc audivisse. Verum nec multum valere debet haec viri licet eruditi conjectura, & a Scaligerianis primis refutatur, *exceptis*, ut in iis dicitur, *ex ore Josephi Scaligeri per FF. PP.* id est, fratres Puteanos; nam ibidem hoc ipsum affirmatur.

3. A. MDXLIV., si Scaligero fidem habemus, ad Auscios, ut litteras doceret, se contulit annos octodecim natus: *M. Antonius Muretus*, ait Scaliger, *annos natus* XVIII. *Aginnum venit Julii salutandi caussa, unde digressus ad Auscios Novempopulaniae sese contulit, ubi in Collegio Archiepiscopali Ciceronem & Terentium docere coepit; quo tempore eclogas in laudem Cardinalis Armeniaci, & tragoediam suam Julium Caesarem in illa Urbe edidit.* Atque addit: *Hinc profectus in oppidum Nitiobrigum, cui nomen Villanova, ditissimi mercatoris de Brevant liberis praefectus, in schola publica illius oppidi auctores Latinos interpretabatur.* Hoc tamen de publico docendi munere ab eo suscepto, puto ad sequentem annum pertinere. Nam Muretus ipse in oratione, quam *de laudibus litterarum* habuit Venetiis mense Octobri A. MDLIV. *novem prope jam annos in hac dicendi ac docendi exercitatione consumpsisse*, ait. Sive etiam novennium illud a Burdigalensi schola, quam circa A. MDXLVII. regebat, auspicatur. Nam de Mureto pergit narrare Scaliger: *Anno autem aetatis suae vigesimo* (anno nimirum MDXLVI.) *cum illis pueris discipulis suis Aginnum secundo venit Julium salutandi caussa, semel antea visum, sed satis notum litterarum commercio, eosque pueros cum Mureto, Josephus* (Scaliger) *meminit domi vidisse se, annos natum* VI. *Bis aut ter postea exceptus hospitio a Julio, idque diem unum, aut biduum tantum, ingenii sui praestantiam, cujus specimen per litteras dumtaxat dederat, colloquio familiari comprobavit. Ex illo, quia illum nosse propius*

contigerat, *Julius amare eum coepit*, *&* *ejus dotes animi Senatoribus Burdegalensis Curiae per litteras commendare*, *ut non aliter eum*, *quam filii nomine*, *appellaret*; *quam Burdegalam*, *relicta Schola Villanovana*, *profectus*; *ibi in una classium gymnasii Aquitanici doceret circiter A. Christi* MDXLVII. *neque ex eo unquam aut Aginnum repetivit*, *aut Julium postea vidit.* Quod scribit de paterna in Muretum charitate Julii Scaligeri, aut de Mureti in eum pietate, id & Bencius tradit, & ab ipso Mureto confirmatur, qui epigrammati 1. Juvenilium (1) hunc fecit titulum: *Divo Julio Caesari Scaligero patri meo*; & primis continuo versibus:

In tenues numeros, *primi monumenta furoris*,
Quo mea non simplex corda subegit amor,
Dirige siderei radiantia lumina vultus,
Caesar, *&* *haec nati ludicra nosce tui.*

In Scaligerianis Puteanorum, *Muretus me vocabat fratrem*, *quia Pater illum vocabat filium.*

4. Sequitur apud Scaligerum eodem in loco; *Burdegala Lutetiam*, *Lutetia Tolosam petiit*, *ubi Juris Institutiones cum exponeret exercendi caussa*, *ut tironibus Juris mos est*, *inde abire coactus*, *Venetias se contulit.* Toti huic narrationi fidem haberi vult Menagius: sunt tamen nonnulla, quae eam aliquanto impediant; imo Parisiensem hanc Mureti scholam non facile est reddere anno suo. Sunt qui Parisiis fuisse Muretum, atque in Collegio Cardinalis *le Moine* Classem III. rexisse putant eodem tempore, quo primae Turnebus praeerat, alteri vero Buchananus; quod se quoque audivisse de P. Bourbon

Mena-

(1) *Pag. 69. edit. Parif. 1553. Est etiam carmen* XI. *lib. 2. tom. 1. pag. 67. edit. Comin.*

Menagius affirmat. Niceronius falſum id cenſet, quod Buchananus e Gallia excesſerit A. MDXXXIV. Falſum ego quoque cenſeo; ſed Niceronium rationes temporum ſuae fefellerunt. Nam hoc ipſo tempore Pariſiis fuisſe Buchananum e Luſitania reducem, anno ſcilicet MDLII. ipſe teſtis eſt in *vita ſua*, ac Lutetiae manſisſe videtur ad A. MDLIV., quo in Italiam evocatus eſt a Carolo Cosſaeo. Atque hoc tempore nimirum, id eſt, A. MDLIII. cum Juvenilia ſua ederet Muretus, Buchananus epigramma ſcripſit in eorum laudem (1). Thuanus (2) refert, Muretum primo Pariſiis docuisſe, deinde Burdegalae, tum apud Auſcios. Menagius Scaligero fidem adhibet, ita ut e Villanovana ſchola Pariſios ſe contulerit Muretus annos natus circiter XX. Erit ergo annus MDXLVI. Quod quidem ſi esſet, labaſceret ex parte Scaligeri narratio. Ita enim narrationem ille ſuam inſtituit, quaſi e Villanovana ſchola ad Burdegalenſem tranſlatus ſit Muretus; nec vero videtur rem utique inſignem, Pariſiis id aetatis Magiſtrum fuisſe Muretum, tacere ullo pacto debuisſe. Mihi, ſi quid conjectando licet affirmare, Pariſienſis illa hoc tempore Mureti ſchola ſuſpecta eſt; nec vero aliud voluisſe Scaligerum credo, quam ſumma vitae ejus capita percurrentem, ceteris omisſis, Pariſienſem Mureti commorationem ſignificare, quae anno MDLII. & ſequenti Toloſanam proxime antecesſit. Certior multo eſt opera a Mureto poſita in adoleſcentibus inſtituendis, Limini Pictonum; idque antequam Burdegalam veniret. Nam A. MDLVI. cum Venetiis commentarios ſcriberet in Catilinarias, haec habet explicans vocem *mactari* (3); *Uſum quemdam hujus verbi, paucis, ut arbitror, notum,*

(1) *Extat init. Juven.*
(2) *Hiſtor. lib. 82. ad a. 1585.*
(3) *Pag. 35. edit. Pariſ. 1581. Veneta a. 1557. pag. 37.*

tum, quem ante hos decem annos annotavi, & publice docui, cum etiam tum adolescentulus Limini, quod Pictonum oppidum est, humaniorum litterarum, & juris civilis studiis florentissimum, Amphitruonem Plautinum enarrarem, tradere hoc loco institui. Atque huc, opinor, etiam spectat, cum alibi (1): *Mihi,* inquit, *displicere nondum potest ea conjectura, quam cum adolescentulus in Gallia Plautinas fabulas explicarem, jamdudum de hoc loco feceram.* Limino autem postea venisse Burdegalam, indicare idem videtur in Elegia quadam (2) Margaritae;

Nam te Pictonicae retinent felicia terrae
Oppida, qua Clanus pinguia culta secat:
Me vero, invidiae procul a te dentibus actum,
Fortia lunatae moenia Burdegalae.

5. A. MDLII. Parisiis fuisse Muretum, testis & ipsius oratio habita Nonis Februarii *De dignitate & praestantia studii Theologici*, quae est in editis prima. Hanc se habuisse orationem, Muretus cum *homo esset adolescens*, id est, natus annos XXV. idem initio affirmat: itemque, ut de eo argumento diceret, demandatum sibi esse ab iis, quorum & apud se plurimum valebat, & apud omnes peraeque valere debebat auctoritas. Praefectos nimirum intelligit Parisiensis Athenaei, ubi summo concursu, plausuque omnium docebat. Atque huc nimirum pertinent, quae Andreas Schottus in *Vita*, & in *funebri oratione* Bencius narrarunt: *Novus*, ait Schottus, *videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis; ita docente Mureto, & quidem adhuc peradolescente, concursus audiendi caussa ex tota Urbe fiebant; magna hominum frequentia gymnasium celebrabatur, loci ipsi* in

(1) *lib. 3. variar. lect. cap. 9.*
(2) *Juvenil. eleg. 6.*

in gymnasio occupabantur; ne pes quidem relinquebatur, prae maxima auditorum multitudine, ubi pedem Doctor ipse ponere posset; ita per illorum humeros quasi per undas gradiebatur ad suggestum; quae, si vera sunt, annumerari Muretus poterat, & debebat iis, quos Menckenius (1) magna auditorum frequentia docentes recensuit. Addit Bencius, Regem Reginamque ipsos ad Muretum audiendum venisse aliquando. Irridet hoc Scaliger (2): *quod numquam*, inquit, *in Athenaeo Regio, sed in gymnasiis docuit.* Auctor vitae Mureti in editione operum Veronensi, ut id ipse quoque rejiciat, utitur auctoritate atque argumento Hofmanni, qui de Mureto scripsit: *Parisiis in Collegio Cardinalis Monachi tertiam classem rexit, cum Buchananus secundae, Turnebus vero primae praeesset.* Rem ita esse, uti Bencius narravit, praestare non audeo; Scaligerum tamen non recte argumentari, adnotavit Menagius; quasi Rex & Regina in Collegiis docentem audire eum non potuissent. Illud vero Hofmanni argumentum cujusmodi sit, antea vidimus: auctoritas certe ejus nulla hic esse potest, primum recentioris hominis, & ab his temporibus locisque remoti, deinde in eo opere, *Lexici* nimirum, ut vocant, *Universalis*, quo cum omnia comprehendantur, nec ad unguem exacta, nec diligenter investigata esse possunt. Eodem anno MDLII. carmina quaedam sua titulo Juvenilium dedicavit Jano Brinoni litteris datis *Lutetiae* VIII. *Cal. Decemb.* etsi annum sequentem editio, quam vidimus, praefert. In his litteris, haec ille de se: *Subsecivis horis aliquod mihi tempusculum a Philosophiae, & Juris civilis praelectionibus, quibus assidue occupatus distineor, ad haec exscribenda, & in*

(1) *Jo. Burchardi Menckenii Dissert.* De his, quibus singularis quidam ac insolitus Auditorum applausus contigit.

(2) Confut. fabul. Burdon. pag. 400.

& in ordinem utcumque redigenda sumpsi. Docebat ergo Philosophiam, & Jus civile. Atque has praelectiones prosecutum arbitror anno sequenti. Nam cum librum v. Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum rursus ederet, dedicaretque Romae auditoribus suis Cal. Martii A. MDLXV. haec habuit, quae diceret: *Jam duodecim anni sunt, cum hujus libri interpretatio mea primum edita est.* Editam atque elaboratam juvenibus, quos Philosophiam docebat, autumo. Non Aristotelem modo, sed & Ciceronis libros *de Divinatione* Parisiis hoc tempore explicasse videtur: ita enim Muretus ipse de Turnebo queritur (1): *Sic „ impetritum „ Ciceroni & Valerio restituisse primus videri voluit: quod tamen cui acceptum ferendum sit, scient, qui legerint Scholia Pauli Manutii in libros de Divinatione, edita ab hinc annos* XX. *Atque ego, quae tum Manutio indicavi, eadem publice docueram Lutetiae quinquennio ante, & cum ipso Turnebo communicaveram.* Ideo hoc dicit, quod in hujusmodi scholiis (2) ea animadversio habetur, additurque: *Atque hoc ejusdem ingenio Mureti debetur.* Edita vero sunt illa scholia ad Ciceronis Philosophiam a Paulo Manutio A. MDLX., cum Turnebus Adversariorum primum tomum, quo eadem animadversio habetur, ediderit A. MDLXIV. Sed paullo antequam ederentur & scriberentur illa scholia, Manutio indicaverit hoc Muretus, necesse est, imo ante annum, opinor, MDLIX. quo Ferrariae, ut dicemus, in Cardinalis Estensis familia receptus, a Manutii sui congressu abstractus est. Itaque ab anno MDLVIII. computantes quinquennium, in annum incidimus MDLIII., quo Parisiis docebat.

6. A. MDLIV. Tolosae fuisse, ex ejus urbis ephemeri-

(1) *Lib.* 10. *var. lect. cap.* 18.
(2) *pag.* 90.

meridibus collegit Menagius; & ex Gabriele Lurbio in libro *De viris illustribus Aquitaniae*, jus civile professum esse. Atque ad hoc nimirum tempus spectat, quod refert Christophorus a Capite fontium (1); *Audivi quemdam Antonium Muretum omnium liberalium disciplinarum nostra memoria peritissimum, cum ad jurisprudentiae studium se Tholosam contulisset, paucis post diebus eam facultatem, cui operam dare coeperat, publice professum esse. Magna omnium exspectatio. Sed quorsum evasit? Imperitus Magister ab omnibus scholaribus auditoribus suis irrideri coepit. Quod cum ille sensisset, ac intra paucos dies suarum virium imbecillitatem probasset, sese minus idoneum, qui jurisprudentiam, quam nondum satis didicerat, doceret, esse professus est.* Mirum videri potest, qui Jus civile docuerat Parisiis, Tholosae postea tradentem irrideri, faterique se illud ignorare; nisi meminerimus, quod Scaliger antea adnotaverat, & cognitum est ex moribus nostris, tironibus ipsis exercendi sui caussa, solere id concedi, ut praelegant eas facultates, quas nondum plenius intelligere potuerunt; praesertim si Doctoris titulum atque insignia sumpserunt. Atque eodem loco Scaliger *Tholosae juris institutiones* exposuisse Muretum testatus est. Tholosa rediisse Parisios docent Verderius, & Menagius: quod quidem ego mihi persuaseram ex epistola quadam Mureto scripta ab Andrea Dudithio; cujus autographum nos habemus, atque in eo legitur: *Superioribus annis cum Tholosae primum, deinde Lutetiae Parisiorum, magna tua cum laude, & omnium admiratione, Philosophiam ita doceres, ut non minus sententiarum gravitatem, quam verborum elegantiam, dicendique artificium homines admirarentur, audio, te quiddam ad ἠθικῶν Νικομαχείων librum scripsisse.* Haec, ut dixi, in autographo; licet

(1) *Fidei majorum nostror. defens.* pag. 165. edit. Plantin. 1575.

licet in editis legatur *superioribus annis cum Lutetiae Parisiorum &c.* omisso *Tholosae* nomine. Postea tamen sententiam mutavi, atque existimavi, Duditium illa cum scriberet, vel temporum rationem non secutum, vel etiam deceptum. Animadverti enim, verba illa praeterita fuisse non in posterioribus modo editionibus ab his, qui epistolas Mureti recensuerunt, sed a Mureto ipso cum primum epistolas suas aliquot ipse vulgavit (1): nec vero aliter dicere possumus, si observamus, tribui tunc Mureto *aliquid ad* ἠθικῶν Νικομαχείων librum; qui quidem alius esse non potest, quam libri v. Interpretatio, quam adornasse diximus Muretum, cum Parisiis fuit, antequam veniret Tholosam. Addas, cum certo constet Tholosae fuisse a. MDLIV. eodemque in Italia Venetiis diversatum, Parisiensi huic tertiae commorationi vix videri esse locum.

7. Anno ergo eodem MDLIV. in Italiam commigrans Venetias venit; ubi etiam orationem habuit mense Octobri, (ut in titulo ejus orationis dicitur) *de laude litterarum.* Coepit etiam Italis hominibus fructus ingenii atque industriae suae in emendandis veteribus Scriptoribus impartiri, initio facto a Catullo: itaque exiit hoc anno *Catullus, & in eum Commentarius M. Antonii Mureti. Venetiis apud Paulum Manutium Aldi filium* MDLIV. Antea Venetiis cum esset, ut ex subscriptione epistolae nuncupatoriae L. Memmio Fremioto, data *Venetiis Cal. Juliis. a.* 1554. apparet, Commentarium Alexandri Aphrodisiensis in librum VII. Topicorum Aristotelis, a se Latine factum vulgavit. Quo tempore huc appulerit, in iis, qui de Mureto scripserunt, frustra quaeras. Confugimus ergo ad monumenta nostra, & ad

(1) M. Antonii Mureti J. C. ac civis Romani epistolae. Parisiis apud Michaëlem Clopeiau 1580. *pag.* 71. 2. *praeter Coloniensem* 1600. *pag.* 118.

& ad Mureti librorum anticas vacuas paginas, de quibus initio diximus. In iis haec invenimus: in Callimacho Basileae edito a. 1532. *M. Antonii Mureti. Emptus Venetiis mense Augusto* MDLIV. quod pariter adnotatum est in Terentiano Mauro, & Clemente Alexandrino Graeco edito a Victorio: atque in antiquis lectionibus Rhodigini: *Muretus emi Venetiis ad* III. *Idus Sextiles anno* MDLIV. In Antonio Augustino de Emendatione Gratiani: *Marcus Antonius Muretus emi Venetiis Nonis Juliis* MDLIV. Ita hunc annum, mensemque Julium adscripsit Hesiodo, & Apollonio Rhodio. In variis lectionibus Petri Victorii: *Mureti. Venetiis mense Junio* MDLIV. Praetereo similium adnotationum multas, atque hoc tantummodo dicam, nullam me reperire potuisse, qua antiquius tempus memoretur mense Majo; quem quidem mensem ita adnotavit in Theocrito edito Venetiis *ex officina Farrea a.* 1543. *In Vinegia soldi 26. ligado al di ult. de Maggio a.* 1554. *Mureto.* Quamobrem hoc primum mense existimo illum advectum Venetias. Et sane convenit, quod in dedicatione Catulli Bernardino Lauredano litteris datis Venetiis Idibus Octobris hoc eodem anno scribit; se haud ita pridem venisse in Italiam, & ut eam regionem aspiceret, *qua*, inquit, *qui aequo animo carent, mihi quidem antiquitatis memoriam satis colere non videntur*, & quo eruditos homines cognosceret, in primis vero Paulum Manutium, quod in ejus scriptis videbatur sibi animadvertisse expressas quasdam excellentis doctrinae, eximiaeque probitatis notas; sibi vero poene divinitus contigisse, ut non pedem pene prius Venetiis poneret, quam in amicitiam ipsius, familiaritatemque intimam admitteretur: ipsum vero Manutium cum aliquot diebus post de Mureti sermonibus collegisset, quantopere se Catulli poëtae scripta caperent, coepisse impel-

lere, ac persuasisse tandem, ut quae in eum notaverat proferret in publicum: se recepisse, primo id quoque tempore esse facturum; nec diu fidem distulisse, sed totum hoc negotium trium mensium, aliquanto etiam minore spatio, absolvisse. Mihi haec tota narratio, non multum sane maturiorem aut seriorem Mureti adventum indicare videtur, quam qui in Majum mensem, ut dixi, cadat. Sed quae de caussis, quibus adductus in Italiam venerit, Muretus attulit, fidem fortasse non invenient apud eos, qui Scaligerum, quaeque ex illo, aliisque Menagius congessit, aliquando legerunt. Nihil attinet hic ea refricare, nec longa oratione Muretum defendere; quem gaudeo satis diligenter defendisse auctorem vitae ejusdem in Veronensi editione. Non possum tamen quin addam; non modo reliquam Mureti vitam, & cum Manutio, virisque aliis probis & integris, statim ac in Italiam venit, initam consuetudinem, ceteram denique quam postea obtinuit innocentiae famam luculentum pro illo testimonium dicere; sed criminationem eamdem ipsam Parisiis, & Venetiis, sive Patavii intentatam. Cum enim ex litteris his nostris praesertim Morini & Hippolyti Estensis, falsam fuisse constet, atque a malevolorum hominum odio invidiaque profectam, nonne idem de Tolosana illa par est judicare? de qua pro Mureto satis firmum argumentum, ut mihi quidem videtur, peti potest ex ejusdem Mureti dedicatione Commentariorum Alexandri Aphrodisiensis in VII. Topicorum Aristotelis L. Memmio Fremioto, id est, illi, cum quo patrati ab eo sceleris suspicio commota est. Nam ibi Muretus illum se admirabili quodam amore praesentem esse complexum affirmat; nunc vero, *ex quo*, inquit, *flagitiosa illa nos quorumdam conjuratio distraxit, ita*

eum

eum in dies augeri sentio &c. (1) Non dico probum; non pudentem virum, sanumne liceret arbitrari esse Muretum, si veri aliquid praeter calumniam accusatio illa habuisset, hujusce rei mentionem injicere, praesertim adeo suavibus, & amantibus verbis? sed ista omittamus. Venetiis Muretus cum sibi publicum docendi munus depoposcisset, accepit; ita enim ipse in oratione (2), quam ibidem habuit, quod etiam in altera postea rursum testatus est (3). Docuit autem publice in coenobio S. Francisci. Hoc, quod Ghilinus tradidit (4), subindicavit idem Muretus in oratione, quam Venetiis pariter habuit anno sequenti: *Quin etiam*, inquit (5), *ut plus mihi animorum adderetis, ex eo me loco docere voluistis, ubi homines ita Divino cultui addictos, ut cum summa integritate, & sanctimonia vitae, summam rerum maximarum cognitionem scientiamque conjunxerint, quotidianos industriae meae testes habiturus essem.*

8. A. MDLV. Venetiis erat Muretus apud Paulum Manutium, ut ex litteris Achillis Statii, quas vulgamus, apparet. Atque hunc eumdem annum multi Bibliothecae Mureti libri adscriptum habent. Anthologia editionis Frobenianae: *M. Antonii Mureti. Venetiis* 1555.; Aristotelis Politici libri Graece recogniti a P. Victorio, & editi Florentiae a. 1552. *M. Antonii Mureti, Venetiis* MDLV. *mense Aprili.* Plau-

(1) *T.* 2. *oper. edit. Comin. pag.* 408. *&* *oper. Ingolstad. edit.* 1602. *pag.* 570.

(2) *Orat.* 4. *pag.* 35. *edit. Comin.* „ Ergo simul atque mihi pu„ blice munus illud adsignatum est, ut iter vobis ad ea studia praci„ rem &c."

(3) *Orat.* 2. *pag* 15. Non enim detrectans, sed ultro nobis deposcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus.

(4) *Theatr. litterat. pag.* 165.

(5) *Orat. quae exstat tom.* 3. *pag.* 263. *edit. Comin.*

Plautus: *Venetiis Non. Julii 1555. &c.* Praeterea hoc anno Nonis Octobris orationem habuit, quae adjunctis aliis duabus edita est a Manutio hoc titulo: *M. Antonii Mureti orationes tres de studiis litterarum Venetiis habitae. Venetiis* MDLV. Eas Muretus Hieronymo Ferro, Patricio Veneto, Patavini gymnasii Triumviro dedicavit, literis datis Venetiis ad IX. Kal. Novembr. MDLV. ex quibus litteris sane intelligimus; non ita prospere omnia evenisse Mureto, ut non etiam ei invideretur a nonnullis, & peregrinitas objiceretur (1), non sane novo, nec insueto in viros doctos calumniae genere, a quibus indigenae, utpote doctioribus, aut laudem, aut mercedem percipi, & sibi eripi dolent (2); idque ipse Muretus in altera oratione significat, & diligenter sibi sive excusandum, sive refutandum proponit, cum Galliae regni, ubi natus erat, prudenti elegantique commendatione. Ceterum ex tribus illis orationibus, quae, ut diximus, sunt hoc anno editae, nil propius fuit, quam una ut disperiret; nisi eam, nescio quo fato, in ceteris editionibus praeteritam Cominiana repraesentasset. Hoc item anno Horatium & Terentium a Mureto emendatos atque illustratos edidit Venetiis Manutius. Primi titulus est: *Horatius. M. Antonii Mureti in eundem annotationes. Aldi Manutii de metris Horatianis. Ejusdem Annotationes in Horatium. Venetiis* MDLV. *apud Paulum Manutium Aldi F.*: eumque Muretus dedicavit Johanni Avansonio, Henrici Galliae Regis ad Romanum Pontificem Oratori, litteris datis Kal. Octobr. MDLV. Alterius hic est titulus: *Terentius a M. Antonio Mureto locis prope innumerabilibus emendatus.*

(1) Nam cum & novitati a nonnullis, & peregrinitati invideretur meae, tu unus exstitisti, qui caussam meam acerrime suscipere, qui eam collegis tuis, viris omni laudum genere dignissimis, studiosissime commendares &c.

(2) *V. quae scripsimus ad orat.* XII. *Perpiniani diatrib. pag.* 433.

datus. Ejusdem Mureti argumenta in singulas comoedias, & annotationes, quibus tum correctionum magna ex parte ratio redditur, tum loci obscuriores explicantur. Venetiis a. MDLV. *apud Paulum Manutium Aldi F.* Haec tamen argumenta, & annotationes novo titulo, pagina partem aliam pura, proponuntur sic: *M. Antonii Mureti argumentorum, & annotationum in Terentium liber. Ad Jacobum Surianum, Patricium Venetum. Venetiis &c.* qui quidem titulus, & libri pars, in Horatio quem habemus cum inscriptione manu Mureti: *Ex libris M. Antonii Mureti* praeponitur alteri. Sed hoc leve est. Illud est animadvertendum, quod magni nostra interest; in epistola illa ad Surianum, egregiam Italorum hominum atque ingeniorum inesse laudem: in qua, ubi rationem illorum damnavit, qui, omisso antiquiorum linguarum Graecae & Latinae studio, totos se ad eam, qua vulgo utimur, linguam excolendam convertunt; admonet, periculum esse, ne, si hoc malum radices agat, *quae semper*, inquit, *propria Italorum laus fuit, ut soli ex omnibus Latina oratione perite ac scienter uterentur*, eam qui sustineant, non multi in Italia reperiantur. Atque ibidem transalpinorum hominum vitium notat, qui ad Latini sermonis elegantiam consequendam non rectam ineant viam; quod pauciores sane illorum se ad Ciceronis, Terentii, Caesaris imitationem componant, sed pervolutantes sine ullo discrimine omnes omnium Scriptorum libros, ex omnium commixtione varium quoddam & multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingant; pulchrique sibi ac beati videantur, si eam consequantur facultatem, ut de rebus propositis verba fundere, animique sui sensus qualicumque orationis genere ad alios perferre possint.

9. Proximus huic annus 1556. Commentarios a Mureto extulit in Ciceronis Catilinarias, quos ille

inscripsit Leonardo Mocenigo, litteris datis Venetiis a. d. VI. Id. Octob. quae litterae nunc aliis ejusdem Mureti familiaribus additae reperiuntur: neque hae solae, sed prooemia praeterea omnia, quae singulas orationes IV. cum explicare aggrederetur, praeposuit vir ille doctus, & eloquens. Diligentiores ita fuisse, qui opera Mureti ediderunt, facile patior; sed quod ceteras aliorum operum nuncupatorias epistolas vel omiserint, vel alium in locum rejecerint (1), hoc moleste fero: fieri enim facile poterit, ut intereant tractu temporis: interire vero, quae cura ille & diligentia elaboravit, nemo, opinor, velit; itaque nonnullas earum putavimus hic iterum vulgandas; quas nimirum epistolas neque Cominiana editio, aut Veronensis (uno verbo dici poterat Thomasiana) neque collectio praefationum Parisiis a. 1579 adornata repraesentat; sunt autem Hieronymo Octobono nuncupatoria libri de Providentia; orationum trium editarum a. 1564. Alexio Paganuccio; purioris ac politioris Philosophiae studiosis in versionem Lambini Ethicorum Aristotelis. Quo loco non praeteribo illud adnotare, epistolam Georgio Gozzio, Patricio Ragusino, habere nos praepositam versioni Aristotelis libri secundi de Arte dicendi, editae Romae 1567.; in ea vero dici; *do dicoque tibi secundum librum Aristotelis de Arte dicendi nuper a me, ut commodis Auditorum meorum consulerem, Latino sermone, ut potui, expressum*, non ut in

(1) *In edit. Comin. pag.* 184 *tom.* 2. *epist. Bencio nuncup. versionis Rhetoric. Arist.*, *multas habemus a pag.* 204. *ad* 246. *alias rejectas ad p.* 408. *tom.* 3. *pag.* 255. *dedicatoriam trium orationum Ferro pag.* 281. *dedicator. Juvenil. Brinnui: epistolas nuncupatorias Terentii Suriano, Horatii Jo. Avanzonio non reperio, quae extant pag.* 65. *&* 71. *Praefat. edit Paris. hoc titulo:* Trium disertissimorum virorum Praefationes, ac epistolae familiares aliquot Mureti, Lambini, & Regii. *Multae tamen Mureti desunt, in Catilinar. in librum de orig. jur. lib.* V. *Ethicorum &c.*

in epistolis (1), *do dicoque tibi commentarium in libros Aristotelis de Arte dicendi.* Tunc enim solum librum illum Latinum fecit, postea a. 1585. etiam primum, ambosque excusos Bencio suo sine ullis commentariis dedicavit. Commentariorum, sive, ut Muretus vocat, explicationis in Catilinarias duo nos exempla in Bibliotheca Mureti reperimus; primum prioris editionis Venetae *ap. Jo. Gryphium a.* 1557. in cujus titulo Muretus scripsit manu sua, *post Venetam editionem multis locis ab auctore ipso aucta & emendata;* & sunt revera emendata quaedam, plura etiam addita, quae alterum exemplum *Parisiis apud Robertum Coulombel a.* 1581. repraesentat (2); mirorque haec non apparere in ea ejusdem explicationis editione, quae inserta est selectis commentariis in orationes Ciceronis, quos vidi cusos Coloniae a. 1621. (3). Idem annus 1556. arctissimo amicitiae vinculo, ut diximus, conjunxit viros duos eruditissimos, Lambinum & Muretum, atque hujus veluti societatis tabulas, id est, a Lambino scriptas litteras, nos, ut opinor, primi vulgamus. Quid deinde acciderit, & quae causa animorum conjunctionem diremerit, superius exposui. Damus etiam Manutii epistolam Mureto, ex qua cognoscimus, prid. Cal. Septembris Patavii hunc fuisse, atque in Euripide describendo utrumque occupatum. Anno sequenti 1557. Muretus Commentarios scripsit in 1. Tusculanam Ciceronis. Apographum nos habemus hoc titulo; *Marci Antonii Mureti Commentationum in primam Cicero-*

(1) *Tom. 2. pag. 409. Edit. Comin.*
(2) *In exemplo hujus editionis adscriptum est:* Muretus ipse dono mihi discipulo suo F. Bencio librum hunc dedit III. Id. Maji a. 1582.
(3) *H. t.* In omnes M. Tullii Ciceronis orationes selecta Commentaria, notae, scholia, & annot. doctissimorum virorum.

ceronis Tusculanam liber singularis. MDLVII. (1) Edita est haec Commentatio cum aliis Mureti Philologicis (2) Ingolstadii a. 1602. Nimirum hoc anno Muretus eum Ciceronis librum sibi explicandum sumpserat, ut docet oratione IV. (3), quam tunc pariter habuit mense Octobri; in qua etiam, anno superiore narrat explicasse libros de Finibus: coeperat enim consilium, ut alternis annis, modo Ciceronis orationes, modo ejusdem Philosophicos libros interpretaretur: *Itaque*, inquit in ea oratione Muretus, *primus, ut meministis, annus in aliquot Verrinae accusationis librorum explicatione consumptus est; secundo dissidentes veterum de summo bono sententias quinque libris expositas accurate persecuti sumus; tertium Catilinariae sibi orationes vindicarunt: hoc autem quarto, quem nunc felicibus ingredimur auspiciis, ... decrevi animos vestros ipsa sui cognitione pascere &c.* Haec mense ajebat Octobri anno 1557. qui erat ex quo Venetias adierat quartus. Quare Manutius (4), quae ad Tibullum, & Propertium ille scripserat, admiratus; *Gratulor*, inquit, *tibi de ista facultate, & eo magis, quod si locis impertitur gloria, novum decus accedet ad Italiam nostram, in qua sedem auctore atque auspice me uno, ita locasti, ut cogitare nihil prorsus de migratione videaris: nec vero secus debes; valde enim ad litterarum elegantiam, planeque ad omnem humanitatem tibi profuit hoc coelum, e quo jam per quadriennium spiritus hauris.* Lambinus vero in litteris, quibus versionem Ethicorum ad Nicomachum Turnonio dedicat a. d. XVII. Cal. Maji a. 1558.

(1) *Est etiam in prima vacua pagina manu Mureti adnotatum* VII. Cal. Novembr. anno 1577. ad tertiam horam noctis tonare coepit. & quidem vehementer.

(2) *Id est. Commentariis in 1. & 2. Rhetor. Arist. in libros* V. *de Finib. in oration. pro Dejotar. offic. &c.*

(3) *Edit. Comin. pag. 34. tom. 1.*

(4) *Lib. 3. ep. 20.*

a. 1558. de Mureto scribit; *Cujus eloquentiam ac doctrinam quadriennium jam admirantur Venetiae.*

10. Verum eo tempore non Venetiis, sed Patavii erat Muretus; ut quadriennium illud nec exactum omnino sit, nec ad illud usque tempus pertigerit. Patavio enim Muretus eum Lambini laborem *purioris ac politioris Philosophiae studiosis* commendat litteris datis Nonis Martii. Patavio quoque eodem anno Nonis Maji scholia in Tibullum sua inscribit Torquato Bembo Petri F., quibus alia scholia in Propertium adnectuntur, quae Francisco Gonzagae dedicavit Kal Sextil. item Commentarius in Catullum recognitus iterumque vulgatus. De his scholiis & Commentario Manutii epistolae (1) saepe loquuntur; volebatque ab ipso impetrare, ut longior aliquanto esset; pervincere tamen non potuit (2), ut quartum Propertii librum attingeret: quod quasi excusans Muretus haec addidit in extremo; *Atque haec in praesentia sint satis: nam ut neque ultimum librum attingerem, & in ceteris essem restrictior, id mihi caussae fuit, quod, & in hunc poëtam, & in Tibullum, si quando aliquis mihi Deus ocium fecerit, justos commentarios paro:* quod nunquam executus est. De iisdem scholiis Muretus ipse in libris variarum lectionum. Cum Patavii esset Muretus, Manutius Venetiis, plurimae inter utrumque litterae commearunt, quibus ex αὐτοχειάφῳ nostro diem omissam restituimus, cum de Manutio loqueremur. Post discessum Venetiis, incidisse in morbum & febri laborasse Muretum, Alexander Justinianus litteris ad eum datis significat. Sed jam morbo levabatur, & com-

(1) *Vid. epist. Manut. lib.* 3. *epist.* 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. & 22.

(2) *Epist.* 10. Totusne quartus liber ita mendosus aut obscurus est, nihil ut assequare, nihil scriptione dignum excogites? mihi non probabis &c.

& convaluisse cito videtur. Patavii ergo Muretus, non, ut Venetiis publice docebat, sed privatim nobiles aliquot adolescentes erudiebat, quibuscum vivebat. Occasio haec fuit, ut nescio, quid rumoris adversus Mureti famam disseminaretur; quod Mureto Lambinus indicavit; eique respondens Muretus, auctoribus valde succenset, indicatque se, ea calumnia, quae Venetias etiam pervaserat, valde conturbari; itaque parum aberat, quin aut in Graeciam, aut in aliquas solas terras cogitaret. Atque haec nimirum erat, aut accesserat alia causa, cur Manutius scriberet, quasi cum eo deliberans; *De rebus tuis, quae mihi mehercule magnae curae sunt, consilium dies afferet; animus certe meus fluctuat; ita multa in utramque partem occurrunt; placet constantia, ita, sed si cum utilitate conjungatur: utilitatem porro non lucro magis, quam dignitate metiamur: quod tu quoque videris significare in illo loco. „ Vellem hic paullo ἐντιμότερον vivere liceret.*" Sunt haec Mureti postrema verba, sive de fortuna, sive de occupatione sua conquerentis. Finem tamen fecit, accepta Cardinalis Hippolyti Estensis conditione, quem Muretum, in familiam suam se ut cooptaret, expetivisse, discimus ex litteris Cardinalis ipsius, & Petri Moriai. Consilium hoc Mureti non omnino probasse Manutium, testis est ejus epistola (1), qua suadet, ut Muretus non modo tranquillitatis, sed habeat etiam rationem constantiae suae, velitque Patavinam commorationem esse quam longissimam. Interea vero propositam Mureto fuisse aliam condicionem opimam, atque admodum honorificam, avide a multis, & ambitiose petitam, quam, quia tuebatur officium, & Cardinali Estensi promiserat, rejecerit; ex eodem Manutio (2) habemus; item (3) neces-

se

(1) *Lib.* 3. *ep.* 24. *Manut.*
(2) *Ibid. ep.* 25.
(3) *Ibid. ep.* 26.

se fuisse Mureto, veluti repentine discedere, & Ferrariam se conferre; in quo discessu jacturam fecit rei familiaris. Caussam ex litteris ipsis quas nos vulgamus perspicere possumus; quod Cardinalis Estensis vellet Muretum quam primum esse apud se, suspicatus fortasse, diem ducere, morasque nectere minus necessarias. Antea vero id percupivisse Muretum, & ad facilius impetrandum, monitu amici sui Petri Morini, litteras commendatitias impetrasse a Cardinali Turnonio, litterae jam editae (1) declarant. Sed in conditionibus fortasse erat quod Mureto non placeret, aut expositum disertius vellet. Idem autem Muretus (2) narrat, jussum a Turnonio *praecise & sine ulla exceptione* se Estensi dedere. Nescio vero ad quem pertineat Lambini illud scribentis (3) Mureto; Turnonii familiares omnes comitesque laetari, illum tendiculis, & plagis, quibus captabatur, extricatum esse; Turnonium ipsum probasse litteras ad eum scriptas; gaudere libertatem ei homini non commisisse, qui illum cupide primum & honorifice accersivisset, deinde fastidiose exclusisset, post mutato iterum consilio, revocasset. Et bene quidem Mureto cessit, quando Estensis sui liberalitate ac benignitate in ejus familia ac domo ocium nactus est, *& plurimum, & honestissimum*, quod nulla alia re quam litterarum, & bonarum artium tractatione consumeret; ut Muretus ipse, cum libros suos variarum lectionum ei dedicaret, publice professus est; addens eam praecipue caussam Cardinalem ipsum commovisse, ut aditum sibi ad familiaritatem illius ultro patefaceret, quod ea studia a puero excoluerat; atque eumdem etiam affirmasse saepe,

(1) *Edit. Brut. pag.* 380. *lib.* 1. *ep.* 2. *Mur.*
(2) *Edit. Brut. pag.* 391. *lib.* 1. *ep.* 6. *Muret.* Quando vir clariss. Card. Turnonius praecise, & sine ulla exceptione jubet, ut dedam me Hippolyto Estensi Card. Ferrariensi, geram ei morem [illegible].
(3) *Edit. Brut. pag.* 382.

saepe, nullum sibi a Mureto genus obsequii praestari posse jucundius, quam si omne tempus poneret in litteris, & litterarum fructum aliquem cum aliis communicaret, quod & ei ornamento, & aliis usui, & sibi oblectationi esse posset. Ita ergo cum viveret Muretus, ut se tanto beneficio gratum exhiberet, opus hoc variarum lectionum ipsi dedicavit. Opus tamen quod emissum tunc est continet tantum libros VIII. editum *Venetiis ex officina Jordani Zileti a.* MDLIX. Hoc discedentem Venetiis reliquisse se apud Sixtum Medicem, scribit Manutio Muretus (1); idque ibi Manutius se reperisse dicit, mirifice illud extollens (2). Litteris quibus opus dedicat Cardinali Estensi dies adscriptus non est in editis; adscripsit tamen exemplo suo, quod nos habemus, Muretus *Kal. Maji* 1559. *Ferrariae*: itaque Ferrariae jam erat apud Estensem eo die; imo ibidem jam fuisse Idib. Februarii, Manutii litterae nostrae demonstrant. His octo lectionum libris accessere alii postea, nimirum a. 1580. a Plantino libri editi sunt universim XV. totidemque rursus ab eodem Plantino anno 1586. atque eodem anno Parisiis *apud Thomam Brumennium*, Andreas Schottus libros alios reliquos IV. edendos curavit, editique sunt anno 1606. (3); ita ut omnes sint XIX. quot in *lampade* Gruteriana (4) repraesentantur, & nos in codd. Mureti ipsius mss. habemus; & in Veronensi editione (ubi tamen postremi IV. separatim positi inveniuntur) impressi sunt. Quid autem sibi curatores hujus editionis velint, cum ajunt eos libros expressos ad Parisiensem editionem anni 1531. nemo, opinor, intelligit; nec dici potuisse jam Niceronus (5), & Frey-

(1) *Lib.* 2. *ep.* 10.
(2) *Lib.* 3. *ep.* 27. *Manut.*
(3) *Augustae Vindelicorum.*
(4) *Tom.* 2. *pag.* 807.
(5) Memoir. *tom.* 27. *pag.* 168.

& Freytag (1) monuerunt. Nos his tantummodo animadvertimus, omissam in 4. postremis libris interpretationem Graecorum locorum, & in antiquiore editione factam esse VIII. librorum a Nicolao Nathanaëlo Cretensi, praemissa lectoribus epistola data Venetiis IX. Cal. Quinct. 1559. quae quidem epistola in reliquis editionibus cum Latine redditi sunt alii loci praetermissa est. Atque hic ille est Nathanaël, cujus Graecam epistolam ad Muretum in antiquiore editione epistolarum hujus habemus (2), quae pariter, cur in reliquis praeterita sit, equidem ignoro; & digna est, quae vel ob Mureti laudes in hominem doctum effusas, vel ob Nathanaëlis memoriam, vel etiam ob ejusdem elegantiam quamdam legatur.

II. Cum in Hippolyti Cardinalis familiam coöptatus esset Muretus, Romam eum assectatus est, ibique fuisse anno 1560. ex epistolarum inscriptione liquet. Extant etiam inter Mureti orationes, duae ad Pium IV. Pont. Max. habitae eodem anno; prima, ut ei collatum Pontificatum gratularetur, nomine Francisci II. Galliae Regis, cum ob id etiam extra ordinem oratorem misisset Franciscus Joannem Cabonem a Burdaesia, Episcopi Engolismensis, qui consueto oratoris munere pro eo fungebatur, fratrem; altera eadem de causa dicta postridie Id. Decembr. nomine Antonii Regis Navarrae: Sunt autem antiquioris editionis (3), & Aldinae (4) IV. & V., recentioris Veronensis, & Cominianae V. & VI. Primam etiam vidimus separatim editam hoc titulo; *M. Antonii Mureti ad Pium IV. Pont. Max.*

oratio

(1) *Appar. litter. tom. 3. pag. 675.*
(2) *Paris. 1580. pag. 61.*
(3) Venetiis apud Marcum Amadorum Bibliopolam Romanum a. 1571.
(4) Venetiis a. 1575. apud Aldum.

oratio Francisci II. Galliae & Scotiae Regis nomine habita Romae postridie Kalend. Maj. anno MDLX. (1). Scripsit praeterea Muretus orationem pro Alfonso II. Ferrariae Duce; etsi, ut in titulo ipso adnotatum reperio, non est ab eo habita (2). Atque his nimirum annis, & Ferrariensis Cardinalis sui causa, consecutus tandem est Muretus, quod vehementissime exoptaverat, in Galliam aditus ut pateret. Fatendum est enim, & testes sunt Lambini litterae (3), momordisse ejus animum hanc curam, quam auferre Lambinus curabat, etsi aliquantum negare Muretus videtur (4). Cum ergo Pontificis Legatus in Gallias se conferret Cardinalis Estensis, eum in Gallias sectatus est Muretus. De anno mihi non convenit cum Menagio (5), & Niceronio (6). Nam hi ad annum rejiciunt 1562. Liquere autem puto, accidisse anno superiore. Et de Estensi quidem Cardinali, vel conventus ille Poissiacus rem certam facit: aut enim eidem interfuit (7), aut in Galliam saltem pervenerat (8). De Mureto vero testantur monumenta nostra. Itaque ad Ciceronis Tusculanas editas cum Turnebi commentario anno 1553. idem scripsit: *M. Antonius Muretus mihi emi Lutetiae mense Octobri* MDLXI. Mansisse ibidem consequenti anno, eadem significant: nam in libro Taciti

(1) Romae apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem a. 1560

(2) *Est vol.* I. XVIII. *antiq. edit. recent.* XI.

(3) *In collect. Brut. pag.* 385.

(4) *Ibid. pag.* 388. *in particula Graece scripta.*

(5) *Tom.* I. *pag* 344.

(6) *L. all. pag.* 150.

(7) *Non adfuisse initio Hippolytum, narrat Spondanus ad a.* 1561. *n.* 16. *Eo intervallo, quod inter publicos, & privatos aliquos conventus interfuit, pervenisse Hippolytum in Regis aulam Daniel ad h. a. Vide Raynaldum ad a.* 1561. *n.* 93. *Pallavicinum hist. Conc. Tridunt. lib.* 15. *cap.* 14. *quosque hi testes producunt.*

(8) *V. tom.* 3. Delle lettere di Principi *Venet. edit. a.* 1581. *pag.* 238.

diti edito a Gryphio a. 1542. legitur: *Emtus Lutetiae a. 1562. mense Jan. assibus 12.* In Asconio Pediano edito Lugduni apud Joannem Tornesium a. 1551. *Emtus Lutetiae postridie Id. Martii anno* 1562. In Nicolai Leonici Thomaei libro de varia historia: *Muretus emi Lutetiae Idibus Maji a.* 1562. In Gallicis vero Annalibus Gildes adnotatum est; *Donnè à Marc Antoine de Muret par Gabriel Buon à Paris* 1562. Sed de hoc anno luculentum testimonium extat in Philippicis Ciceronis, quas ex vetustissimo libro emendatas ex Italia Muretus attulit in Gallias, & Adriano Turnebo dedicavit litteris datis *Lutetiae Idib. Mart. anno* MDLXII. (1), quas sic exorditur; *Cum ex Italia octavo post anno in Galliam mihi esse redeundum viderem &c.* Atque hic fortasse locus in errorem induxit Menagium, ut ad hunc annum rejiceret Mureti reditum in Galliam; sive alius in Gulielmi Canteri epistola (2) scripta *Francofurti nundinis autumnalibus anni* MDLXIV. in qua revocat Mureto in mentem consuetudinem suam, & convictum cum Aurato; *Cujus ego*, inquit, *convictu, cum tu annos duos in Galliam venisses, fruebar.* Sed contra illa testimonia, exigui haec momenti sunt; quae etiam facile explicantur, si, quod saepe fit in rationibus ineundis, extrema includantur, aut excludantur: atque ita ab a 1554. ad 1561. octo anni sunt; ab anno 1562. ad 1564. biennium; nisi mavis Canterum, *venisse* Muretum in Gallias dicere totum id tempus, quo in Gallia fuit. Hoc Gallicae commorationis tempore epistolas IV. (3) habemus scriptas Jacobo Canano, Medico; ex quarum prima, afflictum eum novimus octiduum febri tertiana duplici, & sanguinis missione curatum; secum habuisse prae-

(1) *Extant lib.* 3. *ep.* 28. *Muret.*
(2) *Ibid. ep.* 42.
(3) *Ibid.* 26. 27. 28. & 29.

praeter alios, qui eum juvarent, Hieronymum Lippomanum; aliquid illi negotii fuisse in Gallia, in votis tamen habere Italiam: itaque illa scripsit; *Equidem negare non possum, quin tanto desiderio mihi sit Italia, quanto fortasse nemini nostrum*: quod desiderium pariter altera epistola declarat; *O mi Canane, qui tandem finis hujus tam molestae peregrinationis futurus est? Quando erit, ut ad Eridani, aut, quod malim, ad Tiberis ripam inambulantes concinere possimus illud Euripidis „ Suavis est laborum praeteritorum „ memoria!"* Romanum domicilium tunc desiderasse, & amasse, postea multis in locis significavit: atque in *Synonymia Geographica* Ortelii scripsit manu sua, Catullianos versus aemulatus:

Me grato complexa sinu tenet aurea Roma,
Roma virum & virtutum omnium amica domus.

Hujus Gallicae commorationis tempore dedisse operam Bartholomaeo Ferro, ut Theologiam disceret, insequenti epistola narrat; *Unum me male habet*, ait, *Theologi absentia, quem desidero & ut discipulum magister, & ut magistrum discipulus; operas enim permutare inter nos coeperamus, ut ego eum Graecas litteras, ipse me Theologiam doceret*. Multa in his epistolis de rebus gestis eorum temporum narrat, quae nil attinet hic afferre.

12. Dicemus nunc de annis 1563. 1564. 1565. & 1566. quos quidem annos ideo conjungimus, quod Romam rediens Muretus omnes eos posuit in uno eodemque munere tradendae Moralis, ut vocant, Philosophiae. Quamquam horum primi, id est, 1563. partem aliquam vixisse Lutetiae, testem dabo ipsum Muretum, qui in Synesio Graece edito a Turnebo scripsit: *Emtus Lutetiae mense Januario a. 1563.* & in libro Historiae Aethiopicae Heliodori: *Muretus mihi*

mihi emi Lutetiae anno MDLXIII. Sed eodem anno repetivisse Romam, & coepisse publice explicare Ethicos Aristotelis libros, ejusdem libri nostri clamant. Extat enim in collegii hujus Romani Bibliotheca Aristotelis *Ethica ad Nicomachum* ex recensione Petri Victorii edita Florentiae apud Junctas a. 1560. Huic libro puris insertis foliis explicationem suam Muretus adscripsit; praemissa hujusmodi adnotatiuncula; *Incoepi explicare hos libros Romae* XVI. *die mensis Novembr. a.* MDLXIII. *Pii IV. Pontificis Maximi jussu.* Atque eodem die orationem habuisse; eam quae nunc ordine VII. numeratur, olim III., ex ejus titulo constat, qui nunc ei praepositus est. Haec trium illarum, quas diximus Alexio Paganuccio dedicatas, postrema, impressa est anno 1564., subjectumque habet in fine *habita* XVI. *Kal. Decembr.* 1563. in fronte vero libri, ubi hae tres orationes indicantur; *Tertia; cum ejusdem Pontificis* (Pii IV.) *jussu Aristotelis libros de moribus publice interpretaturus esset:* quod ipse etiam sub extremum orationis ejus profitetur; uti etiam in sequenti oratione, quam altero muneris sui anno habuit. Qui de *Gymnasio Romano* non multis ab hinc annis scripsit, P. Joseph Carafa, inter Philosophiae Moralis Doctores numerans Muretum, narrat (1), eum docuisse stipendio aureorum centum. Consequentibus annis alias habuit orationes, anno 1564. VII. Id. Novembr. cum venisset ad eam partem, in qua de temperantia agitur: anno 1565. postrid. Non. Mart. cum interpretaturus esset V. librum; demum anno eodem XVI. Id. Nov. cum ad VI. librum pervenisset. Hoc pariter anno librum V. versum a se Latine dedicavit Auditoribus suis praefixa epistola data Kal. Martii. Liber hic, ita uti dixi, Latinus ab eo factus

(1) pag. 358.

ctus, editus est ad calcem voluminis primi orationum in antiquioribus editionibus, id est a. 1571. & 1575. Verum seorsum etiam editum habeo Romae *apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem a.* MDLXV, qui quidem liber, cum manu Mureti ipsius adnotationes emendationesque aliquas contineat, non erit, credo, injucundum, unam aliquam earum videre, ut, quantum accuratus esset in verbis Muretus, possimus aestimare. In epistola Auditoribus suis, cum legeretur de Aristotele & Cicerone: *neque quicquam tam dissitum sit, quam eorum inter se dicendi genus;* Muretus, inducto verbo *dissitum*, substituit *diversum;* in editis nunc ab anno 1571. repositum est *dissimile.* Sed brevis hic Mureti labor (iis praesertim, qui interpretationis alicujus experimentum nullum fecerunt) videri possit, si cum ceteris conferatur; iis dico, quos illustrandis explicandisque illis omnibus decem Ethicorum libris vir doctus impendit. Editi sunt postea hi commentarii Ingolstadii anno 1602. (1) cum aliis quibusdam Mureti Philologicis; narratque is, qui illos edidit, perituros eos fuisse, *nisi illa Andreas Schottus Soc. Jesu, Mureti admirator, ex sparsis schediasmatis, quorum multa ipsius Mureti manu exarata erant, collegisset, thesaurique loco conservasset.* Latuere videlicet virum diligentem thesauri nostri. Nam illa (exceptis dumtaxat pauculis aliquot lacunis) Mureti manu descripta habemus omnia, & Graeco Aristoteleo textui, quem explicabat, inserta, ex quibus multa etiam correctius exhiberi possent, sicur haec iterum vulgare placeret. Atque hinc nimirum intelligimus, verum id esse, quod postrema harum orationum, quas modo appellavimus, affirmat Muretus Auditoribus suis: *At nos quidem scitis, vix ullum*

(1) Apud Adamum Sartorium.

ullum praeceptum tradere solitos esse, quin ei illustrando repetitam ex Graeca Romanaque historia exemplorum lucem adhibeamus; rursumque: *Nos vero ex optimis utriusque linguae Poëtis pulcherrima quaeque libantes, perpetuo disputationes nostras ejus quasi salis aspersione condimus.* Postremo horum annorum, id est, 1566. nova laborum accessio facta est Mureto, cum VII Id. Januar. Pontifex Romanus factus esset Pius V., scribendarum scilicet orationum nomine Principum, qui novo Pontifici legationem destinabant. Habuit autem earum unam (1) pro Alfonso II. Duce Ferrariae, alteram (2) pro Carolo IX. Rege Galliae, tertiam (quae tamen pertinet ad sequentem annum) pro Sigismundo Rege Poloniae: denique in adversariis Mureti invenimus nos orationem aliam, sive orationis potius fragmentum manu Mureti ipsius scriptum, nomine Pauli Foxii: eratque adscripta nota temporis 13. *Aug. hora* XI., opinor, quo scribere eam incoeperat: pertinere autem puto ad annum, de quo diximus, 1566 De altera harum orationum, haec Muretus Sacrato (3); *Habui eam nudiustertius* (scribebat vero IV. Id. Octobr. 1566.) *tanta omnium approbatione, quanta mihi nunquam contigerat.* His, quos diximus, annis Romae diversabatur Muretus: itaque falsa est inscriptio in litteris Errico Memmio (4) Lutetiae *A. d.* XVIII. *Cal. Novembr. a.* 1564. nec tamen ita fuit Romae assiduus, ut pedem nunquam extra Urbis pomoeria efferret. Tibur

(1) *Est in antiq. edit.* XIX. *in recent.* XII. *Vide & separatim editam hoc titulo*; M. Antonii Mureti ad Pium V. Pont. Max. oratio Illustrissimi, & excellentissimi Principis Alfonsi II. Ferrariae Ducis nomine habita Romae v. Cal. Quinctiles anno MDLXVI. Romae apud Julium Bolanum de Accoltis in banchis in via Paulina a. 1566.

(2) *In antiq edit.* XVI. *in recent.* XX.

(3) *Lib.* 4. *ep.* 15.

(4) *Edit. Paris. pag.* 98.

Tibur enim subinde divertebat, ubi Ferrariensis Cardinalis magnificentissimam villam extruxerat. Itaque in Terentii Comoediis a Faerno recognitis adscripsit: *Hunc librum Vincentius Laureus M. Antonio Mureto dono dedit Tibure* MDLXV. *mense Sept.* Tibure etiam scribit Petro Perpiniano (1) XVI. Cal. Septembr. 1564. de profectionibus duabus suis Romam intra paucos dies.

13. Anno 1567. munus docendi Philosophiae genus illud fructuosissimum, quod ad mores pertinet, Muretus commutavit, tractatione suscepta Juris civilis. Miror, inter ejus Professores Romanos praeteritum eum fuisse a Cl. Carafa: etsi alibi Pandectas illum explicasse narravit. Numerant vero Muretum inter egregios Jurisconsultos facultatis hujus peritissimi, laudantque ejus consilium, conatusque in Jurisprudentia cum politioribus artibus, & antiquitatis cognitione concilianda. Unum hic eorum producam Everardum Ottonem, qui producturus Mureti opuscula quaedam Juridica post alia quaedam Henrici a Suerint, scribit (2): *Proximum locum tenent M. Antonii Mureti hilarioris nominis scripta quotquot edidit Juridica, ut Observationum liber singularis, tum commentarius ad Pomponium de Origine juris, nec non ad titulos Pandectarum, de legibus, de jurisdictione, & de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. Muretus quidem in Philosophis, Historicis, Oratoribus, & Poëtis, qua Graecis, qua Latinis enarrandis vel emendandis totus fuit, ac tum Venetiis, tum Romae juventutem ad dicendum instituit, nec quisquam nisi hospes in litteris, quam singularis illius viri in fucatis deprehendendis, & genuinis eruendis fuerit sagacitas, ignorat. Non vulgarem tamen operam simul impendit studio Juris civilis, ac Pandectas e superiore loco*

(1) *Lib.* 2. *ep.* 39.
(2) *In Praefat. tomi* IV. *Thesauri Juris Romani.*

loco in Gymnasio Romano, magna Auditorum frequentia, per quadriennium interpretatus est. Neque enim cum ceteris e trivio Magistellis in Glossatorum sterquiliniis habitare pulchrum ducebat, sed novo prorsus, atque ad eam diem ibi inaudito more, ad ipsos naturae, & civilis prudentiae fontes adiit, unde omnia juris principia ducuntur; tum quoque omnem veteris Reip. cognitionem, & antiquitatis monumenta cum Latini sermonis elegantia conjunxit: satis certus, cujus civitatis quis neque linguam teneat, neque formam, leges, mores, instituta cognoverit, ejus jus civile non posse ab eo, quamlibet ingeniosus sit, commode explicari. Subjicit deinde in eamdem sententiam locum ex ejus epistola ad Odiscalcum (1), & quaedam in his ipsis Juridicis operibus notat. Cogitabat vero Muretus edere multo plura. Nam cum aestivis mensibus Tibur secederet, in eo secessu novi semper aliquid edolabat, ut idem scribit Odiscalco: coeperat vero consilium, ea quae *e superiore loco dixerat*, id est, in Gymnasio Romano explicarat, *in publicum emittere*, quoniam multos id cupere videbat, ut ipse pariter in dedicatione commentarii ad IV. titulos digestorum significat Idib. Sept. a. 1580. Nihil vero emissum est, quod sciam, praeter ea, quae Otto numeravit, & *notas* quasdam ad libros IV. Institutionum Justiniani (2). Cum vero hoc anno Muretus Pandectas interpretari inciperet, habuit orationem (3), qua eloquentiam ceterasque disciplinas, nequaquam esse ab Jurisprudentiae studio sejungendas, contendit. Habitam arbitror (nam diem appositam non invenio) sub finem anni hujus; & Muretum annum sequentem 1568, totum in Pandectis expli-

(1) *Lib. 2. ep. 85.*

(2) *Memorat hunc librum Augustinus Fontana P. 1. Bibl. Legal. pag. 793. editum Lugduni a. 1602.*

(3) *Antiqu. edit.* VIII. *recens.* XV.

explicandis exegisse. Poenituisse tamen hominem suscepti muneris postea, videtur; voluit enim se illo abdicare. Atque ita consilium suum consiliique caussam explicat initio orationis (1) habitae prid. Cal. Martii anno 1569.: *Nam in hoc publice docendi munere quinquennium jam cum aliqua hominum approbatione versatus, eo me, ut scitis. superioribus mensibus sponte abdicaveram . . . jamque totus in eo eram, ut me non languori quidem ac desidiae dederem, qui semper ignavorum vitam mortemque juxta aestimassem, sed ad eas artes mecum recolendas ac celebrandas referrem, quibus usque a puero deditus fui, & ad mandandas litteris cogitationes quasdam meas, quibus efficerem, conarer quidem certe, ut quod mihi otium Hippolyti Cardinalis Ferrariensis, studiorum ac fortunarum mearum patroni, summa liberalitate conceditur, ejus aliquis fructus non ad praesentes modo, & eos qui nunc sunt, sed & nunc ad externos, & olim ad posteros perveniret.* Addit postea, admirari se Cardinalium beneficentiam; qui, cum alii ultro publicum illud docendi munus deposcerent, conferre sibi illud voluerint, libueritque ipsis, se *alia jam omnia cogitantem, etiam cum aliqua ad vetus honorarium accessione revocare, quam in locum suum aliquem ex iis sufficere, ac substituere, qui id in beneficii loco petebant.* Quinquennium, quo publice se docuisse affirmat, repetendum est a XVI. Kal. Decembris a. 1563. quo die coepit Ethicorum libros explicare. Itaque videtur muneri se abdicasse mense Novembri a. 1568. Praeter vero eam causam, quam indicavit, celebrandarum recolendarumque earum artium, quibus a puero insueverat, aliam puto fuisse, malevolorum quorumdam atque invidorum hominum obtrectationes. Etenim in epistola illa Odiscalco haec habet: *Nondum audiisse te puto, me hic Pandectas publice interpretari,*

nec

(1) Antiqu. edit. IX. recent. XVI.

non sine aliqua molestia eorum, qui nollent configi oculos cornicibus, & „ *Quae juvenes didicere, senes perdenda fateri* „: & postea in dedicatione commentarii ad titulos digestorum, ubi restitutam Juris civilis scientiam narravit a doctissimis eruditissimisque viris: *Quorum*, inquit, *ego vestigia pro virium mearum modulo persequens, totum illud quadriennium, quo libros digestorum in hac urbe interpretatus sum, dedi equidem operam, ut quotidie plurima istorum, qui tanti in vulgus fierent, ac foedissima errata detegerem, & ingeniosorum adolescentium animos ad meliora converterem; effecissemque omnino aliquid, nisi hominum nudari subsellia sua, & cornicum oculos configi dolentium conquestiones obstitissent.* Ex quo quidem postremo loco habemus (quod alibi etiam idem prodit) quadriennium totum in Jure civili tradendo, explicandisque Pandectis posuisse: quamobrem ab extremo anno 1567. ad extremum 1571. eo munere perfunctus est. Atque hoc intervallo a. 1569. prid. Non. Novembr. Orationem habuit, cum inciperet interpretari titulum *De Pactis*; explicans rationem ac viam, qua tradenda esset Jurisprudentia: item anno 1571. postrid. Non. Novembr. cum ad titulum *De Judiciis* pervenisset, de Judicum auctoritate atque officio. Cum vero celebre illud praelium commissum esset, quod nobilissima victoria de Turcarum gente ad Naupactum secuta est, pro qua solemni modo rituque gratiae Deo Romae actae sunt; illo pariter anno Idib. Decembr. dixit de hoc argumento Muretus in aede sacra B. Mariae Capitolina, sive, ut vulgo nuncupant, *de Ara coeli*, tanto concursu hominum, quantum ipse non facile credidisset; ut idem scribit Paulo Sacrato (1). De editione vero ejus orationis, addit in eadem epistola: *Quamvis autem res erat*

(1) *Lib.* 2. *ep.* 22.

erat nihili, *tamen ita multi quotidie petebant*, *describendi sibi potestatem fieri*, *ut satius visum sit*, *semel quicquid esset librariis permittere*: *praesertim cum Magistratus Populi Romani judicarent*, *id ad ipsius Populi dignitatem pertinere*. Eadem est Italice versa, & sic etiam typis Romanis (1) commissa. Non praeteribo hoc loco, quod ad Mureti nominis celebritatem pertinet; amicitia junctum eum fuisse cum Martino Navarro, celeberrimo horum temporum Theologiae, Jurisque Pontificii doctore; Itaque in exemplo edito ejus Apologiae de Reditibus Ecclesiasticis scriptum invenio Mureti manu; *M. Antoni Mureti*, *dono Auctoris Romae mense Novembri a.* 1571

14. Anno 1572. Muretum Jus civile non vulgari via, id est, barbaro impolitoque genere dicendi, quodque a Philosophis, sive Poëtis, sive aliis, praeter Jurisconsultos, ornamenta respueret, tradere ingressum, & *in opere institutoque pulcherrimo quartum jam annum* (ut ejus verbis utar) *magna auditorum frequentia*, *magna animi contentione versantem*, Cardinales in medio cursu insistere, aliudque munus suscipere coëgerunt. Ita ipse initio orationis, quam Nonis Novembr. habuit; qui & continuo ista subdit: *Nam cum homo eruditissimus*, *qui tradendis eloquentiae praeceptis in hac urbe consenuerat*, *& afflicta valetudine*, *& ipsa jam aetate otium ac quietem postulante*, *missionem a vobis honestissimam postulasset*, *nec ei facile successor idoneus reperiri posse videretur*, *mihi potissimum mandandam esse ab eo derelictam*

(1) *Hoc titulo*: Oratione di M. Antonio Mureto dottore e cittadino Romano recitata per ordine del Popolo Romano dopo 'l ritorno in Roma de l'Illustrissimo, & Excellentissimo Sig. Marc' Antonio Colonna da la felicissima vittoria di mare contra Turchi, tradotta di Latino in volgare, *versaque pagina additur*; Fu recitata nella Chiesa di S. Maria in Araceli in Campidoglio a li 13. di Decembre 1571. *Edita & separatim Latine eodem titulo Latino.*

tiam provinciam, censuisstis. Quis ille fuerit homo eruditissimus, cui nunc Muretus succesferit, fateor me nescire: atque haec dumtaxat legi in Cl. Carafa scribente de Mureto (1): *M. Antonius Muretus, Lemovicensis, insignis Jurisconsultus, Philosophus, Orator, Poëta, primum docuit in patria, Venetiisque, mox a Card. Hippolyto Estensi Romam vocatus, docuit in scholis Urbis Philosophiam Moralem., tum Pandectas, denique anno* 1576. *sub Gregorio* XIII. *Rhetoricam hora vespertina, stipendio aureorum quingentorum, simul cum Camotio, & Correa, Professoribus matutinis, & a. D.* 1582. *stipendio aureorum septingentorum.* Non credo, haec omnia convenire posse cum iis, quae sunt a nobis antea constituta: nec tamen dictorum poenitet. Illud de 700. scutorum atque amplius stipendio confirmat in funebri oratione Bencius. Nam ubi narravit, Muretum a Polonorum Rege Bathoreo cupidissime expetitum, accersitumque amplissimis praemiis in Poloniam; retentum vero a Gregorio XIII. tum sua sponte, tum Romanorum Magistratuum admonitu: *qui Mureto,* inquit, *ipsi aliquot ante annis ultro detulerant jus Romanae civitatis;* subdit: *Qua etiam ratione effectum est, ut tantum stipendium decerneretur homini amplissimo, quantum haud scio, an unquam antea nemini.* Sed rem magis expresse, magis etiam luculenter Muretus ipse respondens Zamoscio, qui in Poloniam Regis sui nomine eum invitaverat, declarat; praeter opinionem scilicet suam accidisse, ut cum ad iter se accingeret, subito ostenderit Gregorius Pontifex, ejus profectionem sibi non placere, monendumque curasse, ex Urbe ne discederet, sibi curae fore, ut ne in Urbe deteriore conditione esset, quam quae illi in Polonia deferretur: *Quin etiam* (ait Muretus) *ad*

(1) Pag. 318.

ad quingentorum aureorum stipendium, quod mihi jam pridem constitutum erat, statim ducentos adjici jussit, mandavitque Datario suo, primo quoque tempore quoquomodo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur. De civitate Romana, quam Mureto collatam aliquot ante annos Bencius dicebat, hoc unum habeo, non solum eo anno, quo cum Zamoscio de itinere suo egit (id. anno 1577.) sed anno 1572. quo orationem habuit in funere Pii V, civem Romanum in ejus titulo dici; imo anno superiori 1571. cum *S. P. Q. R. mandatu* in reditu ad Urbem M. Antonii Columnae dixit: quae fortasse collatae civitatis occasio fuit. Hoc credo dicere voluisse eos, qui in litteris, quas vulgamus, *Equitem Romanum* appellavere; nisi illud sit, quod in rationibus suis adnotavit de S. Pauli, ut dicitur, *Cavalierato* ab eo empto. Quod de Cardinalibus etiam ajebat Muretus, qui aliud ei munus, aliamque interpretationem tradiderunt; eos nimirum significat, qui Romanae Academiae praeërant; quosque alibi (1) *summos viros* appellat, *quorum auctoritate atque imperio omnium studia diriguntur:* atque ibidem (annus erat 1573.) significat, eos fuisse Cardinales IV. Jo. Moronum, sacri Collegii Decanum, Aloysium Cornelium, Camerarium, Gulielmum Sirletum, & Franciscum Alciatum; quibus eo anno Gregorius Pontifex, Philippum Boncompagnum adjunxerat. Amisit vero columen praesidiumque studiorum suorum Muretus anno quem dicebamus 1572. Hippolytum Estensem. In illo variarum suarum lectionum exemplo impresso, quo utebatur, multaque addidit manu sua, post epistolam eorum librorum nuncupatoriam eidem Cardinali, haec habet: *Hippolytus Cardinalis Ferrariensis die Martis 2. mensis Decembris anno Domini* MDLXXII. *excessit e vita paullo ante horam vicesimam.*

(1) *Orat. antiq. edit.* 13. *recent.* 23.

mam. Requiescat in pace. Natus erat, ut saepe ex ipso audivi, die 25. mensis Augusti anno MDIX. *Ego domi ipsius vixi annos quatuordecim ipsos, ab eoque semper acceptus sum lautissime, & liberalissime: ἐλπίδες ἀνθρώπων ἐλαφραὶ θεαί.* Eumdem alias saepius laudaverat; atque idem fere in postremis variarum lectionum libris dixerat (1). Cum ergo apud illum Muretus, & in Gallia, & Ferrariae, & Romae esset, hinc solemnes illae litterarum ad Muretum inscriptiones, quales Manutii, Giphanii, aliorumque vulgamus; *nella Corte dell' Illustrissimo Cardinal di Ferrara. Roma.* Parentavit vero Patrono suo Muretus oratione habita in ejus funere III. Non. Decembr. Tibure, ut ex ipsa oratione liquet: quae nescio, qua de causa a Bencio in editione aliarum orationum praeterita, illis accessit in editione Ingolstadiensi. (2).

15. Non pergam hic singulas ab eo scriptas habitasque orationes recensere: nam longum id foret, easque in editis Mureti operibus, & habendarum caussam, nec non tempus earumdem, videre quilibet

(1) *Lib.* 16. *cap.* 4. Saepe mihi obversatur ante oculos Hippolytus Card. Ferrariensis; saepe etiam dormiens cogito; & magna caussa est, cur id facere debeam. Primus ille fortunarum mearum, quantulae illae tandem cumque sunt, auctor atque incoeptor fuit. Quindecim annos, & eo amplius, cum eo familiarissime vixi; cum optimus, & humanissimus Princeps sua mecum gravissimis de rebus consilia saepenumero communicaret; nonnunquam etiam eodem plane modo, quo magistri discipulorum ingenia interrogando experiri solent, meam super eis sententiam exquireret; a se interdum dissentientem aequo animo ferret, errantem amantissime redargueret, multarumque rerum ad vitam pertinentium, pro singulari prudentia, qua praeditus erat, admoneret. Praecipue autem cum Tibur secesseramus, ubi ille quotannis aestivos menses transigere solebat, nullus fere abibat dies, quin per studiorum speciem, aliis omnibus exclusis, horas aliquot una jucundissimis sermonibus consumeremus. *Vide &* *Mureti carmen inscriptum* Tibur.

(2) *Anno* 1600. *pag.* 193. *rejecta vero est in vol.* 2. *orat.* 25. *recent. edit.*

libet per se facile potest. Dicam id universim: singulis ferme annis, binas eum, aut etiam plures habuisse, vel novis in dies ad illum delatis argumentis, vel exigente id munere praelectionum suarum, interpretandorumque veterum Scriptorum; quo munere, ut Bencius etiam adnotavit, ad annum usque 1584. perfunctus est. Ad primum genus orationum pertinet funebris pro Pio V. quam eo ipso anno editam vidi (1), in cujus aversa primae paginae facie praeter Jo. Francisci epigramma in Muretum, legitur; *Habita est in aede D. Petri in Vaticano* v. *Id. Maj.* 1572. & in fine orationis; *Pius V. Pont. Max. obiit Kal. Maj.* 1572. Cum vero novus Pontifex factus esset Gregorius XIII. ad eumdem habuit orationem pro Rege Galliae, cum ad novum Pontificem salutandum propriam legationem destinasset, misissetque Nicolaum Rambolleti, Caroli Cardinalis fratrem, Praefectum custodiarum suarum. Edita est haec oratio una cum aliis Oratorum aliorum anno 1573. (2). Alterius generis Muretus habuit multas, easque ad bonarum artium institutiones, & veteres Scriptores intelligendos utilissimas. Atque animadvertendum hoc loco esse duco, bina quotannis fuisse initia praelectionum, Martio mense, ac mense Novembri: atque has postremas auspicatum post *quadrimestre tempus*, ut idem significat oratione, qua in Sallustium praefatus est (3); & ad III. Taciti librum (4) *solemnem quatuor mensium vacationem* appellat. Reliquos ergo menses praelectio-

(1) *Patavii apud Robertum Mejetum Pauli F. a* 1572. *nunc est vol.* 1. xx. *item in antiquior.*

(2) *Hoc tit.* Orationes pro Regibus & Principibus obedientiam praestantibus ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum. Romae apud Haeredes Antonii Bladii 1573.

(3) *Vol.* 2. *antiq. edit.* 9. *recens.* 13.

(4) *Orat.* 18. *vol.* 2.

lectionibus assignatos in partes duas dispescere solebat; & singulis spatiis suum Auctorem explicandum assignare, ad quem praefandi aliquid institutum suum servabat. Ita anno 1574. IV. Cal. Martii Platonis librum alterum de Rep. explicare aggressus est (1), habita oratione: iterum vero dixit III. Non. Novembris, cum Ciceronis libros de Officiis explanaturus esset (2). Aliquando tamen in ejusdem Scriptoris explicatione pergebat; nec omittebat tamen in eumdem publice praefari. Ita anno 1576. libros Rhetoricorum Aristotelis habuit in manibus, proposuitque auditoribus suis, atque orationes duas habuit, alteram postridie Non. Mart. (3); alteram (4) Non. Novemb. atque his anno sequenti addidit tertiam, (5) cum librum II. auspicaturus esset. Quamquam, si vere loqui volumus; nescio, an haec postrema, quam dixi, orationum numero haberi debeat, & merito recensita cum illis sit in novis editionibus; item ceterae eodem modo e Mureti commentariis abscissae, atque divulsae. Non enim aut id voluisse Muretus ipse videtur, cum a. 1571. orationes primum ederet suas (6), aut cum reliquas Bencius Mureto mortuo vulgaret. Sed qui Mureti opera postea ediderunt, cum plusquam ceteri, fecisse videri vellent, eaque reddere copiosiora, prooemiola quaedam, aut partes commentariorum magis eleganter & copiose scriptas, orationum nomine ornarunt. Ita orationem VII. *vol.* 2. e commentariis Mureti (7) expresserunt; orationem X. ex

(1) *Vol.* 2. *orat.* 2. *antiq. edit. recent.* 9.
(2) *Ib.* 5. *vel* 6.
(3) *Vol.* 2. *orat.* 6. *antiq. ed. recent.* 8.
(4) *Ibid. sequ.*
(5) *Vol.* 2. *orat.* 11. *recent. edit.*
(6) *Hanc esse editionem primam colliges ex lib.* 4. *ep.* 20.
(7) *Comment. ad Rhet. Arist. edit. Ingolstad. pag.* 252.

ex iis, quae ibidem in fine eorum commentariorum habentur: XI. indidem pariter hauserunt (1); XXI. & XXII. ex commentario in Ethicam Aristotelis (2). Atque hoc plane modo quantumlibet augere orationum numerum possemus. Quaero enim; quid deest prooemio illi, quo explicans caput 6. libri III. Ethicorum de fortitudine disserit, ut in orationum harum numerum veniat? Quid? cum in explicatione capitis II. libri II. multa de ratione philosophandi, ac de voluptatum illecebra eloquenter elegantissimeque interserit: nonne ex his quoque existere una, aut altera oratio possit? Jam vero in variis ipsis lectionibus prooemiola ista, & quasi diverticula sunt tam multa, ut tertium quoddam orationum volumen, si quis ea ex illis abscindat, repente sit exiturum. Sed non ferret aequo animo id, opinor, si viveret, qui ea distincta ab orationibus suis esse voluit, & cum reliquo corpore partes licet venustiores, & quasi coloratiores remanere. Itaque illa si quis orationum loco haberi velit, quod sint politissime atque elegantissime scripta, & numerosior quam in sermone quotidiano, & liquidior fluat oratio: habeat per me licet; a ceteris tamen orationibus, quae ad coronam dictae sunt, sejuncta atque distincta esse patiatur. Est praeterea aliud, quod in hanc rem moneam, doctus a Mureti libris; orationes quasdam ita proponi, quasi pars earum aliqua a Mureto scripta, vel etiam dicendo omissa desideretur; ut, quam Muretus dixit anno 1573. cum Platonis libros de optimo Reip. statu, & libros Ciceronis de Finibus suscepit explicandos (3): repraesentatur enim hac nota in fine adjecta; *Reliqua desiderantur*. Thomasius, quem ceteri

(1) *Ib. pag.* 110.
(2) *Pag.* 35. *&* 36. *alt. tom. ibidem edit.*
(3) *Vol.* 2. *orat.* 4. *in antiqu. edit.* 1.

ceteri secuti sunt, hoc de oratione illa judicium tulit; *Desiderantur hic argumenta reliqua pro sententia eorum, qui quaestionem Platonis in his libris praecipuam esse de Rep. censent*; *neque ultra dicendo progressus ipse videtur Muretus. Cetera enim, quae proposuerat, rejecit in sequens prooemium.* Nolim contendere de eo cum erudito illo viro. Hoc tamen affirmare possum; in adversariis Mureti orationem istam ita ut edita est inveniri; atque haec subjungi: *Sequitur ergo, ut vera sit. Alterum argumentum ex principio Timaei, ubi Socrates ipse summatim &c. Tertium ex quinto de Legibus, ubi de tribus* πολιτείαις. *Itaque illam primam quaestionem* περὶ δικαίου *esse tantum* ἔμβασιν εἰς τὴν περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας. *Audistis utrorumque argumenta. Nunc quid vere de hac quaestione dici possit, cognoscite: utrique recte dicunt. Nam* σκοπὸς *est &c.* Reliqua, ut in illo prooemio. Sub litura tamen post ea verba; *Audistis utrorumque argumenta*, haec sunt; *Quid autem hac de re statuendum sit, tradam die Sabbati: nam cras quidem, &c.* Itaque in hanc adducor opinionem, ut existimem (quod ex collatione aliarum orationum mihi quidem planum est,) Muretum promptissimo hominem ingenio atque eloquentia admirabili, ita tunc dixisse, ut ad temporis atque auditorum, qui interessent, adjuncta sibi reservaret statuere; utrum longius ad ea explicanda procederet, an tunc abrumperet orationem, & scholae insequentis diei cetera relinqueret. Sunt ejusdem generis aliae multae orationes; ut quam a. 1576. praemisit explicationi Aristotelis de arte dicendi. Eam enim, non quod mutila sit, sed quod eam producere, aut abrumpere ad auditorum coronam Muretus reservaret, habemus manu ipsius una cum commentario in eos Aristotelis libros.

16. De his, aliisque Commentariis, sive Philo-

logicis Mureti operibus uberior hic campus dicendi pateret, nisi longius provecti essemus: multa enim elucubravit his annis; nec ullum fere veterem Scriptorem induxit in scholam, quem a librariorum mendis non liberaret, vel luculento etiam commentario non ornaret, vel non interpretaretur Latine, si Graece loqueretur. Interpretatus autem est, (si complecti velimus omnes superioribus etiam annis explicatos) praeter librum v. Ethicorum ad Nicomachum, & septimum Topicorum cum Alexandri Aphrodisiensis commentario, de quibus diximus; secundum Rhetoricorum, quem anno 1577. Georgio Gozzio dedicavit (1); post primum etiam, ambosque impressos nuncupavit Id. Februar. a. 1585. Francisco Bencio (2) epistola, quae inter familiares Mureti ipsius relata est (3): Suscepisse vero se alibi (4) scribit hunc laborem *in gratiam piorum quorumdam & eruditorum hominum e Sodalitate Jesu; qui*, inquit, *pro auctoritate, qua plurimum apud me valent, egerunt mecum, ut id munus susciperem, quod interpretationem, qua in scholis suis uterentur, reperire se ullam negarent.* Quis vero in hoc aeque fastidioso ac perdifficili interpretandi opere (quod quale sit nemo, qui experiendo non didicerit, intelligere unquam potest) fuerit Muretus, si quis aveat cognoscere; peritissimum dabo harum rerum aestimatorem, Petrum Huetium, qui in libro altero *de Interpretatione*, qui est de claris Interpretibus, his annumerat Muretum, ac de eo haec, postquam nominavit Lambinum:

(1) *Hoc tit.* Aristotelis de Arte dicendi liber secundus M. Antonio Mureto interprete. Romae apud Haeredes Antonii Bladii Impressores Camerales. Anno MDLXXVII. *in* 4.

(2) Aristotelis Rhetoricorum libri duo M. Antonio Mureto Interprete. Romae apud Bartholomaeum Grassum MDLXXXV.

(3) *Lib.* 2. *ep.* 98.

(4) *Lib.* 4. *ep.* 73.

binum: *Non minus quidem ornatus M. Antonius Muretus, sed religiosus magis, nec castitati minus, quam elegantiae asservit; nec sententiam modo exprimit, sed genus ipsum dicendi, quoad licet, imitatur. Quod si plura in eo genere elaborasset, inter multos Interpretes prope singularis extitisset: sed tantum detraxit ex gloria, quantum ex eo studio decerpsit.* Editos emendatosque ab eo diximus veteres Scriptores, Terentium, Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium; idem fecit in Philippicis Ciceronis, in Tacito, & Seneca. Taciti tamen librum dumtaxat secundum ab eo vivo emissum vidi hoc titulo; *C. Cornelii Taciti Annalium ab excessu D. Augusti usque ad imperium Galbae liber secundus a M. Antonio Mureto emendatus. Romae ex typographia Vincentii Accoltii* 1581. Habemus vero editi libri hujus in Mureti bibliotheca exempla duo, in quorum uno, in vacuis paginis multis huic libro assutis, adnotationes suas ille conscripsit: imo in Taciti primis libris quinque (quot in Germania erudi homines inventos Leoni X. attulerunt, & Leo Beroaldo, *Academiae Romanae praeposito*, (1) recognoscendos edendosque dedit) idem fecit Muretus, ut hujus Scriptoris emendationes adscriberet margini libri, & in sepositis paginis adnotata multa, quae perpetui commentarii loco esse possunt. Edidit hos, Mureto mortuo, Schottus (2). Meminit commentarii

(1) *Ita se ipse vocat, cum Leoni hos libros dedicat;* Philippus Beroaldus Junior, Academiae Romanae Praepositus; *& modum, quo inventi sunt, narrat. Vide Fabricium Bibl. Lat. tom.* 1. *lib* 2. *cap.* 21. *Funccium de immin. Senect. L. L. pag.* 593.

(2) Marci Antonii Mureti, Presbyteri & Civis Romani, commentarii in quinque libros Annalium Cornelii Taciti, Ejusdem in Sallustium notae. Accessit Anonymi facula Georgio Codino Curopalatae accensa. Omnia nunc primum in lucem prolata A. 1604. Ingolstadii ex Typographia Adami Sartorii. *In ep. ded.* Andreas Schottus Antuerpianus Soc. Jesu Sac. qui pleraque opera Mureti necdum in lucem edita post excessum Auctoris ex ipsius adversariis eruit, & ut conservarentur, effecit.

lis Farnesii. Alii libri sunt, in quibus non Veteres modo auctores a librariorum mendis purgavit, atque integritati suae restituit, sed commentario in eos scripto explanavit. Nihil necesse est enumerare singulos, cum illos Ingolstadiensis editio repraesentet (1), (etsi dolendum videatur, nullam ex Italicis exhibere nobis omnes voluisse (2):) Si quem vero omisit, eum cum ceteris Mureti operibus diligenter Niceronus recensuit. Addimus his, quae nondum lucem vidisse credo, & in codicibus nostris extant, Adnotationes ad I. & II. Politicorum Aristotelis, ad nonnullas epistolarum ad Atticum, ad II. Tusculanam. Has, ceterasque non solum emendatissime scriptas habemus Mureti manu, sed diem etiam, quo eas elucubravit, aut auditoribus legit, praesignatam. Atque ita initio commentarii in Tusculanam alteram *postridie Nonas:* orationem, sive prooemium quoddam habuerat (ut in editis etiam legitur) *Non. Nov.* 1572. Commentario libri III. *de Officiis* praefigitur dies III. *Id. April.* 1575. Initio vero commentarii in Aristotelem de Arte dicendi, hunc praeposuit titulum: ΕΝ ΟΝΟΜΑΤΙ ΙΗΣΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΠΑΡΘΕΝΟΥ ΤΗΣ ΘΕΟΤΟΚΟΥ *coepi haec scribere Kal. Martiis* MDLXXVI. *Romae.* Initio commentarii in Sallustium III. *Non. Mart.* 1579. *Feliciter.*

(1) M. Ant. Mureti Presbyteri Commentarii in Arist. x. libros Ethicorum ad Nicomachum, & in Oeconomica. Arist. Topic. libri VII. & in eumdem Alexandri Aphrodisiensis interpretatio. Comment. in I. & II. Platonis de Rep. Notae in Cyropaediam, & ἀνάβασιν Xenophontis. An. 1602. Ingolstadii excudebat Adam Sartorius. *Alio tomo* Versio & Comment. in I. & II. Rhetor. Arist. in II. Quaest. Tusc. Notae in tres libros de Offic. in quinque de Finibus, & in Orat. pro Dejotaro. Commentar. in Catilinar. Ciceron. *Ibid.* 1602. *De Tacito, Sallustio &c. superius. Alibi alia.* Annotationes in Petronii Arbitri Satyricon Helenopoli 1610.

(2) *Editionis Veronensis non vidi nisi tomos 5. quintus autem paucis ex his continentur.*

citer: orationem habuerat III. Nonas: itaque diem hic atque alibi, non quo scripserit, sed quo illa dicenda erant in Schola, consignatum puto. Sic initio commentarii epistolarum ad Atticum *Non. Novemb.* praefatus publice fuerat prid. Non. Nov. 1582. Hoc etiam modo saepius ibi dies adscribitur, ubi non initium est novi commentarii, sed praelectionem, credo, suam abrumpere coactus est. Nam ad partem Commentarii in librum alterum Platonis de Rep. *τίς ἂν ἡ παιδεία*, in edit. Ingolstadiensi *pag.* 717. adscripsit XXII. *die Maji* 1573. *ἀτυχῶς*. In Commentario vero Taciti identidem *Non. Nov.* IX. *Januarii* 1581. III. *Id. Febr. Cal. Martii* 1582. *Feliciter liber* IV. Valerent haec ad cognoscendos praelectionum singularum dies. Utiliora esse arbitror adnotata alia quaedam ad libros, sive codd. suos. In Platone Graece edito a Valdero, & adnotationibus suis inspersо scripsit: *Paulus Manutius amicorum meorum in Italia antiquissimus & optimus ad meliorem, ut spero, vitam a Deo vocatus est postridie Nonas Apriles* 1574. *Romae.* In libris Aristot. de Rep. a Sepulveda versis, *Anno* 1574. *Cosmus Medices Magnus Dux Etruriae obiit Florentiae* XI. *Cal. Martii anno aetatis suae* LV. In lectionibus Canteri: *Gulielmus Canterus obiit* XVIII. *die mensis Maj.* MDLXXV. *in Aurora.* In libris Rhetoricorum Arist. Graecis editis a Victorio: *Anno* 1577. VIII. *die mensis Novembris visus est Romae a me & ab aliis innumerabilibus ingens Cometes, qui ferebatur a meridie in occasum; dicebatur constitutus inter Capricornum & Aquarium, elatus a terra cum maxime* 15. *gradibus, postea ternos gradus singulis noctibus attollebatur: oriebatur incipiente nocte, occidebat ante horam noctis secundam; coepit postea multo tardius occidere, sed magis ac magis attollebatur.* In Luciano Graece edito ab Aldo: *Nicolaus Majoranus, Episcopus Melfitanus,*

ram dedisset. In libris Variarum lectionum suis editionis Plantinianae 1580. scripsit Muretus: *M. Antonius Muretus Francisco Bencio, quem patrem mihi an filium justius vocem, constituere non possum, dono dedi.* Expressius vero in epistola, qua illi versionem suam Rhetoricorum Aristotelis dedicavit. Nam ubi quid a se in illum profectum sit, exposuit; id est, *quod multos ab hinc annos efflorescentem* (ait) *ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes praebui, in quibus postea Dei ope & industria tua fretus, eos progressus fecisti, ut in te jampridem & eximia dicendi vis, & minime vulgaris eruditio uno omnium ore celebretur:* addit de meritis in se Bencii: *At ego, nisi prorsus ingratum haberi me velim, quae quantaque tibi a me deberi agnoscam necesse est? Tu me primus tanto adolescentior tanto seniorem humana contemnere, & pleno gradu ad Divina properare docuisti; cum in ipso vernantis aetatis flore, posthabitis voluptatibus, ambitione deposita, rejectis aliis omnibus curis, in istam te sanctissimam, & orbi terrarum fructuosissimam hominum Cultui divino mancipatorum Sodalitatem contulisti, cum in suscepto semel consilio tam constanter perstitisti, neque cessisti illorum vocibus, qui cum in Collegiis vestris educati essent, & illic didicissent istud nescio quid quod jactant litterarum, a quo ipsi Ordine flagitiose desciverant, in eum ne nomen dares absterrere conabantur: in quem tu semel admissus ita vitam instituisti, ut facile declaraveris, non illum caecum quemdam, ut ipsi mentiebantur, ac temerarium impetum, sed divini Numinis instinctum atque afflatum fuisse secutum; & ut ad ea redeam, quae ad me proprie pertinent, nunquam ex illo consiliis, praeceptis, cohortationibus juvare me, & faces ac stimulos animo meo ad pietatem subdere destitisti; merito igitur ita te amo, & ut patrem filius, & ut filium pater; his enim nos, quae maxima sunt, caritatis vinculis bonitas divina copulavit.*

Addit

Addit J. Nicius Erythraeus, ab eo tempore relictis profanis Scriptoribus consuevisse tempus omne impendere in divinarum Litterarum, earumque interpretum lectione. Id facere omnino vetabat publicum docendi munus, & Senecae opera ab eo postea emendata falsum docent. Id tamen interpretor de iis Scriptoribus, ex quibus delectatio potius quaedam, quam ad animum bonis moribus informandum, utilitas peti solet. Itaque de se ipse prodit in postremis variarum lectionum libris (1), quos his annis scripsisse puto (2): *Repuerascere me cogit amor in meos. Itaque qui jampridem & Comoedias, & cetera ludicra posueram, ut graviora, & huic aetati convenientiora curarem, nunc ut consulam studiis M. Antonii, qui natura fratris mei filius est, caritate & benevolentia meus, Terentium, amores olim ac delicias meas, sumo interdum in manus, ejusque fabulas cum optimae spei puerulo, magna cum animi mei voluptate percurro.*

18. Locus hic admonet, ut de Mureto hoc juniore aliquid dicam. Nec tamen de ejus anno natali solicite quaerendum mihi esse duco: fateor enim constituere me illum non posse, cum patruus ei scribens Idibus Novembr. a. 1580. dicat: *Cum igitur pridie Kal. Januarii, qui dies tibi natalis est, congressurus sis cum Deo propitio ac benevolente in annum aetatis duae decimum* (3), quae verba annum designant 1571. diemque prid. Cal. Jan. idemque in titulo Graecarum sententiarum, quas illi scripserat eo anno, novennem puerum appellat. At in epitaphio: *Vixit ann.* XVI. *men.* V. *obiit prid. Non. Oct.* 1586.

(1) *Lib.* 16. *cap.* 3.

(2) *Lib.* 13. *cap.* 12. Nuper *librum Senecae de Providentia interpretatum se esse dicit: illa ergo scribebat post annum* 1575. *nec* 4. 1580. *cum edita sint, hos postremos libros confecerat.*

(3) *Ita in edit. Romana* 1581. *apud Vincentium Accoltum, Ingolstadiensi a.* 1600, *Coriniana &c.*

1586. (1), quae nos ad annum alium superiorem, mensemque alium ducunt. Cum vero adhuc puer patrem amisisset, statim post ejus obitum a M. Antonio patruo vocatus est Romam, ut in sinu & complexu suo, quemadmodum ad eum postea scripsit (2), educaretur. Ut vero moribus informaretur optimis, elucubravit a. 1578. illi librum Muretus hoc titulo: *Institutio puerilis ad M. Antonium fratris F.* quae edita deinde est, adjectis adnotationibus Antonii Constantini (3). Biennio post, id. a. 1580. sententias quasdam Graece scriptas eidem misit, ut quod in Latina lingua fecerat, id est, ut illa imbueretur, idem experiretur in Graeca. Primum bene cessisse, iisdem litteris, quibus Graecas has sententias mittit, Muretus testatur: sed dubium esse non potest, idem in altero evenisse, patrui ejusdem testimonio haec scribentis (4): *Non fraudabo gloriola sua scito & eleganti praeditum ingenio puerum, M. Antonium fratris mei filium, qui hodie jussus a me Xenophontis primum anabaseos conferre cum interpretatione Romuli, cum alia satis multa notavit ab interprete partim omissa, partim negligentius reddita, tum, quod animadversione mihi dignum visum est, cum & insigne sit, neque ab optimo typographo, qui tamen in notandis Romuli erratis satis alioqui diligens fuit, animadversionem &c.* Quamobrem verum vaticinium fuit cum patrui, tum Innocentii Giscaferri in epistola Mureto huic juniori, cum ei sententias Graece a patruo scriptas, & a se Latine factas mitteret; *Utinam*, inquit, *veniat aliquando tempus illud, cum ea videamus, quae patruum de indole tua saepe vaticinantem audio . . . , „ nam te majoribus ire per altum „ Auspi-*

(1) *Ita in editione orationum Ingolstad.* 1600., *Cominiana &c.*
(2) *Ep. ante Instit. pueril.*
(3) *Vid. edit.* 1584. *apud Acoltum, Ingolstadiensem* 1600. *&c.*
(4) *Lib.* XVII. *var. lect. cap.* 20.

„ *Auſpiciis manifeſta fides.*" Brevi tamen hae ſpes de optimo adoleſcente merito conceptae exaruerunt, vix enim annum, & menſes paucos patruo ſuperſtes fuit, mortuus a. 1586. *immatura morte praereptus ſumma ſpe, & animi, & ingenii adoleſcens*, ut ait de eo Bencius (1), cui eum patruus moriens commendaverat (2). Deceſſiſſe in *Seminario Romano* noſtro, cum ibidem vixiſſet menſes XVI. ab obitu, opinor, M. Antonii, monumenta, quae mss. habemus (3), teſtantur, quae etiam de ejus probitate atque innocentia teſtimonium dicunt. Et quoniam de verſibus fratris filio ſcriptis diximus, breviter hic de aliis carminibus ab eo elaboratis, & poëtica Mureti facultate. Multa verſu ſcripſit Muretus, eaque multiplicis variique argumenti. Nam praeter ea, quae juvenis cum edidiſſet *Juvenilia* appellavit, aetate grandior librum vulgavit Hymnorum ſacrorum, quos in ipſo libri titulo teſtatur, ſe elucubraſſe juſſu Ducis Mantuae (1): addit quaedam amicis ſcripta, Amatoria etiam nonnulla. Facta eſt altera Carminum editio a. 1581. (2) (priorem enim Aldus curavit anno 1575.) in qua Carminum ordo immutatus, additi etiam Hymni nonnulli, ut com-

(1) *In epiſt. dedic. vol. 2. orat.*

(2) *In epiſt. dedic. Senecae.*

(3) *In his haec ſcripta invenimus:* Mori in queſt' anno (1586. li 6. Ottobre M. Antonio Mureto. Queſto giovane venni di Francia in Roma, e ſtette in caſa di ſuo Zio, che mando il Nipote alle noſtre ſcuole, e volle, che nel Collegio frequentaſſe le Congregationi. Morte il Zio, il Nipote per tenerſi piu cuſtodito volle entrare nel Seminario Romano per Convittore. Vi viſſe 16. menſi, e vi ſi porto con ſomma lode di pieta e di prudenza. Sorpreſo da grave malattia mori avendo prima fatto teſtamento. Laſciava molte migliaja di ſcudi, accio ſi poneſſero a cenſo; e i frutti in perpetuo ſerviſſero a Zitelle povere Franceſi eſiſtenti in Roma, che voleſſero monacarſi nel Monaſtero di S. Suſanna.

(4) *Edit. Aldinae a. 1575.*

(5) *Romae ex officina Georgii Ferrarii.*

commune unius Confessoris Pontificis, *commune unius Virginis*, *in festo ss. Angelorum &c.* Praeterea alia quaedam Carmina ad Bencium, & Bencii ad Muretum; Psalmi aliqui versu redditi &c. Cum in his liberiora quaedam Mureto aetate maturiori displicerent, ea sunt in exemplo nostro obelo confixa. Itaque in editione Carminum Coloniensi anno 1600., ut Mureti, credo, voluntati (etsi aetatem is suam obierat) fieret satis, omissa sunt. Eodem anno cum Ingolstadii volumen alterum orationum vulgaretur, novusque epistolarum liber, de vulgandis etiam novis Mureti Carminibus cogitatum est, quae alteram voluminis illius partem occupant. Atque hinc nimirum in posterioribus editionibus carmina Mureti in libros tribui coepta, factusque est liber secundus, additis his, quae haec editio repraesentabat. Fatendum est tamen, si psalmos duos Latino carmine expressos excipias, & carmina *de Cruce*, *ad B. Virginem templi ad Nives*, & *de Ecclesia gentium*, nihil inibi inesse, quod prius lucem non viderit: cetera enim omnia ex *Juvenilibus* deprompta sunt; nisi forte distichon in insignia Lucae Sempronii. Itaque miror, aut adeo tunc in titulo ipso commendata fuisse, aut in Cominiana editione, cum alia quaedam ex Juvenilibus excerperentur, non esse cum his conjuncta. De ceteris editionibus Cominiana ipsa, Veronensi, Thomasiana nihil necesse est dicere, cum priores illae Thomasianam exprimant, adeo ut Veronensis paucula quaedam in Cominiana addita (1) (praeter excerpta ex Juvenilibus) neglexisse videatur. Recentiores hujusmodi editiones Carminibus Mureti addunt etiam ejus Tragoediam, quae Julius Caesar inscribitur. Eamdem in Juvenilibus

(1) *Tom. 3. pag. 305. Thomasianum etiam ordinem alicubi commutavit. V. pag. 53.*

ſibus olim excuſam, reddidit etiam editio Ingolſtadienſis. Itaque verum non eſt, quod Auct. diſſertationis de operibus, & editionibus Mureti putavit, Thomaſio eam nos debere. Quod vero iidem Mureti verſibus, & Inſtitutioni puerili, Graeciſque ſententiis Publii Syri Mimos adjunxerunt, ſecuti ſunt Ingolſtadienſem editionem, quae alia aliorum ſolet operibus Mureti admiſcere: admiſcuit enim ejus Philologicis, alterius adnotationes in libellum Curopalatae *de Officialibus Palatii Conſtantinopolitani &c.* quod nemo, opinor, probabit. Ceterum Muretus plurima alia verſu ſcripſit: atque aliqua quidem ipſe indicavit, ut (1) Hexametros Cardinali Turnonio, quos tamen non vidi; alios nos pſalmos, hymnos, & varii argumenti carmina ejus habemus; quae, ne proferamus omnia, impedit ſummi viri nomen, & exiſtimatio, quam vix ſuſtinere poſſe videntur. Et de Mureti quidem poëtica facultate, mire inter ſe diſcrepare video judicia hominum doctorum. Sunt, qui eam ita extollunt, ut negent quicquam fieri poſſe aut epigrammatis ejus elegantius, & Catullianis propius, ut Scaevola Sammarthanus (2); aut Elegiis in Tibullo exprimendo felicius, ut Petrus Petitus (3): denique Erythraeus de eo affirmat, *& elegos, & odas, & epigrammata, & hymnos ad veterum poëtarum elegantiam ſcripſiſſe;* quod & de Mureto judicium eſſe videtur Hadriani Bailleti (4). Contra alii relictum eum ab ardore illo, aeſtuque animi putant, qui eſt poëtarum proprius, utque Latine ſcriberet, anguſtius, & magis anxie, quam poëtae debent, ſcripſiſ-

(1) *Lib. 9. var. lect. cap. 1.*
(2) *Elog. lib. 3.*
(3) *Obſervat. epiſtol.*
(4) Jugem. *tom. 4. pag. 3. num. 1535.*

eoque commode uteretur, interprete Cardinali Sirleto, jam a Gregorio Pontifice impetraverat: *Vix dum* tamen, ut Bencius testatur (1), *absolverat Naturales Quaestiones, cum a Deo*, inquit Bencius, *ut speramus, evocatus ad divina contemplanda, humana deseruit*. Fidem facit, cum anteacta vita laudabiliter ducta, tum mors pie obita. Idem Bencius narrat (2), adeo non extimuisse mortem, ut secum saepe de ea, tamquam de migratione ex uno in alium locum, loqueretur; & cum laboraret molesto morbo, ac difficili pedum, jamjam sibi esse cedendum domo, cujus jam laborent fundamenta, quasi ludibundum dicere consuevisse. Addit effodere sibi pectus memoriam illius diei, antequam obiret tertii, *quo*, ait, *cum esset sacrosanctum Christi corpus Christiano more suscepturus, omnibus qui eo convenerant praesentibus atque audientibus, longo exordio supplex veniam a familiaribus petiit, atque ut sibi ignoscerent postulavit; quod eo fecit animi sensu ac dolore, ut ex illo numero, qui a lacrimis temperaret, invenires neminem. Post quem diem toto eo tempore, quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus illas modo voces interruptis suspiriis, o Jesu, o Deus, moribundus iterabat*. Vita functus est Muretus prid. Non. Jun. Altero die, id est, ipsis Nonis, elatus est, laudatusque funebri oratione a Francisco Bencio coram Cardinalibus Nicolao de Pelleve, Senonensi, qui testamenti curator a Mureto fuerat nominatus, & Carolo a Lotharingia de Vaudemont. Idem in aede S. Trinitatis, quam vulgo nunc *de Montibus* appellamus, ad aram maximam est sepultus, posita inscriptione, quam sibi vivens scripserat, *quae*, ut ait Erythraeus, *nihil veterum superstitionum, ut fit plerumque, oleat, sed quae pium, & Christianum ejus ani-*

(1) *In epist. dedic. Senec.*
(2) *In orat. funeb.*

animum in primis ostendat. (1). Effigies etiam oris ejus affícta atque aere incisa, unde chartis exprimeretur. Unam habeo, ubi praeter distichon, quod vulgo effigies ejus habent, est etiam epigramma, quod alii Bencio; alii Roscio tribuunt. Verum, ut ibi dicitur, verior imago est ejus, quam scripti libri operaque viri docti nobis exhibuerunt; in quibus nemo non elegantiam, non sponte fluentem orationem, blandeque & sine fuco accinentem auribus admiratur. Quod quidem eo est etiam mirandum magis, quod, ut Bencius, qui septem eum annos audiit, & familiarissime cum illo vixit, testatur: *Nihil unquam bis scribebat Muretus, cum tam multa scribebat, vix adeo bis legebat id ipsum quod scripserat; raro interpolabat; non saepe mutabat aliquid, aut emendabat, rarius demebat, delebat: ita cum uno quasi tenore fluerent omnia, nihil nisi aptum & accommodatum ad manum mentemque veniebat.* Faciunt hujusce rei fidem codices nostri. Cum enim pleraque ejus contineant, orationes, praelectiones, in Latinos Graecosque Auctores commentarios; ea ferme nullas lituras habent; etsi adversariis scripta & dispersa huc illuc, & in librorum editorum primis puris paginis adnotata, ut appareat, tunc primum de iis scriben-

(1) M. Antonius Muretus, Lemovix, ad Dei misericordiam obtinendam. piorum precibus adjuvari cupiens, corpus suum post mortem hoc loco sepeliri jussit: adtributis mille scutatis hujus Monasterii sodalibus, impositoque onere perpetui anniversarii. Nicolaus de Pelleve, Card. Senonen. Testam, execut. poni mand. Vixit ann. LIX. mens. II. obiit prid. Non. Jun. CIƆIƆLXXXV. *Postremam hanc notationem temporis adjectam postea; nemo non intelligit. Subjungitur ibidem epitaphium fratris filio*: M. A. Mureto, magni hujus Mureti fratris filio, aetate quidem & nominis celebrit. minori, spe autem & expectatione prope pari, immatura morte praerepto. Ludovicus Rualdus, Lemovix, & M. Ant. Lanfrancus, Veron. ejus testamento ad pias. caussas facto scripti executores pos. Vixit ann. XVI. mens. V. obiit prid. Oct. Non. CIƆIƆLXXXVI.

bendis cogitasse. Verum optimorum auctorum diligenti lectione, & tractatione assidua fotum ingenium erat, ut non pervestigare tunc cum scriberet, atque unde unde extrudere res ac sententias deberet. Non ergo mirandum, tam multa aut tam varia scribere potuisse. Senecae opera ex schedis ejus Bencius edidit, dedicavitque Cardinali Matthaeo Contarello, ex mortui voluntate. Favebat enim Contarellus cum maxime Mureto; eique vicissim addictissimus erat Muretus, positis etiam *domi suae*, ait idem Bencius, *quam emerat honestissimam*, *geminis* Cardinalis illius *insignibus*.

21. Distulimus ad hunc locum de epistolis dicere, vel quas Muretus scripsit, vel quae ad eum ab aliis missae sunt, quod in his recensendis praecipua pars operis hujus nostri versaretur. Epistolas Mureti aliquas, Lambino nimirum scriptas, ediderat inter epistolas clarorum virorum Jo. Michaël Brutus a. 1561. Deinde has ipsas cum Lambini, & Regii Epistolis editas vidimus Parisiis a. 1579. additis epistolis nuncupatoriis sive praefationibus Mureti in Juvenilia, in primum volumen orationum, in varias lectiones, Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, Propertium, Philippicas Ciceronis. Anno insequenti 1580. ibidem editae sunt seorsum Mureti epistolae hoc titulo: *M. Antonii Mureti, J: C. ac civis Romani, epistolae. Parisiis apud Michaëlem Clopejau a.* 1580. Sunt autem illae, quae in recentioribus editionibus operum Mureti (Veronensem dico, & Patavinam Cominii) conjectae sunt in librum II. A. 1600. Coloniae Agrippinae cum Mureti hymnis sunt quoque ejusdem epistolae editae, primumque distributae in libros duos, quorum primus ferme continet easdem, quas Parisiensis editio, adjectis tantummodo quatuor: Alter praefationes sive nuncupatorias epistolas jam simul collectas in Parisiensi edi-

ditione complectitur: itaque illudere voluisse videntur lectoribus, sive allicere bonos emptores, cum in libri fronte posuerunt; *editio ultima ab Auctore emendata, & integro epistolarum, praefationumque libro jam recens adaucta.* Fatendum tamen est, nonnullas accessisse epistolas, quae in Parisiensi non erant, & praefationes in v. Ethicorum Aristotelis, in Catilinarias omnes, & in titulos primos Pandectarum: licet contra omissae sint praefationes in Terentium, & Horatium. Eodem anno 1600. Ingolstadii apud Adamum Sartorium editum est orationum volumen alterum, adjecto, ut in fronte libri dicitur, *novo epistolarum libro*, M. Velsero magnam partem eas suppeditante. Sunt autem epistolae illae, quae deinde in edit. Veronensi & Cominiana librum IV. composuerunt. Solum in his additur ultima Gozzio, quae est nuncupatoria libri alterius Aristotelis de Rhetorica. Sunt tamen in recentioribus his editionibus libri hujus quarti, atque in libro Ingolstadiensi epistolae numero XCII. nam in Ingolstadiensi turpiter erratum est bis posita epistola eadem Bencio *num.* 90. & 91. Hos libros epistolarum tres complexus est Thomasius in editione sua, omissa tamen ultima Plantino, quod ea jam erat *num.* 79. posita, additisque duabus Fremioto, & Gozzio, quae erant nuncupatoriae quorumdam librorum, atque alia insuper appendice ex litteris Sacris. Atque hactenus belle ordo procedere videbatur; cum prima etiam omnium esset epistola Nicotio, atque hujus responsio, quibus epistolis de ipsis Mureti litteris agebatur. In Veronensi & Comin. editione, ut auctior haec epistolarum collectio prodiret, visum est ex Bruti collectione excerpere, quae ultro citroque missitaverant inter se Muretus & Lambinus; non profecto incommode, nisi ordinem conturbassent. Nam cum has ceteris praemi-

 ferint,

ferint, quasi commendare operam suam nova hac adjectione vellent, sive temporum rationem habentes; & librum ex his primum effecerint; incogitanter postea, quasi vetus ordo retentus librorum esset, sic epistolas, sicubi opus erat, nominarunt. Sic ad *ep.* 10. *libri* III. epistola 8. *libri* I. allegatur, quae est II., ad *ep.* 98. *libri* II. citatur *epist.* 73. *libri* II. quae est IV., ad *epist.* 45. *libri* II. epistola 5. *libri* II. quae est III. &c. uti etiam *tomo* I. ad orationem pro Carolo IX. Rege Galliae *liber* III. epistolarum ponitur, qui nominandus erat IV. Nos hic Mureti aliquas, quas lucem plerasque primo videre arbitramur, edituri sumus, multas vero, ut diximus, ad Muretum eorum, qui vel Mureti ipsius praeconio, vel nominis sui celebritate commendati sunt. Extulimus vero ex Mureti Bibliotheca, quam toties diximus ad nos pervenisse. Ne integra tamen pervenerit, multum vereor. Instructissimam enim habuisse constat, quam laudatam a viris eruditissimis invenimus, atque *in indice ante Gratiani Decretum in Jure Canonico* Romae Gregorio XIII. Pontifice emendato. Ceterum harum epistolarum, quae unius Auctoris sunt, eas conjungimus; ut cum de iisdem rebus ferme agant, facilius intelligi possint; in aliis temporis, quo scriptae sunt, rationem habendam, & ordinem retinendum nobis esse arbitramur. Nil attinet de earum pretio, & elegantia disseramus, proferamusque de illis hominum eruditissimorum judicia. Temperare tamen mihi non possum, quin externi hominis, atque alieni prorsus a nobis, id est, Danielis Georgii Morhofii de his verba recitem (1). Is ubi de Manutii, & Bunelli epistolis dixit, subjungit: *Mureti epistolae plus vigoris, & spiritus habere videntur: neque enim sollicita adeo imitatione scriptae apparent,*

(1) *In Polyhist. lib.* I. *cap.* 23.

rent, ut Manutianae, quae dejicere quodammodo, & supprimere animum videntur. Cum enim in formulas, & phrases intenti sumus (in his scilicet mire foecundus Manutius est, atque ex earum variatione continua, prima, ut ipse fatetur, eloquentiae fundamenta jecit) minor cura est, unde efflorescere sua sponte nativa quaedam, & argumento magis conveniens facundia solet. Multa in Mureti epistolis occurrunt ad rem litterariam pertinentia. De Mureto Erythraeus, ut ipse peritissimus artifex, vere judicat. „ Quis nostra aetate sermonis genere usus est adeo gravitatis, doctrinae, prudentiaeque referto, & in quo praeterea omnes verborum, omnes sententiarum illigentur lepores, praeter hunc? Quis magis Latine, pure, dilucide, suaviterque locutus est unquam; &, quod refert, qui oris pressu, & suavitate appellandarum litterarum se magis hujus civem urbis, non peregrinum significaret?" Scaliger in excerptis laudat, ut numeri ac periodorum singularem artificem. Haec Morhofius; quem ideo etiam afferre placuit, quod inter testes eloquentiae Mureti, qui ante ejus opera producti sunt, locum non invenit. Iisdem vero addi possunt Beyerlink *in Chron.* Capacius *in Elog. &c.* & ex recens editis Pogianus *vol.* 2. *epist. pag.* 188.



EPISTOLAE MURETI.

I.

M. Ant. Muretus Alexandro Riperio suo S. D. (1)



ERGE, ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia & seria & joca tua collocare: non magnus labor magno tibi olim honori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingrederis, multi humili & obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiamsi nulla ejusmodi praemia litteris proposita essent, ipsa tamen doctrina amanda est per se; neque quidquam in homine ingenuo turpius est ignoratione earum rerum, quarum scientia sine litteris comparari non potest. Voluptas, quae e rebus turpibus capitur, celeriter transit, dolorem autem in animo diuturnum relinquit: at labor in rebus honestis collocatus ipse quidem effugit, memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimae & solidissimae voluptatis. Hoc cogita, & vale. Postridie Id. Jul. Tibure, MDLXX.

Saluta

(1) Juvenem hunc eloquentiae studiosum, praeceptore Mureto, ex his litteris constat. In editis libro II. (editione Cominiana utimur) epistolae ad Riparium exhibentur octo a 58. ad 65. Illae omnes, postrema excepta, inerant in libello nostro descriptae: quod nimirum solae illae septem Tibure erant missae. Atque has Tibure scriptas jubet *epist.* 4. *nostra* Riparium Muretus in libellum conferre, quem esse ipsum hunc nostrum, ex eo conjicio, quod alicubi emendatio appareat Mureti ipsius manu. Sunt vero praeter illas septem, sex hae indidem missae, quae sequuntur in eo libello, & nunc primum, ut arbitror, proferuntur in lucem. Poteramus etiam, quae editae sunt, ex mss. codem emendare, & mutare aliquibus in locis: sed quod parvi momenti res esse viderentur, id facere omisimus, praeterquam in hac prima, quod satis magna ejus pars abscissa videbatur. In his, exceptis duabus, inscriptio nulla erat. Nolui eam ponere de meo: malo enim in istis plus quam oporteat, religiosus, quam nimium sapiens & parum prudens videri: quod & plerumque, id est, nisi ubi manifesta erant errata, in *ortographia* mihimet imperavi.

Saluta mihi diligenter parentes tuos, tum etiam alterum patrem tuum: ita enim praeceptorem merito vocaverim; qui quod in te formando praecipuam quamdam curam adhibet, idque, ut arbitror, mea commendatione adductus, adfirmato ei, nihil ipsum mihi facere posse gratius; neque, si se ulla unquam obtulerit occasio, non commissurum, ut in hominem ingratum hoc suum beneficium contulisse videatur.

II.

Muretus Alexandro Ripario suo S. D.

Noli affligare te, mi Alexander; ego te non deseram. Si alii & te & commendationes meas negligent, efficiam, ut eorum opera nihil indigeas. Tu modo habe animum bonum, morem gere parentibus tuis, & cave diligenter, ne quid admittas, cur illi tibi merito irasci possint. Hoc si tu praestabis, noli dubitare, ego tibi praestabo cetera. Spes est nos brevi istic fore. Conservato mihi illam pristinam hilaritatem tuam, & alacriter incumbe in studia. *Nil formidandum Teucro duce, & auspice Teucro.* Vale. Tibure. v. Id. Oct. MDLXX.

III.

Litterae tuae posteriores quaeque meliores. De ratione autem studiorum tuorum velim aliquid ad me scribas; quantum legas quotidie; num quid excerpas ex iis scriptoribus, quos legis; num quid e Latino sermone in vulgarem convertas; aut contra: Terentium, & Cyri paediam noli intermittere: Caesaris commentarios velim etiam legere incipias, ne pecunia illa tibi perierit. Confide, mi Alexander, &, quemadmodum te mihi facturum polliceris, office, ut re ipsa ostendas ac patefacias, te incensum esse amore litterarum. Omnia tibi affatim suppetent, si diligentia non deerit: in ea sunt omnia. Isocratis Junioris (1) dictum est, ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. Hoc tu tibi quasi ex oraculo dictum puta. Vale. Tibure. III. Id. Jul. MDLXX.

IV.

(1) V. eundem Mureti var. lect. lib. 1. cap. 8.

IV.

Binas litteras tuas, una cum his, accipies, alteras Latino, alteras eo quo vulgo utimur sermone scriptas. In Latinis nihil habui quod emendarem; quae res mihi summae voluptati fuit. Quare & tuas & meas omnes eodem in libro describito. Erit tibi olim jucundum considerare progressus tuos. Alexander mi, vale, & perge ea qua coepisti diligentia in studiis versari. Nihil facere aut mihi jucundius, aut tibi utilius potes. Tibure. Idibus Julii MDLXX.

V.

Remitto ad te omnes propemodum litteras, quas a te accepi, leviter a me emendatas. Vide, obsecro te, ut posthac & saepius & diligentius scribas. Vix enim credas, quantae mihi molestiae sint pueriles quidam errores, in quos incidere te frequenter video. Sicubi in generibus loquendi pauxillo minus usitatis, paulove obscurioribus laberis, non offendor. At cum ita erras, ut adhuc prima Grammaticorum praecepta ignorare videaris, indignor. Ac scis ipse, quam saepe tibi ob eam caussam iratus fuerim: quare te majorem in scribendo diligentiam adhibere par esset. Neque vero raritatem litterarum tuarum excusare ullo modo potes. Nam quae tandem esse possunt tua ista negotia? Magis vereor, ne te voluptates abstrahant & a scribendo, & a legendo: quibus tu si te dederis, actum est. Non equidem interdico tibi omni genere voluptatum; non sum usque eo inhumanus. Sed illae & honestae sint, & adhibeatur modus. Crede hoc mihi: verae & solidae voluptates nulla re magis quam contemptu inanium comparantur. Saluta parentes tuos verbis meis. Vale. Tibure. XVI. Kal. Sept. MDLXX.

Nihil adhuc audio de litteris Graecis, num eis imbui coeperis. Ea res mihi maximae curae est. Da operam modis omnibus, ne diutius trahatur (1). Mora omnis mihi molestissima futura est.

VI.

(1) Paucula verba quae sequuntur scripta sunt Mureti manu, & deleta ista; *Hoc mihi gratius, & tibi utilius facere nihil potes.* Quamobrem emendatio esse videtur Mureti ipsius recognoscentis litteras suas.

V I.

Nunc demum videris mihi rediisse ad veterem illam in scribendo diligentiam tuam, de qua superioribus diebus tantum detractum esse, non satis aequo, ne quid te celem, animo ferebam. Perge igitur, ut coepisti; quam potes & saepissime & accuratissime scribere. Nam ea res & mihi voluptati, & tibi utilitati summae futura est. Versus vero tui satis bonam spem mihi adferunt: insunt omnino errores quidam; sed eos emendabimus, cum una erimus.

V I I.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano suo (1).

Et litterae tuae sero admodum ad me perferuntur; & ex meis ad te quasdam intercipi video. Egi jam tibi gratias de libris, quos ad me misisti, e quibus maximo usui erit Priscianus. Ceteri tamen ipsi quoque usum aliquem praebebunt, praecipue Statius. Obsecro te, si quid de Gellio confici poterit, ut curae habeas. Etiam cum Jo. Baptista Stampa agito, si quid mihi opus adferre possit. Nam & ipsius instituto consentaneum est beneficiis adficere quam plurimis; & ego, si nihil aliud, certe eos omnes, a quibus aliquid accepero, ornabo. Dolet mihi, quod eum, qui mihi postremas a te litteras attulit, quem tu ut disertum doctrinae nobis a Deo traditae explicatorem, & praeclare apud vos eo munere functum mihi magno opere commendaras, videre nondum potui. Id eo accidit, quod cum ille a te mihi litteras & librum attulit, domi non eram: mei autem ita stupidi fuerunt, ut ne nomen quidem ipsius quaesierint; operam tamen dabo,

(1) Harum quoque Epistolarum Ciofano, quae in codd. nostris erant, quinque jam erant prolatae in lucem. Sex nos adjungimus, in quibus eumdem ad eloquentiam & eruditionem informat. In his cum plurima sunt notabilia, tum illa occurrit praeclarissima, & in juvenum animos altius demittenda sententia: *Quam potes plurima atque optima attentissime lege: haec una est ad eruditionem via.* De Ciofano Leonardus Nicodemus in *addit. ad Biblioth. Neapol.* Topp. (ejus opinio Sulmonensis.) Baillet *to.* 2. *p.* 2. *Jugem. n.* 404.

dabo, ut eum conveniam. De tuo nomine quod me consulis, fieri vix potest, ut ejus altera pars Graeca, altera Latina sit. Et certe cum illud verum est, omnia nomina θέσει εἰσι, οὐ φύσει, tum praecipue in familiarum nominibus vere hoc dici potest. Graecam litteram nullam ei censeo admisceas. De origine, si quid mihi in mentem veniet, faciam te certiorem. Mi Ciofane optime & suavissime, etiam atque etiam vale. Romae. IV. Id Mai. MDLXIX.

VIII.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano suo S. D.

Velim mihi credas, quod tam diu meis litteris carueris, tibi non molestius esse, quam mihi. Sed & multas a tuis ad me perlatas non esse, ex iis quae perlatae sunt intelligo; & qui paucas illas attulerunt, orati a me, ut ne sine meis ad te redirent, cum se id facturos polliciti essent, omnes praeter hunc adolescentem, qui postremas hasce attulit, neglectui habuerunt fidem. Tum quod mihi longe molestissimum est, Virgilium illum, de quo jam pridem ad me scripsisti, nunquam vidi, neque quaedam in Tibullum, quae te misisse significas. Quare vide, cui commiseris: nollem enim periisse illa. Quod de adventu huc tuo scribis, perjucundum mihi est: & ego tibi omnia quae in me erunt cumulatissime praestabo. De *meliore natura* apud Ovidium, jam viginti anni sunt (1), cum locus ille ita prorsus a me explicatus est, ut amico illi tuo, homini erudito, explicandum videri scribis. Neque sane nunc aliter sentio, quam tum sentiebam. Artem memoriae, quam tenere me putas, non teneo; &, ut verum tibi fatear, cum ex eo, de quo scripsi in libris variarum lectionum, discere eam possem, neglexi. Tibi tamen homini adolescenti non propterea negligendum puto. Si quid tecum huc adferes librorum veterum, facies rem mihi gratam, neque ipsi tibi inutilem. Certe enim, si nihil aliud, conferemus eos una, & aliquid in commune discemus. Noli a me petere, ut te amem: ferreus enim sim, nisi id sponte faciam, tam multis a te, & tam jucundis officiis provocatus. Vale. Romae. VII. Id. Novembr. MDLXIX.

IX.

(1) Anno ergo 1549. Ovidii hunc locum explicavit.

IX.

Muretus Ciofano S. D.

Binas a te litteras accepi, ad quas cur non prius responderim, nihil necesse est dicere, tibi praesertim, qui & pigritiam in hoc uno officii genere meam nosti, & occupationes meas. Oratio (1) mea neque edita est, neque edetur in Urbe saltem. Quod enim necesse habueram multa verba facere de ea pace, quae superioribus diebus in Galliis facta est, ea Pontifex etsi publice dici permisit, divulganda tamen non judicavit. Lutetiae tamen & Lugduni sine ulla dubitatione excudetur. Exemplar unum, si ad me plura mittentur, statim tibi curabitur. Interea servi valetudini, & urge studia tua, & facito, cum ad nos redibis, ut tibi fructus istius & otii & solitudinis constet. Vale. Romae, IV. Non. Quinctiles MDLXXVI.

X.

Muretus Ciofano S.

Qui litteras ad me tuas adferunt, redituros se, ut a me responsum auferant, pollicentur, neque unquam redeunt. Eo fit, ut & minus frequenter, & sero respondeam. Plantini litterae, ne quid tibi dissimulem, interpretatione non egent. Ille enim, etsi verecunde ac modeste, satis aperte tamen significat, se tibi operam dare non posse. Aliud igitur agamus censeo. Locus Horatii ita a me emendatus est, ut tu tibi emendandum videri scribis, ante hos viginti annos, id est, cum primum scholia in eum poëtam edidi. Error autem ille librariorum in litteris aut frustra geminandis, aut cum geminandae essent, omittendis, ita vulgatus est, & a tam multis notatus, ut nihil necesse sit plura conquirere. Litteras ad Plantinum tuas locis aliquot a me meliores factas ad te remitto. Urge studia; & ne latum quidem unguem a veterum scriptorum lectione abduci te patitor. Vino qui

nunq-

(1) Ad Gregorium XIII. nomine Henrici III.

utuntur vetere Plautus sapientes putat (1); ego eos qui veteribus scriptis. Nam quae quotidie ab istis scribendi cupidis prodeunt, multo sunt nequiora, quam numi novi. Cole igitur omni studio antiquitatem, & omnes partes illius diligenter accurateque perlustra. Inutilium ciborum esu corpora, inutilium librorum lectione ingenia corrumpuntur. Vale, VIII. Kal. Nov. MDLXXVI. Romae.

X I.

Muretus Ciofano S.

De Plantini voluntate maneo in sententia. Jussus est, inquis, ab Aria Montano. An putas Montano eam esse vim, ut jubeat? Suadebit, hortabitur, credo; jussurum non puto: est enim alienum a modestia ipsius. At significat Plantinus, se veterum Auctorum opera notis eruditorum hominum illustrata libenter editurum; credo. Itaque ipsam Ovidii Metamorphosim, ac notulas etiam quasdam e libro tuo sumptas non invitus, ut ego quidem arbitror, recudet: librum ipsum tuum non puto ab eo excusum iri. Falli tamen me velim, neque impedio, quo minus eum, si videbitur, urgeas. Cydonitem accepi; deque eo te amo. Sed eum qui litteras cum epistuas attulit, non vidi. Ovidii locos aliquos in variis lectionibus illustrabo, neque te praeteribo. Quae ad me misisti, una cum his litteris accipies. Vale, & quam potes plurima atque optima attentissime lege. Haec una est ad eruditionem via. Ex Urbe. A. d. VII. Decemb. MDLXXVI.

X I I.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano suo S. D.

Utut est, a discessu tuo unas tantum a te litteras accepi; ad quas ipsas quid respondeam non reperio; nihil enim continent, nisi commemorationem quandam minime necessariam jam pridem institutae inter nos amicitiae,

(1) Et Pindarus Olymp. 9. Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

citiae, & levem quamdam conquestionem, quod ad eas litteras non responderim, quas omnino non accepi. Ego te, Ciofane mi, amo ex animo; idque tibi, quoties se offeret occasio, re ipsa declaraturus sum, non in tuis tantum, sed in omnium qui mihi a te commendabuntur negotiis. Hoc amplius praestare nihil possum. Te, quidquid mihi gratum fore intelliges, curaturum, & quod in te erit, perfecturum esse, sat scio. Fac sciam, quod ad te hic expectare debeamus. Vale. Romae. Postridie Non. Sextil. MDLXXVIII.

XIII.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano Sulmonensi suo S. D.

Accepi volumen orationum, de quo amo te ut debeo plurimum: eo simul atque usus ero, remittam. *Demere partem de solido die* apud Horatium sine ulla dubitatione est meridiari, id est, ipso meridie horam unam aut alteram dormire: quod qui faciunt, diem quodammodo frangunt ac dividunt, neque eum unum ac solidum & ὁλόκληρον esse patiuntur. Itaque is qui demit partem de solido die, dicitur id facere; nunc *viridi membra sub arbuto stratus*, nunc *ad aquae lene caput sacrae*. Et hoc ipsum Varro alicubi vocat *diem dividere*. De verbo *deducendi*, cur eo vim ullam significari putes, non sane video. Cleopatra quidem neque volens, neque invita in triumpho ducta est. Ac non est tamen dubium, neminem volentem θριαμβευθῆναι. Nemo enim volens vincitur, aut poenas dat ei, adversum quem bellum gessit. Versus tui non insuaves sunt: & erit mihi gratum, si te, cum licebit, in hoc quoque genere exerceas. Ama me, & vale. Romae. IV. Id. Martias MDLXIX.

XIV.

X I V.

Muretus Melisso S. D. (1)

Negotium tuum mihi curae fuit, ut decebat. Sed cum omnes vias tentassem, quibus id quod cupiebas, adsequi posses, cumque super ea re multorum sententias exquisiissem; reperi te, id quod tibi gratis concedi postulas, ne magna quidem vi pecuniae numerata obtinere posse. Omnino, Melisse, ἀδυνάτων ἐρᾷς. Fuit olim aliquod tempus, cum ista quibusdam tribuebantur; post Concilium Tridentinum nemini concessa sunt, neque spes est concessum iri. Hoc ad te eo serius scribo, quod, nisi re diligenter explorata, scribere nolui; & clarissimus quoque vir Orator regius mihi, ut diligenter quaererem, mandaverat: cupiebat enim cum Pontifice agere, si spes ulla ostensa esset aliquid effectum iri. Nobis ipsis, hoc est, Cubiculariis Apostolicis, militibus SS. Petri & Pauli, ea prope omnia quae tu petis a superioribus Pontificibus concessa erant: sed, ut dixi, post Tridentinum Concilium sublata sunt. Itaque aliud quippiam tibi videndum est, in quo & Oratoris regii, & meam erga te voluntatem liquido perspicere possis. Nunquam enim patiemur quidquam, quod in potestate nostra situm sit, frustra a te desiderari. Manutius hic est. Cum eo aliquoties de re tua locutus sum. Ait se cupere omnia facere: sed χρημάτων ἀπορεῖ, ita ut sumptu suo facere id quod volumus, non queat. Non puto eum fingere: plane enim male a re domestica instructus est. Mi Melisse, vale, & ama me. *Romae.* V. Kal. Julias MDLXXIX.

X V.

M. Antonius Muretus Augustino Angelello S. D. (2)

Et antea te amabam ex amicorum communium sermonibus, & acceptis iis litteris, quas ad me superioribus

(1) Melissum hunc puto alias Schedium dictum, poëtam hoc saeculo non incelebrem; ut laurea etiam poëtarum corona donatus sit annos natus XXV. De eo Teisier tom. 4. pag. 410. Borrichius diss. 4. de Poët. Latin. &c.

(2) *Fabricanum* inscriptum alia manu. Huic scribit & Manutius ep. 30. lib. 8.

bus diebus dedisti, mirifica quaedam facta ad pristinam meam erga te voluntatem accessio est. Continebant enim & multas minime obscuras significationes, neque vulgaris doctrinae & amoris erga me prope singularis. Quare qui libentissime soleam amore complecti eos omnes, quibus in ipsis aliquid est cur amentur, & eos multo etiam libentius, quibus me carum esse sentio; te, in quem horum utrumque concurrit, nisi mei dissimilis esse velim, vehementer amem necesse est. Accedit illa quoque amoris caussa, quod magnam tibi & arctam familiaritatem cum Paulo Manutio fuisse video: quem ego & vivum amavi unice, & mortui memoriam sanctissime, ut debeo, colo. Si quid igitur tibi in mentem veniet, in quo me tua caussa aliquid efficere posse arbitreris, facito, ut de eo me amice & familiariter admoneas. Nihil enim erit, quod non in gratiam tuam coner, neque ulla in re patiar a te aut operam, aut fidem, aut gratiam meam quantula ea cumque est desiderari. Adolescenti, quem mihi commendasti, mea omnia prolixe detuli: si qua se ejus adjuvandi offeret occasio, perficiam, ut sentiat, tuam commendationem sibi apud me non mediocriter profuisse. Vale. Josephus Castalio, cum quo saepe de te colloquor, quique mihi & propter mores suavissimos, & propter ingenium omnibus disciplinis excultum carissimus est, te etiam atque etiam salutat. Romae. Idib. Aprilis. MDLXXVII.

XVI.

M. Antonius Muretus Philippo Poelario, Brugensi.

Si quid tua caussa feci, mi Philippe, minus omnino feci, quam aut ego cupiebam, aut tu merebaris. Tu quod mihi vel de discessu ex aedibus Marii gratias agas, vel ulla alia de re, nihil caussae est. Ego te amare coepi adductus judicio quod feceram de eruditione, deque moribus tuis. Neque tu opinioni de te meae defuisti. Non soleo autem facile deserere quos semel complexus sum. Quare cave putes, me unquam tibi ulla in re, quae quidem a me praestari queat, defuturum. De numismatis, quae ad me misisti, gratiam habeo, & spero fore, ut brevi tem-

tempore te remuneret; idque eo genere, quod tui similibus gratissimum esse consuevit. Cuperem ad te plura scribere: sed nosti occupationes meas. Tu si ad me de toto rerum tuarum statu, quod commodo tuo fiat, quam saepissime scripseris, rem mihi gratissimam feceris. Vale. Romae. III. Id. Novemb. MDLXXXIII.

XVII.

Andr. Austr. (1)
Illustriss. ac Reverendiss. Domine.

Visum est nuper Serenissimo D. N. Collegium Cardinalium, quod his proximis annis multorum obitu valde imminutum erat, augere atque amplificare cooptandis in illud multis claris ac praestantibus viris; inter quos mihi quoque, non tam ullis meritis meis, quam humanitate sua & vetere erga me benevolentia adductus, locum esse voluit. Gavisus sum optimi ac sapientissimi Principis tam honorifico de me judicio: etsi praeclare intelligo, quam tenuia & exigua sunt in me omnia, quae ad tantum munus pro dignitate sustinendum requiruntur. Sed parendum est consilio Dei, qui ut sapiens architectus, etiam vulgaribus lapidibus interdum utitur ad Ecclesiae suae substructionem. Nunc cum illustrissimae ac reverendissimae Dominationi tuae semper deditissimus fuerim, semperque optaverim dari mihi aliquod tempus, cum ei studium atque observantiam meam probare possem, judicavi mihi faciendum esse, ut primo quoque tempore ad eam de hac honoris mei amplificatione scriberem, meque ac mea omnia semper in ejus potestate fore profiterer. Peto autem ab ipsa, ut me in suis numeret: ac potentia quidem & auctoritate permultis, voluntate & studio erga se nemini unquam concessurum esse sibi plane persuadeat. Bene ac feliciter eam perpetuo valere cupio. Romae . . . Dec. MDLXXXIII.

XVIII.

(1) Quae sequitur epistola in schedis pariter Mureti inventa est, ipsius etiam manu scripta, liturisque alicubi emendata. Scripta videtur nomine Cardinalis alicujus creati a. 1583. Cardinali Andreae ab Austria.

XVIII.

M. Antonius Muretus purioris ac politioris Philosophiae Studiosis S. D. (1)

Quanta gratia, quantaque laus Dionysio Lambino homini omnium bonarum artium scientia instructissimo debeatur, cupio a vobis omnibus mea opera intelligi; qui cum decem Aristotelis de Moribus libros & reconditioris cujusdam doctrinae, & ejusmodi praeceptionum, quarum singularis utilitas ad omnes vitae partes pertineret ac permanaret, refertos esse cognosceret, quicquid obstare atque officere illorum, qui eos pervolutare cuperent, intelligentiae videretur, id omne ut removeret ac tolleret, nullum sibi laborem detrectandum putavit: eumque eorum, qui se ad Philosophiae studia conferunt, alii Graecae linguae gnari, Graece scriptos Aristotelis libros manibus terant; alii, quibus ad eam linguam perdiscendam vel tempus, vel magister, vel animus defuit, interpretum operam necessario desiderent; utrisque opem haudquaquam exiguam tulit. Quippe cum Graecorum exemplarium scriptura multis admodum locis, seu librariorum oscitans incuria, seu quaevis alia fatalis calamitas depravasset; conquisitis undique quam potuit plurimis perbonis, perque veteribus libris, non paucos, eorum auxilio, locos emendavit; nonnullos etiam acumine ingenii, & naturali quadam εὐστοχίᾳ felicissime restituit; postremo quoscumque amicorum in his libris insignioris operae aliquid aliquando posuisse acceperat, eos sibi adjutores ad tam praeclari operis perfectionem comparavit. Hoc labore perfunctus animum adjecit ad eosdem libros, omni adhibita diligentia, Latine interpretandos. Videbat enim, qui hactenus (2) inter-

(1) Quae sequuntur epistolae tres editae olim fuerant, ut superius diximus, sed in epistolis Mureti colligendis praeteritae. Hanc primam nos ex libri editi exemplo, quod Lambinus Mureto dono dederat, & erat manu sive Lambini, sive ejus librarii, ut magis mihi videtur, correctius, emendatiorem aliquanto damus.

(2) Rectius *adhuc*. *Hactenus* de *loco*, *adhuc* de *tempore* dicitur. D. R.

interpretes extitisfent, eorum partim omni orationis ornatu, omni flore neglecto, id modo ftudentes, ut cujusquemodi verbis Philofophi fententiam exprimerent, horridum quoddam & agrefte dicendi fectatos genus: alios fatis alioqui concinnos, non inelegantium vocularum ftructores, dum id agunt unum, ne quod verbum ponant quod non e Cicerone decerpferint, faepenumero longisfime ab Ariftotelis fententia aberrasfe: itaque alteros a multis propter orationis asperitatem non attingi; alteros a doctis & intelligentibus, propter fententiarum depravationem repudiari. Harum ipfe reprehenfionum ut in neutram incideret, magno ftudio enifus eft: ac quantum ego quidem judicare posfum, vel omnino, vel ex maxima parte id quod voluit confecutus. Erit autem hic labor utilis & fructuofus non modo rudibus Graecarum litterarum, (quamquam iis quidem plurimum) verum etiam eruditis. Non enim parum faepe contingit, ut quod Graece dictum vel optime intelligimus, id tamen Latine exprimere nequeamus: cui difficultati vix ulla res melius quam accurata & diligens hujus generis librorum lectio medeatur. Jam, cum haec fcriberem, facile perfpiciebam animo, tam laudabilibus amicisfimi hominis vigiliis duo parata genera reprehenforum fore: unum eorum, quibus Philofophiam polite eleganterque tractari non placet, quique hac comendae orationis cura detrahi aliquid de illius dignitate opinantur. In quibus illud primum eft quod admirer; fi ad rerum pulchritudinem verborum quoque fplendor accedat, cui tandem id incommodo arbitrentur fore? aut in fordibus & illuvie orationis quam tandem ipfi reperiant dignitatem? Nam Ariftoteles profecto ipfe, & illius magifter Plato, & qui ei fuccesfit in fchola Theophraftus, & ceteri deinceps, cum plurimum operae ac ftudii in rerum perveftigatione pofuisfent; illud quoque ftuduerunt, ut quae fcientia comprehendisfent, ea optimo & ornatisfimo dicendi genere explicarent. Quin hoc liquido affirmare posfe videor, multo eos magis folicitos de retinenda vocabulorum proprietate, quam ullos alios fcriptores fuisfe. Id fi in Graeca lingua factum eft, cur in Latina fieri, quantum quidem ipfius inopia fert, non debeat, equidem non video. Nam illud quidem nihil ad hanc rem pertinet, quod ipfi mihi faepenumero objectum eft, cum adverfus iftos

dispu-

disputarem; multos superiore aetate egregios, at praestantes Philosophos sine ullis orationis pigmentis fuisse, multos etiam hodie vivere; multos contra nostris temporibus exortos esse, qui Philosophiam se exornaturos professi, summam suam rerum philosophicarum inscientiam prodiderunt. Equidem, si alterutrum deferendum sit, multo malim sine orationis nitore cognitionem rerum, quam sine rerum intelligentia volubilitatem linguae; neque unquam ita amens sim, ut non aut divini hominis, Thomae Aquinatis, aut Alberti Magni indisertam sapientiam, ineruditae multorum loquacitati infinitis partibus anteponam. Sed si quis haec utraque conjungere conetur, & iis ipsis, quae sanctissimi illi & eruditissimi homines horride & inculte, temporum magis quam suo vitio tradiderunt, ornatum aliquem adhibere studeat, quis usque eo iniquus futurus est, ut ejus industriam contemnendam potius, quam commendandam putet? Alterum fortasse genus erit eorum, qui caussam nullam fuisse dicent, cur, post Joachimum Perionium, quisquam praeterea his libris in Latinum sermonem convertendis admoveret manus. His ego respondere nolo. Scholia, quae tum aliis, tum hac quoque de caussa hisce libris Lambinus adjecit, ea pro auctore suo respondeant, volo: quibus quidem in scholiis, si summo ipse jure cum Perionio agere voluisset, verendum erat, ne suspiciosis hominibus, & omnia ad deteriorem partem accipientibus, non tam probandae industriae suae, quam alienae vituperandae studio ad ea conscribenda adductus videretur. Modum igitur tenuit, aut potius intra modum constitit; & propositis paucis, de ceteris Lectores voluit suspicari; neque sibi majorem eruditionis & diligentiae, quam pudoris & modestiae rationem habendam esse duxit. Quare cum Lambinus ipse omni laude, atque omni praedicatione dignus est, tum Franciscus Turnonius, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis amplissimus, cujus benignitate Lambini studia foventur, longe dignissimus, pro cujus salute & incolumitate, quicumque haec studia colimus, assidue vota faciamus. Quod utinam & ceteri temporibus nostris principes viri exemplum illius in alendis honestarum artium hominibus imitarentur; & qui eorum opibus foventur, ocium suum hujus exemplo ad studia laudandarum artium, pro sua quisque parte adjuvanda conferrent. Valete. XX. Martii, CIↃIↃLVIII. Patavio.

XIX.

M. Antonius Muretus S. D. Alexio Paganuccio (1).

Ego vero ad eos versus, quos tu ad me amantissime & elegantissime scriptos miseras, statim respondi; neque satis mirari possum, qui factum sit, ut mei ad te perlati non sint. Sed eos quisquis intercepit, nae ille in re haud magni pretii utrique nostrum insignem injuriam fecit; mihi, quod nulla culpa mea, agrestis tibi quidam & inhumanus videri potui, qui ab homine amicissimo tam officiose provocatus nihil respondissem; tibi, quod caruisti ea voluptate, quam percepisses ex collatione tuorum cum meis. Etenim, mihi crede, tum tu denique tibi placuisses, si legisses mea; ut propemodum gratiam habiturus fuerim illi, qui ea intervertit, nisi multo me mallem malum poëtam, quam in conservanda hominum tui similium amicitia parum diligentem videri. Nunc a te peto quaesoque, ut, si mihi forte antehac nonnihil ob eam rem succensuisti, non minus te facilem ad deponendam, quam ad accipiendam offensionem praebeas; tibique persuadeas, tanti a me tuam, & Lucii fratris tui, hominis singulari quadam humanitate praediti, amicitiam fieri, quanti & vestra utriusque dignitas, & tua erga me merita postulant. Id etsi sperabam me a te non difficulter impetraturum, tamen quia ex Homero didiceram, offensos animos tum verbis, tum muneribus mitigari, judicavi non alienum fore, si ad te munusculum aliquod mitterem. Mitto igitur tres orationes meas (2), duas duorum regum nomine ad Pium IV. P. M. superioribus annis habitas; tertiam haud ita pridem, cum ejusdem optimi ac sanctissimi Pontificis jussu Aristotelis libros de Moribus ad Nicomachum inciperem publice interpretari. Eas tu postquam legeris, cum Vincentio Modio, & cum Jo. Baptista Pigna, non ut dignas quae ab ipsis legantur, sed ut

(1) Praeposita est orationibus tribus Mureti editis a. 1564.

(2) I. habita fuerat nomine Francisci II. Galliae & Scotiae Regis. II. ad eundem Pontificem nomine regis Navarrae. III. cum ejusdem Pontificis jussu Aristotelis libros de Moribus publice interpretaturus esset.

ut a me, qui eorum utrumque observo, & ab utroque amor, profectas communicabis. Vale. x. Kal. Aprilis, ANNO MDLXIIII. ex Urbe.

X X.

M. Antonius Muretus

Hieronymo Ottobono, Veneto, S. D. (1)

Semper maximi feci Senecam, semperque de eo, ut de scriptore non tantum, quod omnes fatentur, sapientissimo, sed etiam, quod fatui negant, disertissimo, judicavi. Itaque multum operae in libris illius posui, eosque saepe cum cura pervolutavi; neque me quantum eis legendis profecerim, poenitet. Te quoque, ut scis, praedicatione mea primus impuli, ut eum cognoscere cuperes; in quo cum mihi paruisses, sensisti, eum tibi & ad orationis cultum ac copiam, & multo magis ad tranquillitatem animi, & ad despicienda quaecumque immerentibus acerba eveniunt, mirabiliter profuisse. Cum igitur explicare statuissem librum ipsius de Providentia, eumque a me diligenter emendatum seorsum a ceteris edi placuisset, ut commode in manibus haberi posset ab iis, qui me audire tanti putabunt, volui in ipso ejus quasi limine exstare testimonium amoris erga te mei, orti ex tuo erga optimas disciplinas admirabili studio, placidissimis moribus, integritate vitae etiam optimis temporibus praedicanda. Nunc a te peto, mea quidem caussa, ut hoc munusculum libenter accipias: tua vero, ut institutam vivendi rationem constanter persequare; ne, si secus evenerit, aut ego, qui nemini adulari soleo, mei dissimilis fuisse; aut tu a te ipso descivisse videaris. Vale. Romae. xv. Kal. Jun. MDLXXV.

(1) Mittit ad eum Senecae librum de Providentia.

XXI.

X X I.

M. Antonii Mureti pro Joanne Episcopio, militiae Melitensis magno Magistro, Oratio (1) *ad Gregorium XIII. P. O. M.*

Sapienter a veteribus institutum est, ut cum primum Pontifex Maximus amplissimi Ordinis suffragiis declaratus esset, Oratores ad eum ex omnibus Orbis Christiani partibus, non tantum officii & gratulationis, sed honoris & venerationis caussa, publice mitterentur. Simul enim & potestati Deo in terris proximae debitus honor exhibetur, & eorum, a quibus illi mittuntur, animus ad imperata facienda promptus ac paratus ostenditur: &, sive ipsi insigne aliquod beneficium ab hac sancta Sede acceperunt, seu vicissim aliquid memorabile pro illius defensione atque amplificatione gesserunt, eorum omnium memoria opportuna commemoratione renovatur. Quarum omnium rerum caussa, cum ad te, Beatissime Pater, hic vir illustris, Scipio Ajaccia, miles Hierosolymitanus, ab Johanne Episcopio, magno ejus ordinis Magistro, universae illius nobilissimorum ac fortissimorum hominum sodalitatis nomine, legatus sit; isque me potissimum delegerit, cujus opera hodierno die ad hoc munus obeundum uteretur: quaeso te, Beatissime Pater, tribue hoc, non mihi, a quo nihil hujus loci auctoritate dignum expectari potest, sed illi spectatissimae virtutis virorum coetui, ut, quando ipsi toties nostra omnium causa tubarum ac lituorum sonitum alacres audierunt, ejus quoque qui caussam illorum acturus est, oratio non invitis animis audiatur. Spero

(1) *Titulum ipsi fecimus, ut quid rei esset, continuo lector videret: idem in sequenti praestitimus. Mutilas has in codicibus nostris, manu Mureti ipsius scriptas reperimus, etsi pagina incompleta non esset, ut nihil dubitare possimus, a scribendo cessasse Muretum, non vero cum scripsisset aliorum negligentia interiisse. Vidit fortasse postea usui non futuras, atque ideo opus suum dimisit. Quando haec prior scripta sit, conjectura assequi possumus. Nam ex oratione Mureti ejusdem vol. 2. orat. 26. in funere ipsius dicta, habemus a 1572. prid. Cal. Feb. magnum magistrum dictum; non ergo (si mortis etiam tempus spectemus) alii quam Gregorio XIII. orationem hanc dici voluisse patuit; quamobrem eodem anno 1572. quo Gregorius Pontifex est renunciatus, prid. Id. Maji scripta videtur. Elegantissimam eam esse, ac hujusmodi, ut Mureti manum agnoscere facile possit, quicumque eam leget judicabit.*

Spero autem, neque tibi, neque huic amplissimorum Patrum consessui injucundum fore, si breviter exposuero, & quibus de caussis haec sancta Sedes praecipua quadam caritate milites Hierosolymitanos complecti debeat; & quas item ob caussas illi praecipuam quamdam spem commodorum atque ornamentorum suorum in tua bonitate ac justitia collocare. Atque utinam ea in me dicendi vis ac copia esset, ut eorum merita, resque praeclare gestas oratione exornare possem: quod quando sperare non datur (1); una mihi spes reliqua est, quod dicturus sum de rebus & pulcherrimis & toto orbe celebratissimis: ut oratio mea quamvis obscura per se, ex earum tamen rerum, de quibus agam, dignitate ac luce multum splendoris collectura videatur. Equidem ita prorsus existimo, quicumque priscis temporibus homines sapientissimi de optima & perfectissima rep. tradiderunt, quaeque super ea re litteris prodiderunt, ea omnia in militum Hierosolymitanorum collegio multo perfectius, quam in illorum libris, expressa reperiri. Naturam illi atque ortum multum valere, ut in ceteris animantibus, ita & in hominibus judicarunt: quod fere quisque majorum suorum similis esse soleat. Itaque qui ex eis praecipuam habuerunt opinionem sapientiae, ignavorum atque inertium civium liberos, & aliorum mancos aut mutilos ac debiles fetus abjiciendos potius & exponendos, quam in civitate alendos esse duxerunt. Hi rationem sine ulla inhumanitate repererunt, qua consequerentur id quod veteres illi ne fieri quidem posse crediderant, ut resp. esset ulla, in qua neque ignobilis quisquam, neque corpore parum ad virtutem exercendam idoneo cerneretur. Nam cum legibus ante omnia sanxissent, ne quem in Ordinem suum reciperent, qui non & bono ac nobili genere prognatus esset, & ita corpore atque artubus compactus, ut militares labores facile toleraturus videretur, in quo non praeterea ita luceret virtutis indoles, ut nulla eum macula antea contracta ac suscepta contaminaret; ex omnibus Christianis provinciis florem ipsum juventutis colligentes, progressu temporis, quasi civitatem quamdam spectatae nobilitatis ac virtutis hominum congregarunt. Edu-

(1) Sic poëtae loquuntur, non Cicero, aut ejus aequales: nisi forte sic accipias in Cicerone de Orat. II. 25. *D. R.*

Educationi secundum a natura locum summo consensu veteres illi dederunt; cujus etiam tantam tradiderunt esse vim, ut &, si recta esset, pravitatem naturae corrigere, & si mala, quamlibet generosa ingenia depravare posset. Itaque nobilissimi Philosophorum, Plato & Aristoteles non tantum eam curam in civitate praecipuam esse oportere monuerunt, verum etiam graviter peccare docuerunt eos legum latores, qui propositis suppliciis cives a peccando absterrere conarentur, potius quam eis a principio recte educandis efficere, ut suapte sponte & turpia fugerent, & honesta sequerentur. Age igitur videamus, num qui in habendo juvenum delectu tantam diligentiam semper adhibuerunt, minorem curam in eis instituendis collocarint. Immo vero, Beatissime Pater, ita eos assuefaciunt, ut averso atque abalienato ab omnibus corporearum voluptatum blandimentis animo, segnitiem ac socordiam mortis instar existiment: ut quae dura, ardua, perpessu difficilia sunt, ea sola viris digna esse statuant: ut laboriosissimas corporis exercitationes pro ludo atque oblectamento habeant: ut famem, sitim, frigus, aestum, vigiliam, vulnera, non qui ferre possit, fortem, sed qui non possit, mollem & effeminatum esse ducant: ut ad hostis aspectum expavescere, ad vulnus acceptum ingemiscere, fuga potius quam manu saluti suae consulere, fas non esse ei qui candida illa crucis imagine pectus ornaverit, arbitrentur. Ita tibi, Beatissime Pater, ita nobis universis educat illos quasi magnanimorum leonum catulos, hujus vitae contemptores, Religionis propugnatores, Turcarum oppugnatores, Insula Melita, parva quidem & aspera, ut Ulysses patriam suam esse ait, sed egregia juvenum educatrix, Melita, nobilitatis domicilium, Melita, schola fortitudinis, praestantium virorum officina, firmamentum publicae securitatis, murus, arx, propugnaculum reip. Christianae. O rem praeclaram, & in hac praesertim morum ac temporum corruptela admiratione dignissimam! Reperiri etiamnum adolescentes domi nobiles, eosdemque abundantes ac copiosos, qui relicta domo, fortunis, parentibus, consanguineis, amicis, patria, quasi voluntario exilio suscepto, in parvam se ac sterilem insulam, eamdemque in ipsis prope immanissimorum hostium faucibus positam conferant, ut pro aliena quiete perpetuos labores, pro aliena securitate perpetua peri-

pericula ſubeant, ut ad depellendum ac propulſandum ab aliis bellum ipſi in perpetuis excubiis, atque in perpetua expeditione verſentur. At quam conſiderate, quamque ſapienter exiguam illam remp. ſuam legibus & inſtitutis, cum eo fine quem ſibi propoſuerunt congruentibus, temperarunt? . . . .

Ejusdem Mureti alterius Orationis fragmentum (1).

Eſt quidem ut tota hominis aetas, ita quaelibet anni tempeſtas ad diſcendum idonea: ſed tamen & ex omnibus vitae partibus adoleſcentia, quae quaſi ver quoddam aetatis eſt, & ex anni partibus ver ad promovenda ſtudia, & ad animos multipli circrum cognitione ſaginandos praecipue accommodatum videtur. Quamvis enim hieme cum maxime ſaeviente, bacchantibus ac proelia inter ſe miſcentibus ventis, frementibus ac mugientibus ſilvis, ipſo in imbres ruente coelo, grandine crepitantibus tectis, juvat, non e lecto, ut ait impurus poëta, ſed ex cubiculo aliquo bene undiquaque concluſo, & adverſus coeli injurias munito ventos audire furentes, & libris affixum, ac praeclara illa veteris ſapientiae monumenta tractantem, excutientem illos theſauros, indulgere illi nunquam immoderatae cupiditati adſidue plura diſcendi; neſcio tamen quomodo, & ipſum illud vaſtum atque horrificum murmur terrorem quemdam incutit animis, nec eos totos ſibi vacare patitur; & ipſa frigoris aſperitas ſubinde, quaſi admotis quibusdam ſtimulis, fodicans, aut ſtrata repetere, aut ad focum adſidere compellit: omninoque hiems ut curſus fluminum fraenat, ut animalium corpora adſtringit, ita ingenia quoque torpore quodam vincire atque alligare interdum ſolet. Accedit huc, quod corpora noſtra hieme potisſimum frigidis, & crasſis, & in morem viſci, lentis ac tenacibus humoribus redundant. Quod-

ſi

(1) *Fragmentum vocamus, quod longioris orationis, quam Muretus meditabatur, pars ſit exigua. De tempeſtate agit maxime ſtudiis accommodata, fecitque in adverſariis ſuis inſcriptionem hanc Muretus;* Pro principio Quadrageſimae anni 1584. ſi vivam, & ſi Deus volet. Chriſte ades, & coeptum coeleſti numine firma. *Nequaquam fuiſſe habitam, neque abſolutam ideo puto, quod misſionem impetravit, ſolutusque erat eo anno munere docendi, ut diximus in vita.*

si qui natura ita temperati sunt, tardi plerumque & hebetes esse consueverunt: quod significabat Heracletus, cum diceret, siccam animam ad sapientiam requiri: certo consequens est, quae tempestas anni tales efficit: ea ingenii acumen obtundi, vim torpescere, celeritatem retardari. Haec igitur & his adfinia sunt hiemis incommoda; cui contraria aestas immodicis caloribus corpora, & animos solvit ac laxat, somnolentos ac languidos efficit; ita ut totos interdum dies, non modo nullam graviorem cogitationem suspicere possimus, sed, quamquam nullo labore antegresso, fracti, defessi, defatigatique jaceamus. Autumno autem, vulgo praeclare secum agi putant, qui, aliis omnibus omissis, cavere morbos, & sartam tectam valetudinem tueri queunt. At ubi, soluto hiemis rigore, verni temporis tepor coelum, terras, maria aperuit, cum & sereniores eunt dies, & tellus nocturno rore madefacta, laxato sinu, opes suas explicat, & quasi coelum ipsum ad certamen pulchritudinis provocans, ut illud stellarum, sic ipsa florum gemmea varietate distinguitur, cum pellucentes rivuli grato strepitu per virentia prata decurrunt; cum liquidis avicularum cantibus nemora novis frondibus comantia resonant; quis ita torpidus ac segnis est, ut otiari velit? quis ita ignavus, cui non ipsi quoque florescere quodam modo libeat, cui non aliquid, quo se vivere ac vigere testetur, ex ingenio suo fundere, animus gestiat? Ut enim tument terrae, ut turgent vites, ut animalia ad gignendi cupiditatem incitantur; sic gliscere videntur ingenia, & ad exercitationes naturae suae maxime congruentes ac consentaneas excitari; cum ab eis libere obeundis, neque amplius frigore, neque adhuc calore arceantur . . . . .

M. Ant. Muretus (1) *S. D. Paulo Sacrato suo.*

Respondebo tandem ad suavissimas litteras, quas abs te accepi, datas VIII. Id Martii, quibus quod eum sermonem dilaudas, qui a me habitus est in Sacello Pontifi-

(1) Has tres ad *Paulum Sacratum* epistolas, a *Thomasio*, aliisque Editoribus praetermissas, de admonitione viri humanissimi, *Jacobi Morellii*, sumsimus ex volumine tertio Epistolarum *P. Sacrati*, Bononiae 1586. edito. *D. R.*

tificis de laudibus ſancti Joannis Euangeliſtae, facis tuo more, ut etiam ea laudes, quibus ſatis erat ignoſci. Ego quoque meo more facio, ut multo ſerius reſpondeam, quam par erat. Quanquam tu quoque, amice magne, ſatis belle amicorum vitia imitaris, ſatisque te docilem praebes ad hanc ſero reſpondendi diſciplinam. Nam qui miſiſſem ad te λογάριον illud Ἰανουαρίου ἀρχομένου, non prius a te reſponſum tuli, quam Μαρτίου μεσοῦντος. Sit igitur haec inter nos aut libertas, qualis inter certos ac veteres amicos eſſe debet, ut cum res celeritatem non exigit, ſuo uterque commodo reſpondeat; aut, ſi quid in hac re me deliquiſſe vis, delictorum, quae a Juriſconſultis quoque admittitur, mutua compenſatio. Et haec quidem a me cauſſa purgandae morae dicta ſint. Nunc quidem duo eſſe ais in ea Oratione, quae tibi ſcrupulum injecerint. Unum de aetate Joannis, quod eum centum viginti annos vixiſſe dixi: alterum de morte, cum eum multi ac probati ſcriptores adhuc in carne vivere arbitrentur. Reſpondebo tibi ad utrumque ὕστερον πρότερον. Primum igitur S. Hieronymus, (quo enim potius utar anteſignano?) in Caput xx. Matthaei, aperte dicit, eum propria morte vitam finiiſſe. Auguſtinus autem narrat quidem, in quibusdam ſcripturis apocryphis legi eum dormire ſub terra, & ſe vivum ſcaturigine illius mirifici pulveris indicare: quod etſi non aperte repudiat, non obſcure tamen oſtendit, ſibi alteram illam ſententiam magis probari. Caeſarius autem, magni Gregorii frater, cujus verba apud Cedrenum leguntur, delirare ait illos, qui eum putant in carne vivere, & multis verbis ſtultitiam illorum coarguit. Et quoniam haec non tam certo ordine ſcribo, quam ut quidque in mentem venit, ad Hieronymum redeo, qui rurſum in libro de illuſtribus viris eum ſenio confectum, mortuum eſſe Epheſi, & juxta eam urbem ſepultum tradit. Quid Caeſarienſis Euſebius? Eo tempore, inquit, Joannes Euangeliſta Epheſi Aſiae urbe moritur. Adde huc Chryſoſtomum, qui in Epiſtol. ad Epheſios ait eum Epheſi & exulaſſe & mortuum eſſe. Itidem apud Sophronium legimus eum obiiſſe valde ſenem. Sed & Euſebius Emiſſenus interpretans verba Chriſti, quae aliter ab aliis accepta hanc opinionum diſcrepantiam effecerunt. Hunc autem, inquit, ſic volo manere, non cruce, non perſecutoris gladio, non ulla

violentia volo eum vitam finire, sed in pace & quiete diem ultimum terminare. Beda quoque eadem illa verba explicans: Non ergo, inquit, putandum est, quod discipulus ille non sit mortuus in carne, quia nec Dominus hoc de illo futurum praedixit. Putidum videtur, cum tot primae classis auctores laudaverim, alios quoque minorum gentium & secundae, ut ita dicam, notae adjicere, Ottonem Frisingensem, Gottifredum Viterbiensem, Aimonem, & hujusmodi alios, quos quamlibet multos coacervare nihil negotii fuerit. Aut hoc testium satis est, aut non video, quid sit satis. Ambrosius ait quosdam de illius morte dubitare, ipse tamen se dubitare non ostendit. Euthymius quoque exponit sententiam eorum, qui illum mortuum negant. Sed eos ait in errore versari. Nicephori Callisti peculiaris quaedam opinio est, mortuum quidem esse eum, sed statim revixisse. Qui autem putant, eum cum Enoch & Helia vivere, & tam multa de illo admirabili pulvere loquuntur, nullos, ut opinor, meliores auctores habent, quam Simonem Metaphrastem, Isidorum Hispalensem, &, si forte, ejusdem ordinis alios, quos ut non contemno, ita quos sequor, eos multo pluris facio. Sed aut de hac re abunde dictum est, aut in alterius quaestionis tractatione haec quoque certius intelligentur. Quam diu igitur vixerit, & quando ad eum, cui tantopere carus erat, migraverit hic divini verbi sanctissimus praeco, magna inter scriptores controversia est. Quidam de ipsius aetate nihil definiunt, sed tantum vixisse eum dicunt usque ad imperium Trajani. In his est Eusebius Caesariensis, Otto Frisingensis, Regino, Nicephorus Callistus, Gottifredus Viterbiensis, Freculphus Lexoviensis, qui tamen hoc addit, eum obiisse anno post Christi mortem sexagesimo septimo: & certe a Christi morte, usque ad secundum annum, quo Trajanus rerum potitus est, totidem anni numerantur: & hoc convenit cum ea, quae a plurimis recepta est, opinione, eum a Nerva relegatum esse in Pathmum, sub Trajano autem rediisse in Ephesum. Hieronymus autem in libro de illustribus viris paullo longiorem ei vitam tribuit; ait enim eum mortuum anno post Christi mortem sexagesimo octavo; quod ipsum a Sophronio traditum est. Aymo autem ait eum mortuum esse ante imperium Trajani, sed natum annos nonaginta octo. Genebrardus noster, magnus plane

plane vir, & cum eruditione, tum diligentia singulari, ait eum mortuum esse anno aetatis suae nonagesimo nono, centesimo post Christum natum, sexagesimo octavo post Christum passum. Ex quo colligit, eum anno tantum minorem natu fuisse, quam Christum. Sed hoc mihi quidem Hieronymi auctoritate refelli videtur; qui ait, quo tempore Christus curam universae Ecclesiae Petro potissimum mandavit, Joannem adhuc adolescentem ac pene puerum fuisse. Vix autem est, ut pene puerum esse dicamus, qui triginta duos expleverit annos. Hippolytus Papa centum sex annos eum vixisse tradit. Isidorus Hispalensis ait eum mortuum anno post Christi obitum septuagesimo septimo. Cum quo si Genebrardi opinionem de illius aetate conjungas, oportebit eum vixisse annos centum novem. Quaeso te, viden, quanta haec varietas sit? Et hi tamen omnes non de morte, sed de mortis tempore, & de vitae longitudine dissentiunt. Ego autem ab eis omnibus dissentiens, vixisse illum centum viginti annos, & sub Hadriano, non sub Trajano, mortuum esse arbitror. In quo quos sequar, vide. Apud Marianum Scotum ita scriptum reperio: Irenaeus Episcopus scribit, Joannem Euangelistam usque ad Hadriani tempora permansisse. Quanta sit Irenaei auctoritas, vides, qui & sanctitate & tempore Apostolis proximus fuit. At hodie apud Irenaeum Trajani, non Hadriani, nomen legitur. Primum fieri potest, ut ita mutaverit quisquam, qui Irenaeum cum vulgata opinione concordare ac concinere vellet. At Marianum verisimile est meliore aliquo, & vetustiore codice usum esse, nondum reperta consuetudine hac, quae nunc invaluit, ingeniose corrumpendi libros. Possum etiam respondere, Trajani nomine Hadrianum quoque usum esse, ut & Trajanum Nervae, propter adoptionem. Sic aliquoties in libris Juris Civilis nomine Hadriani constat intelligendum esse Antoninum. Confirmor in sententia, quod apud Oecumenium reperio Joannem non a Trajano revocatum, a Nerva cum relegatus esset, ut vulgo traditur, sed a Trajano ipso in Pathmum relegatum esse. Apud Suidam quoque lego scriptum esse ab eo Euangelium, cum centum annos natus esset, postea vixisse annos viginti: Dorotheus quoque, Episcopus Tyri, cum rediisse in Ephesum ait post mortem Trajani, & ibi vixisse usque ad annos

centum

centum viginti. Vides Irenaeum, Dorotheum, Oecumenium, vetustum scriptorem, ex quo Suidas hausit, mirifice inter se concinere. Accedat is, qui mihi quidem instar est omnium, sanctissimus, eruditissimus, eloquentissimus Chrysostomus, cujus cum alia multa, tum orationem de Sancti Joannis Euangelistae laudibus ornatissime scriptam, sed nondum editam, summus illius & admirator, & imitator, Gulielmus Sirletus Cardinalis ostendit, in qua diserte agitur id ipsum, quod ego in mea Oratione posui, scriptum esse ab eo Euangelium, cum esset annorum centum, vixisse eum postea annos viginti. Habes verbosam epistolam, quam cum legeris, suspicor, non minus te, quam ego nunc sum, lassum fore. Ama me, &, quod facis, quotidianis me precibus adjuva: idque te mutuo facere scito. Vale. Romae. xv. Cal. Jun. MDLXXXIII.

M. Ant. Muretus S. D. Paulo Sacrato suo.

Magno mihi dolori fuit mors fratris tui, tum quia ipsum amabam, ut tuos omnes debeo, tum quia facile intellexi, pro tua humanitate & eximia caritate erga tuos, quam ea tibi gravis & molesta futura esset. Quanquam autem sera jam consolatio videri potest; facere tamen non possum, quin te moneam, id quod tibi notissimum esse scio: sed interdum evenit, ut doloris acerbitas etiam ea, quae notissima sunt, ex animo excutiat; ut memineris aequissimo animo ferendam esse hanc Dei quidem voluntatem, humanae autem naturae necessitatem. Si ars aliqua reperiri posset, qua fieret, ut in hac vita perpetuo maneremus, tamen eam repudiare & aversari oporteret, quae nobis aditum ad meliorem vitam intercluderet. Nunc ea nobis Dei voluntate imposita est necessitas, ut hinc aliquando exeamus: neque quicquam magis inter stultos & sapientes interest, quam quod illi indignantur, nunc suis evenire, quod sibi quoque eventurum est, nunc se eo pervenisse, quo perveniendum est omnibus: hi communem sortem & in suis placide ferunt, & in semetipsis placide expectant. Miramur, Sacrate, mori eos, quos amamus? Ipsi nos quotidie morimur. Quota pars superest in nobis ejus, quod in adolescentibus fuit? Mei quidam jam mortui sunt dentes; prope enim omnes deciderunt: paulatim moriuntur oculi, quos quotidie minus

nus ac minus perſpicaces fieri ſentio: moritur memoria; mortua ſunt alia, quae utinam multis abhinc annis mortua fuisſent. Mihi crede, Sacrate, ſenectus mea vix alio nomine mihi gratior eſt, quam quod mihi placidiorem ad moriendum viam ſternere videtur. Itaque mortuis amicis bene precemur: ipſi nos ad bene moriendum quotidie praeparemus. De ſilentio tuo, neque cur te purges, cauſſa ulla eſt; neque ullus metus, ne mihi propterea minus carus ſis Partem aliquam ſcriptorum meorum jam ad te miſisſem, niſi de omnibus ſimul edendis cogitarem. Si tamen longum tibi videtur expectare, dum id fiat, non recuſo, quin interea mittam ad te aliquid proprie tuum, quod tu Venetiis excudendum cures. Id ſi te velle ſignificaveris, in me mora non erit ulla Pro fratre tuo ſemel jam rem divinam feci, utinamque litaverim. Quod ſperare me & Dei clementia, & perſpecta ipſius probitas jubet. Vale, prid. Id. Febr. MLXXXIV. ex Urbe. Penſionem, quando id tu largitati tuae nomen imponis, ad diem a te dictam expectabo.

M. Ant. Muretus Paulo Sacrato ſuo S. D.

Expecto, quid ad eam, quam ad te proxime miſi, epiſtolam reſpondeas, ut de eo, quod tibi recepi, ex tua voluntate ſtatuatur. Simul velim ad me exemplum mittas illius, quam ad te pridem ſcripſi de aetate & obitu S. Joannis Euangeliſtae. Quod ut facias, etiam atque etiam peto Hercules Cioſanus dies aliquot hic fuit. Hodie diſcesſit. Diſcedens reliquit apud me litteras ad te ſuas, quas una cum his accipies, & librum, quem ad te mitterem. De te mira praedicat: nihil te uno vivere in terris comius, nihil humanius. Sed haec aliis mira ſunt, non mihi, quia ea jam pridem perſpecta habeo. In ſermone injecit, ſe duodecim aureos numos a te mutuo accepisſe. Rogavi, cur non reddidisſet. Cauſſatus eſt multas & magnas difficultates ſuas. Et conſtabat eum vera dicere. Omnino tamen, ut longisſime, menſe Septembri proximo, ait ſe, quod accepit, redditurum. Facturum puto. Quod ad te ſcribam, nihil aliud habeo, dum a te litteras accepero. Vale. Romae. v. Non. Mart. MDLXXXIV.

M. Ant.

M. Ant. Muretus (1)
Jo. Baptistae Dionysio sal. Perusiam.

Et fratris tui, quem jam pridem non videram, adspectus ipse per se mihi gratus ac jucundus fuit, & eum litterae tuae multo jucundiorem reddiderunt: ex quibus plane perspexi & mirificam elegantiam ingenii tui, & singularem quendam amorem erga te meum. Ego vero te non tantum, ut petis, libenter adscribam ad numerum eorum, quos amo, & quorum caussa omnia cupio; verum etiam moleste feram, nisi tu quoque, si quos fructus ex amicitia mea posse percipi putas, eos a me omnes tuo jure libere & familiariter exegeris. Neque nunc quidem aliud ullum scribendi argumentum habeo, neque temporis satis: & tu a me hoc tempore nihil aliud visus es, quam amicitiae nostrae quandam quasi cautionem ac chirographum postulare. Habes itaque, quod petebas, Muretum plane tuum. Tu quoque persta in ea voluntate, quam erga me suscepisti, & ad me, cum commodum erit, scribe. Ego ad te propediem scriptorum meorum aliquid mittam. Saluta mihi Gibertum Oddum, veterem amicum meum, sed cui effluxisse me jam puto: ita mutus factus est, qui me amicissime scriptis litteris crebro reficere solebat. Vale. Romae. MDXXC.

Amo M. Antonium, auditorem antea meum, praeceptorem nunc tuum: ejus epigrammata, quae accepi, bona sunt, libenter legi, leviter castigavi, eidem reddidi qui attulerat.

M. Antonius Muretus
M. Ant. Bonciario sal. Perusiam.

Accepi a Parisiolo crusta sacchárea Perusina longe suavissima, & cum illis una tuum de Fabis carmen, palato quidem meo longe suavius. Itaque Dionysio de illis ago gratias maximas: tibi de hoc, ut Plautus noster loquitur, magis majores. *Ligurio* primam syllabam correptam habet, item secundam, ut *esurio*, *parturio*, & cete-

(1) Has duas epistolas sumsimus ex *M. Antonii Bonciarii*, qui Mureti discipulus fuit, Epistolis, Perusiae, 1613. 8. *D. R.*

caetera generis ejusdem. Flaccus tamen producit Lib. 2. Sermonum Sat. 2.

puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit.

Quod viri eruditi scribendum putant per geminum *r r.*, ut olim docui in meis ad Terentium Scholiis. In sententia quid reprehendam, non habeo: quae laudem, multa, & illud maxime, quod non solum jucunde, sed etiam argute concluditur. Nam ea demum ejusce carminis venus est, si cauda feriat, & relinquat aculeum. Vale. Romae.

M. Antonius Muretus (1) *Hugoni Blotio, Bibliothecae Imperatoriae praefecto, V. C. S. D.*

Binas tantum a te litteras accepi, Bloti, vir eruditissime, quas utrasque attulit Matthaeus Stufius. Ceteras ad me perlatas non esse scito. Earum quas accepi priores nihil fere continebant praeter accuratam commendationem ipsius Stufii, & quaestionem quamdam de pede Romano. Ad Stufium quod attinet, nihil praetermisi, quod in me situm esset: & declaravi, quanti facerem commendationem tuam, quibuscumque rebus potui, pluribus idem perfecturus, si ita res ipsius tulissent. Sed patres, quibus istinc commendatus fuerat, diutius eum mecum esse noluerunt: neque ego eorum voluntati, atque auctoritati pro mea perpetua erga universum illum ordinem observantia, adversari aut potui, aut debui. Si quid eveniet, in quo ei auctoritate, gratia, opera, pecunia, omni denique auxilii genere prodesse possim, faciam caussa tua, ne quid ei amplius desit, quam si inter suos esset. Atque hoc cupio te quoque ad ipsum scribere, ut plane sciat, se mihi curae & esse, &, dum hic erit, fore. Quod de pede Romano quaerebas, ne ad id tam cito, quam par erat, responderim, caussa haec fuit. Ibam ad Lucam Paetum, ut ex eo certius aliquid exploratiusque cogno-

(1) Hanc epistolam ex MS. prodidit Jo. Christoph. Amadutius in Anecdotis literariis, quae Romae eduntur, T. IV. p. 344. D. R.

cognoscerem. Cum eo venissem, & cum illo sermonem conferre coepissem, litterae tuae, quas ipsi ostendere cupiebam; in via mihi e sinu exciderant. Haesi attonitus, cum satis certo constituere non possem, numquid eas mecum extulissem, an reliquissem domi. Itaque ut domum redii, omnes capsas, omnes forulos, omnes angulos bibliothecae meae excussi, donec magna sane cum animi molestia sensi, verum esse illud vetus dictum, neque sinui, neque mulieri credendum esse. Distuli tamen, sicubi eas forte reperirem: qua spe fretus, dum diem ex die duco, factus sum ὑπερήμερος. Hodie denique ad Paetum redii: & quia meminisse videbar, ζήτημα tuum fuisse de discrimine, quod Paetus dixisset esse inter pedem Colotianum, quo Agricola usus est, & suum, hoc ex *ipso* quaesivi. Ostendit autem mihi cum alia vetustatis monumenta sane insignia, tum pedes duos aeneos e terra erutos mirae antiquitatis. Eorum utrumque cum Colotiano contulimus. Est omnino aliquid discriminis; pauxillulo enim longior est Colotianus. Sed discrepantia ita tenuis est, ut oculorum acies intendenda sit, scrupuli si forte unius est. Ego tamen non dubito, quin Paeti pes verior sit, quam Colotii. Sed, ut dixi, discrimen est λόγῳ θεωρητόν. Si quid a me aliud praestari voles; (1) non enim tibi concedam, ut tu mea caussa plus velis, quam ego tua. Nunc ad summa capita posterioris epistolae tuae respondebo. Noli, obsecro, excusare te, quod ad me minus accurate scribas. Ego enim, qui vix umquam epistolas meas relegere soleo, nedum emendare ac describere (2), concidam animo, si cogitem, *mihi* quoque cogitandum esse, cum ad te scribam. Utamur potius illa veteri consuetudine scribendi amice, ac familiariter quicquid in solum. Tu quidem minus crebras a me litteras accipies, si eam mihi necessitatem imponas, ut quae ad te scribam limare ac polire cogar. Quod mihi ultro defers indicem librorum qui sunt in bibliotheca Caesaris, adeoque si quid describi velim, ut id fiat, curaturum polliceris, amice magne, quis tibi genius id quo ego uno maxime ac facillime capi possem, indicavit?

Certe

(1) *Praestari voles*] Amadutius supplet, *fac scribas*. D. R.
(2) *Describere*] A Mureti manu haud dubie est *rescribere*. *D. R.*

Certe enim, si cum Ulysse fuissem, & Sirenes mihi tale aliquid ostentàssent, in mare me, opinor, quamquam non valde bonus natator, conjecissem, ut ad eas pervenirem. Indicem igitur illum avidissime exspecto. Quem honorem habuit Caesar [illegible] Paullo Manutio, idem, ut mihi quoque habeatur (1), quod ostendis facile per te, & per Matthaei Stusii patrem impetrari, si velim, posse: respondebo tibi aperte, & breviter. Ego quidem per me id mihi petere non auderem, ne ambitiosus viderer, neve irridendi mei occasionem cuiquam darem, si forte id peterem, neque obtinere possem. Sed si per amicos negotium confici posset, longe plurimum debere & Caesareae Majestati, & iis, qui mihi tantum honorem ab illa conciliassent, & agnoscerem, & praedicarem. Exspectabo igitur, dum super ea re aliquid ad me exploratius scribas: ac tum demum, si voles, mittam ad te familiae meae [illegible]. Sed quia ego, cum jam pridem sacerdos sim, filios ex me relinquere non possum, si quid mihi vestra opera concedetur, cuperem id & ad M. Antonium Muretum, fratris mei filium, magnae spei puerum, quem ego e Gallia arcessitum hic mecum educo, & ad posteros ipsius pertinere. De profectione tua, quod in fine epistolae adscripsisti, ita mihi gratum ac jucundum fuit, ut nihil supra. Ama me, Bloti optime, & eruditissime, & scito, me tibi in amore perpetuo responsurum esse. Vale. Roma, Nonis Martiis, MDLXXIX.

(1) *Habeatur*] Post hoc verbum Amaduzius supplet *gaudeo*, quod est contra Latinitatem. Nobis nihil deesse videtur, si ita interpungatur, ut fecimus. *D. R.*



M. A. MURETI CARMINA,

EX EDITIONE ALDINA, 1575.

Quamvis quae medio me fixa in pectore torquet,
 Vibrata est oculis certa sagitta tuis;
Ne tamen, o ne, vita, auctores vulneris istos,
 Altoresque alio vertere perge mei.
Sed fige usque in me, ut tanto impensius urar;
 Nam mi e tam dulci est vulnere dulce mori.



Formosa es, fateor, formosa, & digna rogari,
 Sed nemo tamen hic te, Telesilla, rogat.
Cur tu igitur nobis longo sermone pudorem,
 Tam crebro jactas, duritiamque tuam?
Et te velle prius dieis tormenta subire
 Omnia, quam quisquam te potiatur amans.
Vis tibi vera loquar? modus est hic ipse rogandi:
 Ipsa rogat, nullo si qua rogante negat.

FRANCISCO DUARENO, JURISCONSULTO.

Qui te Romani, Duarene, aenigmata juris
 Solventem vidit, nec tamen obstupuit,
Illum ego crediderim sensuque animoque carere,
 Qualis in Aegaeo stat metuenda mari
Edita flaminibus Caurorum obnoxia rupes,
 Quam neque bacchantis concita vis pelagi,
Nec vis ventorum propria de sede revellat.
 Nam sive eloquii flumina suspicimus,
Ipse tibi Adrastus, tibi se summittat Ulixes,
 Summittat Pylii lingua beata senis.
Seu magis ingenii praestans miramur acumen,
 Haec quoque laus uni danda dicanda tibi est.
Quis veterem historiam cura majore revolvit?
 Quis veteres quicquid perdocuere sophi?
Atque utinam nobis una, Duarene, liceret
 Hoc quicquid vitae est quod datur exigere.
Quam me saepe tuo pendentem ex ore videres
 Sermones avida combibere aure tuos.

Fort

Fors etiam tua me vestigia pone sequentem
  Proveheret sensim, perficeretque labos.
Mi siquidem non ingenii vis vivida desit,
  Quo minus esse aliquid, te praeëunte, queam:
Verum me una Venus, Venus heu me conficit una,
  Una hominum & divorum omnium acerba lues.
Una Venus misero sensus exsorbuit omnes,
  Una Venus misero mentem animi eripuit.
Me me illa innumeros adigit pallere colores,
  Me me illa invito molliter ore queri,
Illa die noctem, lucemque requirere noctu,
  Et dare non sani mille notas animi.
Nec mihi vel caelum prodest implere querellis,
  Vel facere ad magicos impia sacra focos.
Saepe ego me puro lustravi sulfure, saepe
  Mussavi ignoto barbara verba sono,
Saepe caput vivo jejunus flumine mersi
  Ipsa sub indicti primula tela die:
Et mihi tentata est quaecumque expellere amorem
  Lecta in sepositis creditur herba jugis.
Sed neque me sulfur, nec verba, nec unda, nec herbae,
  Ah miserum! ex ulla parte juvare queunt.
Quod mihi nascenti sidus praeluxit, ut in me
  Irrita sint, quae aliis auxilio esse solent?
At quondam obscenas Zethes, Zethaeque gemellus
  A Phinei mensis depulit acer aves:
Illa etiam Alcidae periit confixa sagittis
  Iapetoniadae (1) tundere sueta jecur.
Et tamen ille Deum vulgaverat ore susurro
  Arcana obscuris involuenda notis.
Hic Jovis e solio subreptum venerat ignem,
  Fallacique ipsum luserat arte Jovem.
Verum ego si studui verbo temerarius ullo
  Sive hominum quemquam laedere, sive Deum;
Ista meo nunquam decedat pectore pestis,
  Sed populet sensus irrequieta meos.
An miserorum hominum cuique est suus additus error,
  Ne se caelicolis autumet esse parem?

Hunc

(1) Errat cum aliis in hujus nominis forma. *Iapetionidae* scribendum esse, docet *Jo. Schraderus* Emend. cap. 12. p. 224. *D. R.*

Hunc igitur numi, sitis illum exurit honorum:
  At me aetas florens, & bona forma rapit.
His ego si jubear penetrare Acherunta duobus,
  Ipsum Acherunta levis sit penetrare labos.
Possum ego per gladios, possum transire per ignes,
  Et bibere Aeaea trita aconita manu:
Insanum Veneris nequeo cohibere furorem,
  Sit licet immerito semper acerba mihi.



Cum omnia in amore misera sint, tum id omnium
Miserrimum est, potiri amica cum velis.
Repulsa amor conditur, ut cibus sale,
Sine spe metuque insipidus atque insulsus est.

AD NEAERAM PUELLAM. (1)

Quae te caussa mihi potuit mutare, Neaera,
  Ut mea jam non sis, quae modo dicta mea es?
Quonam amor ille abiit, quo te jactare solebas,
  Cum tibi magna satis gloria amator eram?
Certe etenim & memini ipse, & te meminisse necesse est,
  Quam saepe exciderint talia verba tibi:
Dona juvent alias. Dum me Muretus amabit,
  Cetera mi ut desint omnia, dives ero.
Aurum aliae gemmasque, ego nil, nisi carmina, poscam:
  Plus mihi divitiis omnibus illa placent.
Nec minus ipse tibi parili conjunctus amore,
  Talia reddebam dicta, sed ex animo.
Ure Cupido alios. Ignis mihi sola Neaera est.
  Odi alias omnes. Quin etiam obtulerit
Si mihi se Venus ipsa, Venus feret ipsa repulsam.
  Solus ero illius, sola ut & ipsa mea est.
Hei mihi, vix menses absum a te quattuor: & te
  Alterius factam nuncia fama refert.
Quid, si Taprobanae petiissem aut litora Thules?
  Tam longe distat Tibris ab Eridano?

At

(1) *AD NEAERAM*] Hanc Elegiam, nescio ex qua Editione Carminum Mureti ductam, Editor Veronensis prodidit Operum Mureti T. V. p. 238. D. R.

At cum me flentem flens ipsa amplexa teneres,
Inque tuo stratus limine staret equus,
Complexuque tuo vix me subducere possem:
Jam discedenti qualia dicta dabas.
Dum vivam, res nulla tuo me avellet amore,
Quodsi post vitae tempora durat amor,
Tunc quoque, te Murete, etiam umbra & pulvis amabo,
Haec mihi tum multis non sine lacrimulis
Te memini dixisse, o nuper cara Neaera,
Et, quamquam odisti, nunc quoque cara tamen,
Cara, fatebor enim, quamquam te absentia mutat;
Factura est levitas nec me aliena levem.
Jupiter, ut certi nihil est in amore puellae,
Saepe uno decies odit amatque die.
Quam melius foret a vanis avertere mentem,
Et solida ac numquam deperitura sequi.
O si me meliorque Venus, meliorque Cupido
Vindicet, injecta corripiatque manu.
Tunc flebis, cum me ereptum novus ignis habebit:
Et te culpabis, duritiamque tuam.
Ast ego, subducta vinclis cervice molestis,
Ridebo, inque vicem, perfida, durus ero;
Ut servus dominae imperium perpessus iniquae,
Quem praetor juris jussit abire sui.

Ex Carminibus Mureti, Romae, an. 1581.
& Venetiis 1583. *&* 1586. *impr.*

BASIUM JULIAE. (1)

Cum roseam inflectens cervicem, ad basia torques,
Et tibi jam paeti molle natant oculi,
Prae desiderio prope tum mi anima ipsa liquescit,
Vixque potest tanti vim tolerare boni.

Post,

(1) BASIUM JULIAE.] Hanc Elegiam, acceptam a Petro Catarino Zenone, sub titulo, *Ad Fulviam puellam*, pro inedita protulit Editor Veronensis Operum Mureti. T. IV, p. 239 In exemplo MS. est varietas quaedam notanda. vs 6. *carpere* pro *sugere*. Post eundem versum hoc distichon sequitur: *Udaque errantes colludant tramite linguae, Dulcis & ardores ventilat aura meos.* Versu ult. exemplum MS. habet: *Caeli mi vice semper erit.* D. R.

Post, ubi jam licet, admotis utrinque labellis,
Ambrosium suavis sugere florem animae;
Tum mihi, tum videor Divorum accumbere mensis,
Atque haurire avide nectareos latices.
Julia, flos aevi, cum quae sunt proxima summis
Tam facilis dones, cur modo summa negas?
An metuis, Deus efficiar ne forte fruendo,
Et sine te sedes evolem ad aetherias?
Pone metum, formosa: tuos quaecumque tenebit
Ora oculos, semper caelum erit illa mihi.

Ex Poëmatibus recentioribus Hieronymi Arconati Leorini Silesii, Viennae Austriae impressis, an. 1591. in 8o. p. 230.

„ *Hieronymo Arconato Roma Neapolim militiae] ex-*
„ *ercendae gratia proficiscenti M. A. Muretus, JCtus. &*
„ *Civis Romanus.*

Aspice, ut egregius juvenis praestantibus ausis
Sumat in adversos arma decora Scythas!
Castalios quis eum credat gustasse liquores,
Phoebeaeque fides excoluisse lyrae?
Tegmina circumdant humeros Vulcania latos,
Et tremit in valida tortilis hasta manu.
Macte animo, imbelles qui hastam versare Camoenas,
Et Martem amplecti numina docta doces.
Non poteras aliter geminas meruisse coronas:
Non alia virtus surgit ad astra via.

Mureti

Mureti Carmen de Laurentii Frizolii Sacello Gregoriano, ante ejusdem Frizolii Poëma de Sacello a Gregorio XIII. P. M. *constructo, impressum Romae, an.* 1582. *in* 4°.

Gregorio quam Pontifici construxerat aedem
  Altera Pontificum gloria Gregorius,
Illa quidem attonitae mentes defixerat Urbis,
  Et veteres longe vicerat historias:
Sed tamen ut toto magis innotesceret orbe,
  Qua Crucis augustae nomen honosque patet;
Musarum auxilio, doctique ope vatis egebat,
  Singula qui cultis versibus exprimeret,
Taliaque altiloquo rerum miracula cantu
  Ferret ad Eoos, ferret ad Hesperios.
Ecce meus Laurens laudem impiger occupat illam:
  Cedite, quot vates Ausonis ora tenet.
Non illi satis est cithara contendere Flacco,
  Pindaricisque pares fundere ab ore modos,
Provocet heroo nisi te quoque Mantua versu:
  Sic illum indomitus laudis adurget amor.
Macte age, macte animo, ante alios mihi care sodalis,
  Per tua sic duplex tempora laurus eat.
At tu, sancte senex, hominum cui summa potestas,
  Claudere cui caelum, cui reserare licet;
Sume libens quae devoto tibi pectore vates
  Dona tuos stratus porrigit ante pedes.
Cujus enim est virtus seges omnibus ampla poëtis,
  Hunc quoque Pieridum munera amare decet.

In Luciano Graece ab Aldo edito Muretus hos versus manu sua scripsit, quos Petrus Lazerius, an. 1757. edidit in volumine secundo Miscellaneorum ex Colleg. Romano, p. 349. rem quae sibi contigerat, a Mureto narratam existimans.

Si verbis morbi possent expelli foras,
Nemo me hodie unus viveret salubrior:
Ita in medicum loquacem atque argutum incidi;
Sed, qui ubi loquendo totum contrivit diem,
Hoc lucrifacio, quae prius dolebant, dolent,
Quae non dolebant, aures & caput dolent.
I tu, & quaere mihi medicum mutum, Phania,
Qui nutu aut scripto quid agere debeam imperet,
Non qui loquacitate me enicet sua.
Medicus loquax aegroto morbus alter est.



I N-

INDEX
AUCTORUM EMENDATORUM ATQUE EXPLICATORUM.

A.

Aelianus II, 910.
Aemilius Probus II, 350, 352.
Aeschylus II, 705, 706, 828, 829. III, 561.
Andocides II, 143.
Antiphon II, 420.
Apollonius Rhodius II, 788. hujus Scholiastes, 908.
Appulejus II, 202.
Aristophanes II, 282. III, 794.
Aristoteles II, 23, 31, 44, 80, 87, 121, 127, 129, 149, 150, 151, 152, 173, 181, 182, 186, 187, 203, 269, 285, 312, 329, 331, 359, 365, 367, 446, 952. In hujus Ethica Commentar. III, 137 & seqq. Oeconomicorum interpretatio 469, & seqq. in eam Annott. 475, & seqq. in Topica Commentar. 487; & seqq. 536, 554, 556, 558; in libros Rhetoric. Scholia 735. & seqq. 784, 817.
Athenaeus II, 259, 443, 444, 475, 486, 948, 953, 955.
Ausonius II, 442.

C.

Caesar (J.) II, 227, 241, 247.
Callimachus II, 450, 769, 835, 840, 847. III, 846.
Cato III, 850.
Catullus II, 19, 188. In hunc Commentar. 715. & seqq. 877, 908, 946.
Cicero II, 10, 12, 15, 28, 29, 36, 39, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 62, 64, 75, 77, 81, 90, 96, 104, 107, 109, 110, 112, 132, 137, 140, 143, 154, 156, 157, 158, 159, 161, 162, 163, 166, 167, 168, 174, 183, 184, 185, 189, 190, 193, 194, 210, 212, 215, 221,

232, 233, 234, 237, 241, 253, 259, 263, 264, 283, 287, 296, 306, 319, 325, 326, 327, 328, 338, 349, 351, 353, 355, 365, 387, 404, 405, 406, 408, 410, 415, 416, 424, 425, 449, 450, 460, 479, 486, 489, 490, 498. in Catilinarias Commentar. 592. & seqq. 657, 690, 723, 733, 751, 759, 857. 913. in Philippicas Scholia 979. & seqq. III, 150, 262, 263, 264, 352, 441, 453, 542, 549, 550, 740, 759. In primam Tusculan. Scholia 779. & seqq. In Officia Scholia, 800. & seqq. in quinque libros de Finibus Scholia, 824. & seqq. in Orationem pro Dejotaro Scholia, 858.
Clemens (Alexandrinus) II, 774.
Codex Justiniani II, 509.

D.

Demetrius II, 25.
Demosthenes III, 311, 388.
Dio Cassius II, 629.
Diogenes Laërtius II, 221, 262. III, 442.
Digesta II, 503, 504, 506, 507, 511, 512, 513, 515.

E.

Ennius II, 435, 812, 851.
Euripides II, 67, 68, 82, 107, 132, 144, 159, 189, 190, 191, 192, 195, 237, 430, 442, 733, 827, 946, 966. III, 301, 302, 378, 425, 558, 559, 567, 593, 791.

G.

Gellius (A.) II, 112, 146, 256, 267, 307, 324, 654.
Gregorius Nazianzenus II, 465.

H.

Herodotus II, 446.
Hesiodus II, 828. III, 478, 531, 563, 570, 785.
Hippocrates II, 259.

Home-

Homerus II, 226, 257, 260, 446, 469, 787, 757, 840, III, 399, 531, 542, 558, 561, 379, 380, 584, 785.
Horatius II, 13, 14, 16, 17, 18, 35, 44, 60, 76, 86, 93, 98, 115, 134, 170, 200, 203, 206, 217, 218, 246, 272, 282, 301, 302, 370, 405, 412, 445, 483, 582, 599, 610, 613, 678, 724, 728, 733, 734, 737, 750, 758, 759, 762, 777, 779, 825, 841, 850, 877, 899, Scholia 943 & Seqq. 986, III, 44, 48, 64, 73, 313, 350, 535, 542, 848.

I.

Isocrates II, 9, 88.
Juvenalis II, 195, 229, 461, 741, 762, 952.
Justinianus Instit. II, 511, 513, 514.

L.

Livius II, 194, 363, 365, 377, 386, 491, 492, 493, 494. III, 350.
Lucianus II, 665. III, 565.
Lucilius II, 75, 721.
Lucretius II, 461, 851.
Lycurgus Orator II, 419.
Lysias II, 425.

M.

Macrobius II, 208.
Manilius II, 609.
Martialis II, 385, 473, 717, 727, 736, 737, 789, 850, 853, 987. III, 8, 26, 31, 52, 64.

N.

Nonius II, 84, 315, 363, 456, 685.

O.

Orpheus II, 726, 813.
Ovidius II, 87, 224, 225, 227, 243, 462, 716, 766, 767, 781, 827, 881. III. 460.

P.

Pausanias II, 789.
Persius II, 762, 840, 850.
Phocylides III, 531.
Pindarus II, 875. III, 558.
Plato II, 46, 73, 103, 118, 174, 177, 192, 196, 442, 451, 458, 981. III, 358, 371, 425. in hunc de Republica Commentar. 517. & seqq
Plautus II, 26, 65, 69. 74, 105, 108, 125, 130, 132, 201, 204, 211, 213, 216, 229, 235, 238, 259, 270, 296, 313, 322, 334, 335, 336, 337, 361, 370, 393, 396, 430, 432, 433, 434, 437, 452, 485, 496, 567, 574, 581, 593, 619, 663, 674, 728, 734, 746, 740, 749, 753, 754, 758, 767, 783, 799, 801, 802, 824, 850, 851, 858, 877, 914, 985. III, 818.
Plinius Secundus II, 12, 33, 133, 310, 321, 366, 378, 597, 895. III, 20, 134, 442.
——— Minor II, 592.
Plutarchus II, 11, 22, 42, 219, 290, 318, 366. III, 49, 81, 82, 277, 281, 291, 292, 742.
Porphyrius II, 58.
Priapeja II, 729, 740, 754, 760.
Propertius II, 728, 851, in hunc Scholia 907, & seqq.

Q.

Quintilianus II, 451, 471, 474, 481, 704. III, 748.

S.

Sallustius II, 403, 413, 499, 500, 642.
Sappho II, 785.
Seneca II, 207, 211, 274, 275, 276, 277, 278, 280, 365, 371, 385, 399, 438, 495, in hunc Scholia III, 3, & seqq. 656, 797.
Sophocles III, 388, 747, 759, 761.
Statius II, 947.
Stephanus Byzantinus II, 921.
Strabo II, 921.
Suetonius II, 264, 358, 388, 390, 438.

T.

Tacitus II, 249, 251, 252, 254, 255, 347, 348, 366, 979.
Terentius II, 18, 26, 38, 59, 89. 143, 256, 244, 282, 366, 379, 468, 483, 484, 511, 583, 584, in hunc Scholia 655 & seqq. 706, 733, 747, 791, 864, 865, 981. III, 350, 597, 818, 829.
Theocritus II, 52, 780, 781, 827, 840.
Theognis II, 828.
Thucydides II, 318.
Tibullus II, 63, 102, 303, 821, 822, 827, in hunc Scholia 873 & seqq.

V.

Varro II, 41, 83, 84, 85, 91, 148, 363, 764, 807, 876. III, 847.
Virgilius II, 27, 94, 103, 111, 117, 169, 179, 257, 286, 299, 312, 319, 463, 467, 723, 724, 739, 744, 77', 770, 779, 799, 915, 817, 818, 852, 908, 909, 922, 949. III. 22, 542.

X.

Xenophon II, 70, 71, 357, 365, 439, 464, 479, 481, 486. III, 361, 523. Notae in Cyrop. 589 & seqq. 785.

A D-

ADDENDA ET CORRIGENDA.

AD TOM. I.

P. 13. *Fruſtra deſideráverit*] Elegantius *fruſtra* abesſet.
P. 20. *Chryſippus*] Memoriae lapſu *Chryſippum* pro *Carneade* nominat. Quem errorem notavit *Bailius* Lex. Hiſt. & Crit. v. *Carneade.*
P. 38. in Nota, *Veneto.* ſcribe *Veronenſi.*
P. 42. l. 19. *baccae.* ſcr. *buccae.*
P. 60. l. 30. *illus.* ſcr. *illius.*
P. 79. *concurſum*] Muretus *occurſum* ſcripſerat.
P. 112. *terram illam, quae vagitus*] Expeditionem Caroli M. in Terram Sanctam commenticiam & fabuloſam esſe, nunc ſatis conſtat.
P. 174. l. 13. *prepetuo.* ſcr. *perpetuo.*
P. 221. Notae adde: Eſt tamen apud Plautum Amphitr. prolog. 102. & Ciceron. Verr. III. 1.
P. 245. *reum recipere*] Mirum, ni Muretus ſcripſerit, *reum eripere* : quod a Cicerone exquiſite dicitur pro arte quadam liberare.
P. 301. l. penult. *qaando.* ſcr. *quando.*
P. 302. l. 36. *nullum.* ſcr. *nullam.*
P. 304. In fine Notae adde: inprimisque Bailius, Lex. Hiſt. & Crit. v. *Suetone.*
P. 542. l. 28. *ἀκῶν.* ſcr. *ἄκων.*
P. 591. l. 24. *laudare.* ſcr. *laudari.*
P. 596. l. 9. *ipſe.* ſcr. *ipſa.*
P. 631. *Literarum gravitate*] Perſpicuum eſt, corrigendum esſe, *literarum raritate.*
P. 646. *Non a domino*] Checcotius in Indice v. *Quantum*, bene transponit, *a non domino.*

FINIS.

